Biblioteca de Galicia

Biblioteca de Galicia

Rg. 2226
C2-4-10

Biblioteca de Galicia

Reixoto
Biblioteca de Galicia

PETRI CRINITI VIRI DOCTISSIMI

DE

Honesta disciplina, *Lib.* XXV.
Poëtis Latinis, *Lib.* V.

ET

Poëmaton, *Lib.* II

Cum Indicibus.

LVGDVNI,
APVD ANTONIVM
GRYPHIVM.

M. D. LXXXV.

Biblioteca de Galicia

Biblioteca de Galicia

LIBRORVM DE HONESTA DISCIPLINA, Petri Criniti Capitum singulorum Index.

CAPITA LIBRI PRIMI.

De triplici tentorio Tamburlani Scytharum principis, & qua conditione Imperator maximus in conspectum, & aciem hostium accederet. Cap. I.

Quibus disciplinis atque præceptis Persarum reges filios instruerent: & qua potissimùm ætate: ex Platonis Alcibiade. II.

De Psyllis, ac Marsis, eorúmq; potestate in venenis tractandis: ac de Exagono legato, in dolium serpentum coniecto: & de Sillographis autoribus nonnihil. III.

Anacharsis Scythæ sententia, de populari Athenienſium ſtatu: & quo pacto populi administratio ab honestis, & prudentibus viris fugienda, & detestanda sit. IIII.

Pacuuij poëtæ carmen relatum de fortuna:

Biblioteca de Galicia

eiúſq; multiplici poteſtate : & quid item de eadem C. Plin. ſcripſerit. V.

Quàm eruditè Plato philoſophus ſcripſerit homines iracundos memoria præſtare, graues autem obliuione: tum de Thracenſibus populis, & cœli poteſtate. VI.

De obitu Hermolai Veneti, & Pici Mirandulæ officio erga eundem, cum peſtilentia in Vrbe laboraret. VII.

De ſæuitia Fuluiæ in Ciceronis caput, & qua ignominia habitus ſit, ex Dionis hiſtoria: & carmen Scueri poëtæ additum de eodem Cicerone. VIII.

Taciti verba explicata in Iudæorum hiſtoria: & quo pacto Chriſtiani etiam ſunt Aſinarij appellati: quáq; ignominia Chriſti effigies ab antiquis depicta fuerit: in quo inſolentiam pariter, atque odium contra Chriſtianam religionem oſtenderunt. IX.

Dictum nimis improbum, ac nefandum, Theodori Gazæ cum Beſſarione philoſopho ſuper doctrina diui Hieronymi: & quomodo iniquius pro Ciceroniano fuerit accuſatus. X.

De Socratis conſtantia cum vxoribus, ac de eius effigie & deformitate, ex Hieronymo: tum de imaginibus philoſophorum in veterum gymnaſijs. XI.

Quanta prudentia, ac doctrina Meſſalla Corninus præſtiterit, & quomodo præfecturam Roma

Biblioteca de Galicia

Romanæ vrbis recusauerit, vt inciuilem atque immoderatam dignitatem. XII.

Christianos fuisse per ignominiam Semissios, & Sarmentarios vocatos: & quòd Semisses homines pro minutioribus, & ignauissimis à veteribus dicantur. XIII.

Anquiro & Anquisitiones, vocabula esse Romana, & honesta: quibúsque autoribus id asseratur, contra quorundam inscitiam. XIIII.

Quòd eodem die natalis Alexandri Macedonis fuit & templi Dianæ Ephesiæ concrematio: ac de autore ipso incendij cognitio non iniucunda. XV.

De doctrina Annei Senecæ philosophi, & eius sententiæ allatæ, quæ sint ab omnibus ediscendæ, & obseruandæ. XVI.

Quàm sit grauissimum scelus auaritiæ crimen, ac verba ibidem ex epistola Cassij, & alia ex Sallustio ad id pertinentia. XVII.

Indigitare deos, quid sit, ac de Indigitamentis: & qui dij Indigites vocati sunt, ex multis autoribus. XVIII.

CAPITA LIB. II.

Remedium de soluendis amoribus: cum mirifico exemplo Faustinæ: ac de natali Commodi Imperatoris, qui omnium crudelissimus fuit. Caput. I.

De studio, ac literarijs vigilijs Pici Mirandulæ: tum

Biblioteca de Galicia

læ: tum inibi Apologus perlegans de Furio Cresino, ex Pliniana historia allatus. II.

De subsellijs, eorumq; vocabulis: & quid maximè Scimpodium quid Scabellum, & quid Suppedaneum ex veterum autoritate. III.

In vitæ officijs habendam generis ac dignitatis hominum rationem: & quàm prudenter ab Hadriano Imperatore factum sit contra ignobilem libertum: ac ibidem quoque de Augusti Octauij prudentia & ciuilitate in re simili. IIII.

De generibus fulminum, quæ videlicet Postularia, quæ Pestifera, & Peremptalia sint: ac de Fulguritis arboribus copiosè explicatum. V.

Quàm C. Plinius à Græcis dissentiat de obitu poëtæ Sophoclis: ac de ijs etiam nonnihil, qui præ nimio gaudio interierint. VI.

Qui apud veteres fuerint Brutiani serui, & qua ignominia sint à Romanis habiti Brutij populi, quòd ab illis descierint: tum nonnihil etiam de Comicis lorarijs. VII.

Quo commento Pixodorus pro Deo habitus sit: & de marmoris inuentione, ac de Lapidicinis nonnihil ex Theophrasti libris. VIII.

De ætate Constantij Imperatoris & Narsetis, ac de epistola Regis Saporis ad Imperatorem Constantium. & quid ab eo responsum fuerit, ex Marcellini historijs. IX.

Quo

Biblioteca de Galicia

Quo artificio tonitrua in scenis olim ederentur: ac de Metelli Pij immodico luxu, atque libidine, ex Sallustij verbis: & quomodo imitatus ea sit poeta Vergilius, cùm de Salmoneo agit. X.

Quæ causa fuerit vt Mythologi scribant Gigantum pedes in volumen desinere: & Lampridij verba exposita de Commodi Imperatoris crudelitate. XI.

Quàm grauiter ac satyricè Io. Picus Mirandula contra inertes & otiosos homines verba habuerit, & quòd Solon in suis legibus damnandos censuit: ac mihi elegantissimi versus positi ex Enniana satyra contra istos otiosè oscitantes. XII.

Quòd ijs maxime verbis Politianus se oblectari dicebat: vt sunt Reciprocicornes arietes, & bestiæ Exunges, & Excornes, & alia ibidē addita. XIII.

Disputatio de Repu. habita, ac de Imperio Venetum: & Apologus elegans de pinu, & cucurbita. XIIII.

De oraculo à Maximino Imperatore instructo contra Christianos, & ibidem de constantia Christianorū, quibusq; verbis contra Romanos præsides vterentur. XV.

Qui grammatici de origine verborum scripserunt, & vnde hæc verba Auidus *& Inuidus dicta sunt, per elegans & erudita*

Biblioteca de Galicia

enucleatio. XVI.

CAPITA LIBRI III.

Quòd Plato Philosophus inuidiæ morbo laborauit, & quòd infensus Xenophonti, ac Democrito fuerit, cuius etiam libros extingui cupierit. Cap. I.

Disputatio habita inter Hieronymum Sauonerolam & Picum Mirandulam de philosophia veterum cum Christiana academia: & quid item vetustissimi de ipso Deo senserint, id est, Moses, Mercurius, Zoroastres, & Pythagoras. II.

Quòd apud nostros quatuor idiomatum genera fuisse tradantur, hoc est, Priscum, Latinum, Romanum, & Mistum, & quo maximè tempore floruerunt, ac de Hetruscis etiam literis nonnihil. III.

De nominibus Romanorum, & quòd à Sabinis prænomen acceperint ex fœdere cum Romanis facto: tum qua die Romani nomen assumerent. IIII.

Qui maximè apud Latinos de sacris, ac pontificijs verbis scripserint, & quomodo Reus & Damnatus inter se differunt: tum ex iure ipso Pontificum verba exposita V.

De viribus atræ bilis, ac de Eurilocho, & poeta Malacho, quam grauiter eo morbo ad insaniam vexarentur. VI.

Quo

Quo habitu & forma esset Romana toga, ac de alijs vestibus, quæ cuique populo adscribantur: tum alia ibidem non iniucunda addita. VII.

Quàm iniquo animo Pub. Vergilius fuerit contra grammatistas, atque ineptos literatores, ac eiusdem elegans dictum super illo ænigmate, Treis pateat cœli spatium non amplius vlnas. VIII.

De his hominibus, qui seipsos in puteum iaciãt, & quid in causa, exemplis de Laurentiano & alijs adductis. IX.

De populis qui humana carne vescantur, & quæ Hieronymus de Scottis geute Britannica scripserit. X.

De lapide carystio mirifica obseruatio, quòd ex eo vestes contexantur, atque in ignem positæ à maculis emundentur. XI.

Locus in epistola M. Tullij ad Trebatium expositus de Philoclete: quámque impudenter à quibusdam deprauetur, ac falsò exponatur. XII.

Veterum consuetudo relata de Bactrianis populis, & de Atrijs in furtis mulctandis ex autore Bardesane: ac de Aegyptijs & Lacedæmonijs qui impunè furtum facerent. XIII.

Triginta millia Deorum à poëta Hesiodo celebrari, & à M. Varrone CCC. Iones, & quàm

Biblioteca de Galicia

quàm ridicula foret veterum de ijs opinio. XIIII.

Qui fuut apud Aegyptios Sarabaita sacerdotes, & de eorum moribus, atque improbissima simulatione, ex Augustino & Hieronymo. XV.

CAPITA LIBRI IIII.

Dignum memoria de rege Pisistrato, quo astu atque commento contra aduersarios sit vsus pro firmando Imperio: tum de eius quoque tyrannide nonnihil ex verbis Solonis. Cap. I.

Quo studio ac diligentia factum sit à Romanis, vt libros Magonis de agro colendo in Latinum conuerterent: tum aliud exemplum de Cor. Taciti historia, quo honore à Tacito Imperatore habita, & in bibliothecis locata fuerit. II.

De Censorum potestate, ac de triplici pœna in Romanos, & qui dicerentur in ærarios relati: ac ibidem subscripta verba ex antiquis legibus de ipsis censoribus. III.

Quantum bonis præceptoribus discipuli debeãt, ac de Alexandro Macedone erga præceptorem Aristotelem, tum de eius quinquaginta libris de Animalibus digna prorsus memoria.

De præfectis syluarum apud Romanos, & de maioribus ac minoribus prouinciis: ac inibi illud

Biblioteca de Galicia

illud Vergilij expositum, Si canimus syluas, syluæ sunt consule dignæ: contra aliorum sententiam. V.

Quod in solstitiali tempore frondes in quibusdam arboribus conuertantur, & quæ bruma augeri minuiq; sit obseruatum à Stoicis ex Lunæ viribus. VI.

De Philemone poëta Comico, eiúsque mirando interitu, ex Luciani historia, & aliorum commentarijs. VII.

Quid mulsum apud veteres in sacris, ac Titij verba posita de hoc: tum Romuli Pollionis dictum ad Octauium Augusti. & alia obiter non iniucunda. VIII.

Quid apud veteres sit, Vrbem Romam fuisse ad æquilibrium positam: & quòd æquilibritas vertitur à M. Tullio, quod est Græcè Isonomia: tum nonnihil etiam de differentia inter Vrbem & Romam, ex doctrina Iurisconsultorum. IX.

De Pythagorica philosophia, & de Iani fronte quadruplici, ac de Manasse Rege, eiúsq; statua cum facie quincuplici. X.

Quomodo accipiendum sit apud Varronẽ limbus XII. *signorum: & vnde Cœlum & Mũdus dicãtur: simulq; versus additi ex Varronis Menippeis quàm venustissimi.* XI.

De quibusdam legibus, & eorum præmio qui hostes multos interemissent, ex libris Aristotelis

Biblioteca de Galicia

ſtotelis: & quæ Firmianus contra Ennium & Ciceronem protulit. XII.

Petronij Arbitri carmen appoſitum, in quo ciconiam Pietaticultricem, & Gracilipedem dixit: tum inibi de alitis eiuſdem pietate non indigna relatio. XIII.

De legatione Gallorum ad Regem Alexandrũ, ac de illorum congrua, & opportuna reſponſione contra ambitioſam Regis inſolentiam. XIIII.

Poëtæ Vergilij verſus appoſiti de Numa Rege, quòd canus in adoleſcentia fuerit: & quòd Strabo idipſum de L. Tarquinio rege retulerit. XV.

CAPITA LIBRI V.

Quàm multiplici doctrina præſtet Ioan. Picus Mirandula, & iudicium ab eo egregiè factũ de Hebræis, Græcis, atque Latinis doctrinis, earumq; differentia. Cap. I.

Creditum eſſe ad gratiam & formam conferre cibum ex lepore: tum lepida hiſtoria de Alexãdro Seuero Imperatore, additis verſiculis non inuenuſtis. II.

Quòd optimi oratores in dicendo exciderint. III.

Quòd Romani homines initio Imperij contemſerint meliores diſciplinas, & quando ipſa poëtice in Vrbem acceſſit, tum fuiſſe graſſatores dictos à Romanis poëtas, & Horatij verſus expoſiti.

Biblioteca de Galicia

positi. IIII.
Qui maximè Dij extra vrbem Romam templa habuerunt, & qua ratione: tum quòd ijdem Romani ex Solonis legibus sepulchra extra vrbem haberi voluerunt. V.
De Traiano Augustocum præfecto militum, eiusq; sermone ad eum: ac de eiusdem Imperatoris gestis ac victorijs maximis. VI.
Cautum ex XII. tabulis contra eos, qui alienas segetes excantare, & pellicere tentassent: & Plinij verba notata & exposita: inibiq; prodigium maximum adscriptum de agris Veiianis. VII.
Quantum pro veritate inuigilandum, ac de Indorum philosophis, eorumq; studio pro veritate, ac pœna perpetui silentij contra mendaces. VIII.
Quam eruditè Pythagoras hominum ætatem in quatuor partes diuisit: atque imbi etiam de Seruio Tullio, qui Romanorum ciuium treis ætates notauerit, ex Tuberone & Gellio. IX.
Quo commento, atque sæuitia Iulianus Imperator contra Christianos desæuiret, ac de eius libris contra Christum, & qui maximè illis responderunt. X.
Quam egregiè doctus in omni philosophia Vergilius fuerit: quomodo ea quæ de inferis, & campis Elysijs scribit, ex Gobria mago transf

Biblioteca de Galicia

go transtulerit apud Academicum Xenocratem. XI.

Qui sint apud Marc. Ciceronem Pẽtelici hermæ: ac de pentelicis columnis atque lapidicinis diligenter multa exposita. XII.

Quòd docile animal ac placidum sit elephas, & quòd per funes incedere discat: tum de funãbulis, ac funerepis hominibus. XIII.

De Mythra Deo, qui pro sole apud Persas colitur: deq; illius simulacro, ac de Mythriacis sacris copiosè explicatum. XIIII.

CAPITA LIBRI VI.

De Belisarij principis epistola ad Regem Totilã, cum is de Vrbe Roma diruenda cogitaret: quibusq; verbis ab infando consilio deuastandæ Vrbis eum deflexerit. Caput I.

Quòd sit cautim loquendum apud principes: tum de Rege Persarum Cambyse, & Traxaspe nobile exemplum: & quomodo præstant apud Persas qui amplius bibunt. II.

Non esse populo vulganda, quæ arcana in sacris sunt: ac Vergilij carmen expositum ex Eleusinis sacris, Procul, ô procul este profani. & item de Numenij somnio digna observatione historia. III.

De Gallonij sumptu, ac dapibus, verba in oratione Ciceronis exposita: ac ibidem Lucilliani versus appositi, cum Horatiana imitatione de Gallonij acipensere. IIII.

Quibus

Biblioteca de Galicia

Quibus verbis Caracalla Imperator cum Iulia nouerca pudore vendito sit congressus, quantumq; flagitij & malorum nimia imperandi licentia oriatur. V.

De studio philosophi Euclidis in bonis disciplinis ac de Hieronymo etiã, quam vehementer & assidue inuigilaret: tũ quibus preceptoribus atq; vrbibus doctrinam acceperit. VI.

De XVI. cœli regionibus, & quæ numina cuique sint adscrita, ex Mineo Capella relatum, & alia obiter addita. VII.

De literarũ notis in veterũ causis: tum de silẽtio in iudicijs, ac Plautinus iocus expositus. VIII.

De mollitie Hortensij oratoris, ac Demosthenis: tum perlepida historia de Hortensij munditia, qui diem collegæ dixit, quod illi togæ structuram deturbauit. IX.

De sæuitia L. Syllæ, & Vedij Pollionis, qui seruos in piscinas cõijceret ad Murenas: & de Oclauij Augusti animo cõtra eã feritatẽ. X.

De Lecanomantia veterũ, quomodo & quibus sacris fieri consueuit, ac de voce & natura dæmonum, & alia ibidem ex Ioanne Zezze repetita. XI.

Quibus elemẽtis atq; initijs animantia dicantur cõstare, ac de quinta essentia ad vniuersum orbem disponendum atq; absoluendum, ibidemq; Mercurij Aegyptij verba relata & Vergilij carmen expositum. XII.

Relatum

Biblioteca de Galicia

Relatum de Carminis populis, quàm mirifica eorum cõsuetudo sit, in suspendẽdis occisorũ capitibus, & eorũ linguis esitandis. XIII.

CAPITA LIBRI VII.

De ingenio & eruditione Gregorij Nazianzeni & Basilij, quo affectu ac studio simul ab humanis literis ad sacras & diuinas conceſſerint. Caput I.

De Hieroglyphicis Aegyptiorum literis, ac de vulture & ape, eorumq; symbolo: tum de cruce etiam ipsa nobilis consideratio. II.

Factum memorabile Octauij Romani oratoris cum Rege Antiocho, & de sagminibus legatorum, quæ in clarigatione gestabant, ex Iureconsultis & alijs. III.

Qui de ingenio dæmonum scripserint, ac de Gnosticis & Euchetis, quibusq; sacris dæmonem se concipere putarent, digna memoria obseruatio. IIII.

De Maximiani imperatoris sæuitia in Christianos, & quòd affectus morbo animum commutarit: tum eiusdem edictum positum pro religione ipsa Chrianorum. V.

De municipibus Romanorum populis, & quid apud Horatium sit, Digni Carite cæra, expositum eius carmen: tum quibus causis atq; rationibus municipes Romani essent, copiosè explicatum. VI.

Quo animo Cæsar Anticatones libros scripserit,

Biblioteca de Galicia

rit, & quantum Catoni inuitus concesserit, cum eius ebrietatem reprehenderet: aliaq; non contemnenda de Ciceronis inconstantia adscripta. VII.

De impositione nominũ apud Comicos poëtas. & quid inter se differãt, Cylones & Chylones: ac ibidẽ Ciceronis verbũ explicatũ contra quorumdam sententiam. VIII.

De spatio humanæ vitæ, & adnctanda observatio de põdere humani cordis, quomodo crescat & decrescat, ex Anatomica Aegyptiorum observatione. IX.

Quomodo à mathematicis vitæ hominũ finis asseratur, ac de ætate Mosis ex Trebellio Pollione: ac de Xenophilo musico nonnihil. X.

Quantum Publius Vergilius & à M. Tullio laudatus fuerit, & quo honore ab vniuerso Romano populo habitus, cùm carmen in theatro recitaret. XI.

De historia T. Liuij, quòd in Libros autore ipso diuisa fuerit, non in Decades, contra aliorum opinionem: tum quibus id autoribus comprobetur. XII.

De [illegible] XIII.

Scitum responsum Aristippi, cùm rogaretur,

Biblioteca de Galicia

cur homines doctiores diuitum domos, atque principum frequenter adeant, minimè autem ad eos diuites. XIIII.

CAPITA LIB. VIII.

De Simone Samarite, qui magus dicitur, & quomodo in Vrbe pro Deo habitus sit, & quo cultu, atque honore fuerit, ex Tertulliani Apologetico, & alijs autoribus. Cap. I.

De Aegyptiorum antiquitate, eorumq; vrbibus, ex Pompònij commentario: ac de alijs etiam regionibus nonnihil obseruatum. II.

De triplici dicendi genere apud veteres, & quo maximè stylo vsi sunt Romani, Hispani, & punici autores, ex Mirandulæ sententia. III.

De falsitate oraculorum, quòd ad principum nutũ ferebantur, exemplo Philippi Macedonis, vt Demosthenes, & alij probarũt. IIII.

Iunci Senecæ locus in epistolis expositus de meta sudante in vrbe Roma, ac de Pub. Victore, qui de regionibus Vrbis scripsit. V.

De Milonis Crotoniensis robore, ex Pausania: ac de Maximino & Firmo Romanis Imperatoribus, quo robore, & qua forma fuerint: VI.

De his qui fœcũdiores fuerint ad prolem procreãdam, ac Proculi Augusti verba de ingenti eiusdem libidine. VII.

De XII. Romanis dijs, & eorum nominibus, qui

qui singulis mensibus apud veteres præponerentur, ex antiquo marmore, ac Ennij carmen additum. VIII.

Veterum poëtarũ carmen relatum contra Chaldæos & Arëolos: & qua ratione minimè sit illis adhibenda fides ex sententia Philosophi Phauorini. IX.

De crimine Scopilismi in Arabia, & locus apud Iurecõsultos emẽdatus: ac leges itẽ contra eos, qui limites ac terminos extrahũt. X.

De autoritate maxima Imperij Romanorum, & epistola Belsolis regis adscripta de Valeriano Cæsare Augusto capto. XI.

De Fulminitis & Fulguritis arboribus, ac de Ioue Fulguratore & Tonitruali in libris aruspicum: aliaq; ibidem addita de fulminibus. XII.

Quæ sit lex annaria in veterum scriptis: & quid hoc verbum Aequitas significet in XII. tabulis. XIII.

CAPITA LIBRI IX.

De Magia Dardani, eiusq; libris è sepulcro à Democrito erutis: ac de Græcis philosophis, qui ad Aegyptios perrexerũt. Cap. I.

De Bonoso Imperatore, & eius Vinolentia, ac ioculare dictum in eius obitu pendere amphoram: tum de lege Sympotiaca in potationibus. II.

De diuersis regionum atque urbium, quibusq; nominib.

Biblioteca de Galicia

minibus appellarentur, ex Tertulliano, Origene, & alijs autoribus. III.
Anacreontis carmen ad scriptum venustissimũ de poculo, & in Latinos numeros conuersum, quod apud Gellium deprauatum est. IIII.
De Magia Aegyptiorum, & qui in ea præstiterunt: ac de XXXVI. dæmonibus, & qua potestate polleant. V.
Non esse viri prudentis in humanis confidere. & exemplum nobile de iniquissima fortuna Belisarij ducis. VI.
De multiplici causa terræ motus, & Neptuni potestate: tum de terræ motu maximo, qui Tiberio imperante in Asia euenerit. VII.
Historia de Leænæ meretricis constantia in tormentis, ac Tertulliani verba exposita: tum de Theodoro etiam quàm firmo & constanti animo fuerit. VIII.
De Leone Imperatore, qui edicto cauit, vt omnes imagine, è templis ac Basilicis Christianorum delerentur, & epistola Valentis & Theodosij Augustorum de eadem re apposita. IX.
De Hierophantis Atheniensium ad sorbitionẽ cicutæ: ac de Romanis Sacerdotibus, Flaminibus, & Pontificibus. X.
Quàm egregia singularij; doctrina præstiterit Mercurius Aegyptius in rebus diuinis: ac eiusdẽ verba adscripta de Deo, de Mente, &

Biblioteca de Galicia

te, & de Animis, in libro de sapientia Dei. XI.

Qui sunt apud Iureconsultos Iudices recuperatores in æstimandis iniurijs: ac de Iudicio recuperatorio copiosè explicatum. XII.

Quàm imprudenter atque imperitè ab his erratum sit, qui Scirpũ acceperũt pro ænigmate: & quòd apud autorem Gellium Scrupum, non Scirpum legendum sit. XIII.

CAPITA LIBRI X.

De doctrina Gamalielis Hebræi, & quo iudicio probauerit Iesum Christum pro Deo accipiẽdum. Caput I.

De Narsete Eunucho, & Sophiæ Augustæ verbis ad eum: ac responsum Narsetis in fœminæ insolentiam. II.

De populi improbitate, ac de exilio Aristotelis, quòd impietatis accusatus in Chalcidem profugerit: tũ alia obiter non iniucunda. III.

Quæ sunt maximè à dijs roganda, & quomodo, ex Platone: tum versiculi Persiani de votis peragendis. IIII.

Quantum concesserint Christo Romani Imper. Tiberius & Hadrianus: ac de Alexandro etiam Seuero, qui Christum inter alia numina aderauit. V.

Vnde apud poëtam Vergiliũ Ramus aureus, & Viscus in ilice, in sexto Æneidos: ac de Magia Druydum, Vergilij carmen expositum

Biblioteca de Galicia

tum. VI.

De Hetrusca disciplina, & quo studio Romani nobiles ad eam discendam mitterentur: ac versus ibidem ex XII. additi. XII.

De cura & periculis eorũ, qui Imperio præsunt: ac Saturnini Augusti verba ad hoc ipsum pertinentia. VIII.

De antiquorum proprietate in carmine in rebus exprimendis, simulq; Accij poëtæ versus appositi ex Argonautis elegantissimi & Q. Ennij. IX.

Quæ ratio fuerit, ne Flamines sacerdotes apud Romanos nodum aliquem habere possent in vestibus: & quàm libera, & aperta esse debeat animorum coniunctio inter amicos. X.

De multiplici ac singulari doctrina M. Varronis, & quòd idem tamen à Palæmone Grãmatico contemptus fuerit, ac iniquissima voce porcus appellatus. XI.

Quid in libris Iureconsultorum sint Exconsules, Exquæstores, Exprætecti, & alia eius generis, quamq; subagrestia, & parum Latina sunt. XII.

Biantis Prienei sententia relata, quo consilio ac ratione vti debeamus in decernendis causis inter amicos, vel inimicos. XIII.

CAP

CAPITA LIBRI XI.

Mirificum prodigium de fulmine in natali M. Tullij, ex annalibus Eutropij: ac de viribus etiam fulminum nonnihil. Cap. I.

De officio tribuni militum, ex sententia Aureliani Cæsaris Imperatoris, & eius epistola adscripta ex Vopisci historia. II.

De Pythagorica Metamorphosi, & Laberij pœtæ versus apud Tertullianũ recogniti, atque expositi. III.

De statua Niobes à Praxitele, & ibidẽ Ausonij pœtæ nobile epigramma, ex Græco: tum de eadẽ Niobe, ex Pausaniæ commentarijs. IIII.

Historia ex C. Plin. de Octauia Augusta, quæ oui augurio in sinu confoti sexum futuræ prolis prænotauit: & alia item non inuenda. V.

De origine dei Canopi, ac eiusdem simulacro: & quo commento ac fraude pro deo sit habitus. VI.

Pacuuianum ænigma de testudine, ac versus eiusdem lepidissim ex Tragœdia allati: tum locus Tertulliani expositus. VII.

Scita & elegans obseruatio ex lege veteri, de re venerea: ac de edictis etiã Semiramijs ab Heliogabalo Imperatore institutis. VIII.

De sæuitia Macrini Imperatoris, & qua crudelitate in adulteros animaduerterit: tum

Biblioteca de Galicia

alia obiter addita. IX.

De nominibus militum, & qui sint Primani, Tertiani, Quintani, & eiusmodi alia apud Cor. Tacitum: & de quartarijs mulionibus apud Lucilium. X.

De Proculo & Regillo Imperatore, & quomodo per iocum fortuna illudente Imperij dignitatem adepti sunt. Cap. XI.

Quid apud veteres significet Sororiare, & quæ sint mammæ sororiantes in puellis: ac ibidem expositum quid Fratriare, & Fraterculare, ex Pompeij commentarijs, & Plinij locus emendatus. XII.

Non credendum esse, quod à C. Plinio scriptum est de C. Mecœnate, quòd insomnis per triennium fuerit: ac de his etiam qui somniantes inambulare consueuerint. Cap. XIII.

CAPITA LIBRI XII.

Qualis doctrina Platonis fuerit: & quomodo inter Pythagoram & Socratem medius fertur, ex Numenij Pythagorici sententia. Cap. I.

Quibus viribus polleant VII. planetæ in hominum corpore, ex Arabum libris, ac de XII. signis, eorumq; potestate, ex veterum sententijs. II.

Egregiè factum, & ingenti animo, à Petro Caponio Florentino cum Carolo Rege Gallorum, in concerpendis tabulis coram eodem Rege

Biblioteca de Galicia

Rege, cùm iniquiores contra rempub. viderentur. III.

Quot in Romano exercitu legiones forent, ex historia Polybij viri diligentißimi: ac de Centurijs & Cohortibus nonnihil. IIII.

De ingenti animo Iulij Cæsaris, cùm ad pontem Rubiconem acceßit: & edictum adscriptii, quod in ponte fluminis legebatur. V.

De peris & manticis, eorumq; nominibus: ac de Pasceolo, & Sacciperijs apud Plautum: inibique de Hippoperis apud Anneum Senecã. VI.

De Romanis spectaculis, & ludis apparatißimis Probi Imperatoris, cùm de Germanis triũpharet, ex historia Flauij Vopisci. VII.

De veteri Germanorum republica & eorum moribus, institutis, ac legibus tam in militia, quàm in religione, non contemnenda obseruatio. VIII.

Vrbane factum à Claudio Imperat. de scypho surrepto à T. Iunio in conuiuio: ac res ibidem explicata. IX.

Iudicium factum ab Hadriano Imperatore de Aegyptijs populis, eorumq; moribus: ac ibidem epistola perelegans Phlegontis Trallieni, ac de eius operibus nonnihil. X.

Dictum elegans Phauorini Philosophi de Hadriano Imperatore, ac simile quiddã Asinij Pollionis cum Octauio Augusto. XI.

Biblioteca de Galicia

Verba Hieronymi exposita de Hismenia, contra quorundam inscitiam atq; ineptias: tum de Antigenide, & Hismenia tibicinibus nonnihil additum. XII.

Deos Aeuiternos, & Aeuintegros à poëta Ennio appellari, & Apuleij verba apposita de dijs Aeuiternis. Cap. XIII.

CAPITA LIBRI XIII.

Pulcherrima descriptio de naturæ ordine ac potestate, ex Bardesane Syrio: ac Pacuuij carmen allatum de re consimili. Cap. I.

De malo ciuilium dissensionum, & imagine Discordiæ elegantissimis versibus à Petronio Arbitro descripta. II.

Romanorum lex de dijs colendis ac probandis per S.P.Q.R. ac de Christo etiam, & quãtum Tiberius Imperator illi cõcesserit. III.

De nimia feritate Saporis regis contra Romanum Imperatorem Aurelianum: ac de Tãburlano etiam principe simile exemplũ cõtra Bayssettũ Turcarum Imperatorem IIII.

De L. Metello viro clarissimo, & quòd in tota vita decem præcipua pro voto sit consecutus: ac de Crasso etiam Mutiano, eiusq; insignibus. V.

Diligens adnotatio de generibus telorum ac nominibus, & quæ cuiusq; gentis sunt: tũ de lancea & castris nonnihil. VI.

De Anatomicæ disciplina, & historia de Aristomene

Biblioteca de Galicia

ſtomene Meſſenio, qui hirſuto corde fuerit: ac ibidem relata quædam ex veteribus de humano corde.

Quomodo Diocletianus *Cæſar Imperij dignitatem contempſerit: & quibus verbis apud populum Romanum deprecatus ſit.* VIII.

Diſſentire C. *Plinium ab antiquis ſcriptoribus de vrſis Numidicis: & quòd in Libya & Numidia celebrentur, ex* Solino, Herodoto, *& alijs.* IX.

De figuris & effigie elementorum ex Pythagorica doctrina apud philoſophũ Platonẽ. X.

Quòd in Romana Theologia forent Deus Sentinus, *&* Vitunus: *ac de dijs etiam ſelectis nonnulla ex Varronis & Auguſtini commentarijs.* XI.

Quàm ſit grauiſſimum crimen nimia in homine inſolentia: & quòd pro comitiali morbo habeatur, atque execretur à Philoſophis. XII.

CAPITA LIBRI XIIII.

Quàm probis moribus, & egregia doctrina Plutarchus præſtiterit: ac ibidem epiſtolæ eiuſdem adſcripta ad Vlpium Traianum Auguſtum. Cap. I.

Sacricommiſſum, & impie commiſſum, quomodo inter ſe differant, ex pontificũ legibus: & quid ſignificent. II.

De obitu dæmonum: ac memoranda hiſtoria de

Biblioteca de Galicia

de Panis interitu Tiberio Cæsare imperante: ex Plutarcho, & Eusebio: tum de Christo etiam nonnihil. III.

Galieni Imper. dicta impudenter contra Romanã rempub. & quo animo fuerit in acceptis cladibus, atque defectionibus. IIII.

Probro fuisse apud Romanos, vt equites, ac pedites in cælibatu essent: tum leges allatæ contra cælibatum: & quid itẽ Moses & Plato statuerunt. V.

De Centenarijs cœnis, ac verba Tertulliani exposita: tum de lege Fannia & milliarijs apris, & columnis. VI.

De vrbanitate M. Antonij cum Græcis, & quo commento Athenienſium blandimentis illuserit, ac digna talione repressérit. VII.

Quæ sit apud Syrios dea Adagartis, ac de eius simulacro, & quòd virginis signum pro iustitia sit à Nigidio Figulo acceptum, eiusq; verba apposita. VIII.

De triplici numerorũ proportione in arithmetice, musice, ac geometrice: tum de eleganti similitudine ad rempublicam. IX.

De Romanorum studio in bonis disciplinis, & relata cõtentio inter Lucullum, Hortensium, & Sisennam de historia Marsica componenda. X.

Qua vrbanitate Antoninus Geta Imperator per literarum ordinem conuiuia strueret: quib

Biblioteca de Galicia

quibusq; notis fercula ipsa prænotaret. XI.
Quòd nullæ deorum imagines per CLX. annos in vrbe Roma fuerint ex Numæ doctrina: & quòd Hebræi quoque nullas in templis imagines haberẽt: aliaq; de templis atq; imaginibus memoranda. XII.
An verum sit, quod de Numa & Pythagoræ notauimus: ac ibidem probatum, habuisse Romanos temporibus Numæ regis imagines deorum. XIII.
De Asclepiade Medico, qui lectos ægrotis suspensiles primus excogitauit: ac de triclinijs versatilibus Imper. Heliogabali. XIIII.

CAPITA LIBRI XV.

Historia de Cleomede Picte, & quibus gestis atque honoribus claruerit, ex Theodoreto, & alijs autoribus. Cap. I.
Nobile exẽplum de Alexandro Macedone contra inutiles labores, & nimis curiosam sedulitatem. II.
Qui sint apud Iureconsultos Reliquatores, & quid item Reliquari, & reliquatio: ac loci aliquot in iure ciuili expositi. III.
Quamde, pro Quàm, apud veteres dici solitum, & Lucretij poëtæ versus emendatus, atque expositus: tum alia ibidem addita. IIII.
De Hadriani Imperatoris ingenio & vrbanitate, & qua talione Florum poëtam represse

Biblioteca de Galicia

presserit, versiculis eiusdem relatis. V.

Dici solitum apud veteres, trabes, canes, duces in singulari, pro eo quod est trabs, canis, & dux: & alia eiusmodi obseruata ex M. Varrone, & aljis. VI.

Qui sint apud Iureconsultos Pedanei iudices, & qui item Pedarij fautores & senatores, ex commentarijs Aelicis. VII

Quàm eruditè à nostris Iureconsultis verba Latina exponantur: & quomodo apud eos liberi & parentes accipi debeant, non aspernanda obseruatio. VIII.

Quanta calamitas rei Latinæ accesserit ex interitu Hermolai Veneti, Pici Mirandulæ, & Angeli Politiani: tum de liberalitate Laurentij Medicis erga Hermolaum: ac de iniquitate sui temporis. IX.

De dijs ipsis, eorũq; nominibus in Romanis sacris, qui segetibus ac frumentis præsiderent, ex Varronis & Augustini libris. X.

Quàm molli animo Artemon Periphoretus fuerit: & historia perlepida de mirifica eius formidine. XI.

CAPITA LIBRI XVI.

Quæ fuerit origo Hetruscæ disciplinæ: ac de Tagete vate, qui è glebis extitit, eiusq; libris diligenter obseruatum. Cap. I.

De serpentum natura & genio in Aegyptia theologia, & qua ratione accipitris caput illis

Biblioteca de Galicia

illis addatur: aliásque de accipitre memoranda. II.

De fœdere inter Gabios & Romanos, quòd in corio bouis instar clypei exaratum fuerit, & vnde clypeis nomen, & quid item clypeare verbum designet. III.

De viribus & aegritudine amoris, ac de eius remediis copiosè relatum, ex Arabum commentarijs. IIII.

M. Varronis oraculum de Romano Imperiò, quod ex Augurio XII. vulturum per M.CC. annos futurum esset. V.

Qui fuerint apud veteres Adamiani, & Nyctages hæretici, ac de Lychnobijs etiam hominibus, & Horatij locus expositus: tũ de his, qui Himerobaptistæ dicerentur. VI.

Quibus rationibus Agesilaus princeps, & Plotinus suas imagines effingi noluerunt: ac de Alexandro itẽ Macedone nõnihil. VII.

Qui Abecedarij, Syllabarij, ac Nominarij sint apud Hieronymum: ac de Abecedario ex verbis Hieronymi & Augustini. VIII.

De Romanis vatibus antiquissimis, eorumq; hymnis & canticis: tum qui dicerentur Mineruij, Ianales, & Iunonij versus. IX.

De M. Antonio qui leonibus ad currum iunctis vehi consueuit, ac de Heliogabali portentoso ingenio, qui leones, tigresq;, & mulieres ad currum iunxerit.

CAP

CAPITA LIBRI XVII.

Quot apud veteres idiomata celebrentur, at de illorum inuentoribus: tum perelegantes senarij appositi, & de Gordiani Imperatoris sepulcro. Cap. I.

De Maximini Imperatoris sæuitia, & versiculis contra eum vulgò prolatis II.

Horatij carmen expositum de Cyclope in scena saltante, & de Cyclopeis ludis ex veterum autoritate, ac Lucilij versus de Polyphemo. III.

Quo habitu ac figura stylus esset apud veteres, ac de parte eius deletili: & quid item sit stylum vertere, ex Augustino, Hieronymo, & alijs. IIII.

Quæ sint Serperastra in geniculis puerorum alligata, & Aristotelis verba in Politicis ex Varronis sententia exposita. V.

Quid sit propriè Lychnuchos, & emendata vox in Suetonij historia: tum Lucretij poëtæ Carmen additum. VI.

Quid in veterũ nummis sit, A. A. A. F. F. ac de tribunitia potestate ad nummos signandos: tum locus ex decemviralibus tabulis. VII.

Qui sint apud Iureconsultos Directarij, & Dirigere, ac restituta in Pandectis verior lectio: tum quid apud Græcos Tichobates intelligatur. VIII.

De

Biblioteca de Galicia

De Tertulliani eruditione, ac eius verba contra Marcionem hæreticum relata: & quomodo Hieronymus ea transtulit. IX.

Mos veterum de mittenda Imperatorum imagine ad Vrbem, si quando in absentia crearentur: & quòd ipsi Iudæi nullas imagines Cæsarum recipere voluerunt. X.

Qui sint apud Aelium Lampridium benè nasati homines: ac de Impetatoru Antonini Heliogabali stagitiosa, & infanda libidine. XI.

De Architæ columba volatili ex mechanica eius disciplina: ac de Boëthij philosophi pari ingenio & doctrina ad mechanica quædam miranda efficienda, ex Cassiodori Varijs. XII.

Mirandum, & Adynaton videri, quod à Iosepho traditur de Alexandro Macedone, vt huic perinde ac Mosi mare Pamphilicum patuerit, cùm transfretaret in Persas cum excercitu. XIII.

Aureliani Imperatoris epistola ad Zenobiam Palmyrenorum reginam, & eius responsum quàm alto & generoso animo ad eundem sit redditum. XIIII.

Vnde rerum principia, atque effectus in vita existant: & quomodo Astrologi, Physici, atque Theologi inter se dissentiant. XV.

Quid sit morbus tonsillarum, in qua maximè

Biblioteca de Galicia

parte corporis, qualique origine dicantur tonsillæ. XVI.

CAPITA LIBRI XVIII.

De Hormisda Persarum principe, & quo actu, atque commento è custodia sit liberatus ab uxore. Caput I.

Vergilij carmen emendatum contra quorundam inscitiam, Furit intus aquai, ex Quintiliano & alijs autoribus. II.

Dictum Demosthenis de sua fuga, ac verba Tertulliani explicata: & quo pacto Cicero & Demosthenes in propriis causis maximè degeneres ac timidi fuerint. III.

Horatij poëtæ versus expositi contra aliorum sententiam de Attæ fabulis, cùm inquit, Rectè nécne crocum floréſque perambulet Attæ Fabula si dubitem, ac de Croco in scenis copiosè expositum. IIII.

Quid apud veteres Muginari significet, & quomodo ea voce utatur Cicero: & quid item sit apud Varronem ex prouerbio Min facere. V.

Qui sint propriè milites Aeredirruti apud poëtam Ausonium: ac eiusdem verba in epistola explicata. VI.

Quo pacto Varronis verba in libro de agricultura emendari oporteat, & quo sensu accipienda sint. VII.

Accij poetæ versus apud Apuleium recogniti: & quo

Biblioteca de Galicia

& quo pacto mutuatus sit illos ex Acciana tragœdia. VIII.

Egregiè factum à Rege Alfonso in legenda Liuij historia contra imperium medicorum: & de simultate inter eum, & Cosmam Medicem. IX.

M. Ciceronis verba exposita de L. Tubulo sacrilego, & Luciani versus additi de eodem: tum quàm acri carmine Romanos ciues Lucilius exagitarit. X.

Quanta sæuitia fuerit Auidius Cassius, ac de supplicio illius ad necandos homines per fumum: tum de his etiam qui fumos venderent non inelegans obseruatio. XI.

Relatum ex lege Menenia de comprimendis morientium oculis: & quòd minimè filijs liceret parentum oculos occludere. XII.

Verbum quod est Subulo Hetruscum esse, ac pro tubicine accipi: & Macrobij verba de Subulonibus adscripta. XIII.

De animantibus quæ in igne viuant: ac ibidem de Chamæleontis facie, ingenio & coloribus. XIIII.

CAPITA LIBRI XIX.

De remedio expergiscendi à somno, & quomodo inter se differant autores de Alexandro Macedone, & Aristotele Philosopho enarrantes. Caput I.

Biblioteca de Galicia

De instrumentis militarium machinarum, & earum vocabulis: ac de Tellenone, & de machina Demetrij Ducis, quæ Poliorces dicebatur. II.

Ennij poëtæ carmen de Pub. Scipione allatum & Annei Senecæ verba in epistolis emendata atque recognita. III.

Cassij Seueri dictum perelegans in Labienum historicum, ac de improba eiusdem Labieni dicacitate. IIII.

Quid sit Repandirostrum & Incuruiceruicum pecus ex Pacuuio apud M. Varronem: & emendata ibidem verba & exposita contra imperitorum sententiam. V.

De imagine Nemesis, eiusq; potestate, & nominibus, & epigramma Ausonij expositum. VI.

De prudenti responso Cæcilij Metelli ad amicum, qui eius animi consilium scire cupiebat: neque esse cuiusquam ingenio facilè confidendum in rebus grauioribus. VII.

Ceruos pro seruis & fugitiuis accipi apud veteres, ac Martialis poëtæ carmen expositum contra aliorum sententiam. VIII.

M. Ciceronis verba emendata atque exposita in libro de Optimo dicendi genere, ex Lucianis versibus de Esernino oratore. IX.

Locus elegans Heliogabali Imperatoris de suis conuiuijs in discumbendo: ac de Sigmate etiam

Biblioteca de Galicia

etiam mensa, vel sedili: & quòd ea voce Martialis vtatur. X.
De Cymbio vase, & Carchesio: & quo pacto Macrobius fœdè errauit, cùm de his disserit in Saturnalium commentarijs. XI.
Quibus causis Romanus populus atros dies ac luctuosos haberet: ac de minuendo luctu & publicè, & priuatim. XII.
De Necepsone rege & Philosopho, eiusq; magice: & Paulini poetæ versus expositi ex Firmico Materno, & alijs. XIII.

CAPITA LIBRI XX.

De Sibyllarum diuinatione, quæ in Brachis, ac Delphis vaticinia redderent: ac ibidem nonihil de prophetis relatum ex doctrina Platonicorum. Caput I.
Mos veterum relatus in comitijs dirimendis Ioue tonante, aut fulgurante, & quòd flaminica etiam feriata tunc esset. II.
Quòd in Tyberis vndatione draco maximus per Vrbem visus sit, Maurico imperante, ac de alio item Augusti Cæsaris Dracone, quē pro comitio ostentauit: alia & ibidem consimilia ex historijs veterum allata. III.
De Symbolis Aegyptiæ theologiæ, ac de Loto arbore super qua Deus locaretur: aliaq; obiter non iniucunda de Loto capillata. IIII.
Scita admodum ac elegans expositio à Plutarcho de origine verbi quod est Spurius: ac nō-

Biblioteca de Galicia

nihil etiam de Latinis Prænominibus. V.

De Vestalium capillis, qui ad arborem Loton obruerẽtur: ac Plinij locus expositus, tum quæ arbores felices, aut infelices à veteribus habeantur. VI.

Qui apud veteres sit prætextatus sermo, ac de verbis prætextatis, & quomodo in ea voce parum consentiant autores. VII.

Aenigmata duo allata, vnum ex Platone, alterum verò ex fabulis Plautinis: & vtrunque lepidum, & perurbanum. VIII.

De licentia veterum poëtarum in notandis hominibus, ac elegans parodia Metelli consulis contra poëtam Naeuium: tum de lege à censoribus lata, qua poëtarum maledicentia reprimeretur. IX.

De morbo Elephantiasi, & vnde nomen acceperit: ac de Lichenis ibidem, & Gallica scabie contra quorundam inscitiam. X.

CAPITA LIBRI XXI.

Qui maximè dicantur apud veteres nullo affectu perturbati: ac de M. Antonino imperatore, & Philippo Augusto qui nullo vnquam commento ad risum potuit excitari. Caput I.

De Mario Gratidiano viro prætorio, & quam tà immanitate à Sergio Catilina dissectus, acque interemptus fuerit in Syllanis tumultibus, ex Iulio Firmico: & alia de Catilina

Biblioteca de Galicia

lina et Cicerone addita cõtra Feneſtellã. II.
De vaticinijs per aquam & per vinum: & apud quos maximè populos clara eſſent, ex Plutarcho, & alijs autoribus. III.
Iunonis Monetæ nomen & origo allata, tum de eiuſdem templis & inſcriptione in nummis Cæſaris Domitiani Auguſti. IIII.
De viribus dæmonum, & quòd eorum ſex genera tradantur diligens adnotatio ex commentarijs Pſelli, & Auguſtini. V.
Quæ figura ſit dicendi in veterum libris Mediusfidius quaque origine cenſeri debeat: ac de Fidio Deo nonnihil. VI.
Quibus vrbis in Latino ſermone vti debemus & quàm verecunda eſſe debeat in componendis vocibus tralatio. VII.
De inſigni atque mirifico portento infantis, qui duplicì pectore atque capite biennium vixerit, hiſtoria non contemmenda: ac de cauſis portentorum. VIII.
Traditum eſſe, quòd ex viris ſapientibus plerunque inſani, ac dementes gignantur: exemplo addito de Ariſtarchi filijs, viri doctiſſimi, & aliorum complurium, ex Aelij Spartiani verbis. IX.
Quomodo accipiendum ſtadium, & quàm multiplex fuerit: ac nonnihil etiam de alijs menſuris. X.
Præclarè factum atque ingenti animo ab

Biblioteca de Galicia

Auidio Cassio Augusto in seditione exercitus: atq; eiusdem verba ibidem relata. XI.
Quibus liceret in Vrbe sepeliri: ac de Posthumio Tuberto, viro consulari, de quo M. Cicero in legibus subobscure intellexit. XII.
De Romanis familijs Fabiorum, atque Curionum, & qua maximè dignitate in ciuitate præstarunt: tum de Lepidis etiam breuiter adnotatum. XIII.
Quantum sit ab amoris contagio abstinendum, ex Cratetis philosophi sententia: ac ibidem Panætij verba notata ex Anneo Seneca, in quibus par grauitas atque doctrina existat. XIIII.
De studio veterum in auspicijs, ac de his auibus, quæ ominosæ, ac inauspicatæ haberentur quæq; oscines, aut præpetes dicerentur. XV.

CAPITA LIBRI XXII.

Copiosè expositum de Asaroticis pauimentis, ac de Lithostrotis, seu Tessellatis, de opere vermiculato, ac de Cerostratis nonnihil. Caput. I
De pœna Romanorum ciuiũ per vites, ac Plinij verba exposita ex historia de Scipione Aphricano, tũ de vite cẽturiali copiosè. II.
De sortibus Prænestinis, earúmque origine apud Romanos: & quomodo ederentur in templis, ac Liuij locus expositus. III.
Quanta prudentia M. Cato iudicauerit non esse

Biblioteca de Galicia

esse publicè audiendos in Romana Ciuitate tres Atheniensium oratores id est, Carneadem, Critolaum, & Diogenem: ac de illorum mirabili ingenio & facundia. IIII.

Quæ differentia tradatur inter Deportatos & Relegatos: & qui maximè autores deportari homines ac portenta scribant. V.

De quadragenario numero, & eius potestate in puerperiis & infantibus: tum de festo die, quem Græci Tetracostòn appellant. VI.

De clemẽtia M. Antonini Imperatoris et quibus maximè verbis contra seipsum conspirantibus parcendum monuerit. VII.

Quàm constanti & alto animo fuerit M. Cato, & eius dictum de se, cùm bella inter Cæsarem & Pompeium æstuarent VIII.

De Prosa & Postuerta Romanis dijs, ac ibidẽ de Antenorta, & quòd inter se differant, quaq; ratione colerentur à Romanis. IX.

Quæ sint Samiata ferramenta in Aureliani Augusti epistola, & Samiare arma, ac de Samijs vasis & Numæ Capedunculis in Romanis sacris. X.

De oratore Isocrate, eiusq; insigni facundia: & quomodo tria in primis notanda præstiterit, ex historia Pausaniæ. XI.

De eruditione Crispi Passieni, & eius elegantì sententia in habendis probandisque amicis. XII.

Biblioteca de Galicia

CAPITA LIBRI XXIII.

Quòd Octauius Augustus tria potissimùm in votis habuerit: ac de fortunæ viribus, honore & nominibus apud Romanos. Caput I.

De immodico luxu Antonini Heliogabali Imperat. ac de eius calcitris cum leporinis pilis, & perdicum plumis: ibidemq; expositum de Accubitis. II.

Quæ diuinationis species habenda sit Capnomantia: & Statij poëtæ versus allati atque expositi super hac vaticinãdi ratione. III.

Quòd imperante Tiberio vitrum flexile ac ductile redditum sit: & qua pœna tantæ inuentionis autor damnatus fuerit. IIII.

Quibus venenata quædam animantia viuãt: vt viperæ, Scorpionesq;, ac de amphibijs etiam & alijs. V.

Deos esse accipiẽdos tã fœminino genere, quàm masculino: ac de Luno etiam deo pro Luna: & quo cultu atque institutis apud Carras coleretur. VI.

Iudicium à poëta Marullo factum de Latinis poëtis, & quo vitio notati sunt, aut quo ordine habendi. VII.

De Iuliorum, & Antoninorum familijs: & quòd in hominibus improbissimis, atque mõstrosis defecerint. VIII.

Vinum esse remedio contra aconitum, ac defensus à calumnia quorundam Macrobius, qui

Biblioteca de Galicia

qui Cicutam pro Aconito audacius quàm verius in eius Saturnalibus reponunt. IX.

Quòd iniquo animo Porphyrius philosophus Christi religionem sit insectatus, atque eiusdem falsum atque improbum vaticinium appositum, in quo Christianos ipsos per CCCLX. annos duraturos scripserit. X.

De Val. Homulli ingenio, & eiusdē dictis contra M. Antoninum Imper. eiusq; constantiam. XI.

De disciplina Arabum in astronomicis: & quòd ipsa hominum etas certis temporibus ad planetas referatur. XII.

Expositum diligenter quid Hostorium sit, quid Rutrum, & Rutellum ex Lucilij carmine: ac de imaginibus etiam cum rutro. XIII.

Vnum esse hominem inter omnia animantia, qui calidis in potu vtatur: & ad Venerem pro libidine quocunque anni tempore accedat. XIIII.

CAPITA LIB. XXIIII.

Quantum Aristoteles Platoni magistro concesserit, ac versus in ara ab eo positi, & quòd magi etiam Platoni immolarunt propter absolutum nouies nouenarium numerum. Caput I.

De cultu quorundam animantium à variis populis, & de Syria dea, eiusq; effigie relatum. II.

Mercur

Mercurij Aegyptij verba de natura, ac de maiestate Dei, déque spiritu & mundi materia, ac de homine. III.

Poëtæ Lucretij obitum eodem die contigisse, quo Pub. Vergilius virilem togam induit, Licinio & Pompeio Coss. ac de natali poëtæ Vergilij. IIII.

Quàm seuerè factum sit à Romanis contra insolentiam, & de conuitijs atque contumelijs, quæ publicè in triumphantes à seruulis dicerentur. V.

De animantibus, arboribus, ac lapidibus quæ naturali consensu cum Solis & Lunæ viribus consentiant. VI.

Versiculi aliquot in Vergiliano poëmate emendati: ac de dactylicis, & spondaicis numeris nonnihil. VII.

Qua ratione intelligatur ver sacrum fieri, ac verba Plinij exposita de populis Sabinis ex historia Sisennæ. VIII.

Plauti verba exposita in Prologo Pœnuli, quo loco Aristarchi Achillem nominat contra imperitorum sententiam. IX.

Perlepida historia de Phryne meretrice & Praxitele: & quo commento usa sit in explorandis Praxitelis operibus, quæ absoluta forent. X.

De doctrina Ioannis Scoti, & quòd sæuissima cæde ab ingratissimis discipulis interemptus

Biblioteca de Galicia

ptus fuerit. XI.
Verba ex epistola diui Augusti relata de luxu & mollitie Mecænatis, & quàm impudenter atque insciti ssimè ab imperitis depravata sint. XII.
De impia & vani ssima superstitione Templariorum, & quomodo à Clemente pontifice maximo abolita fuerit, non iniucunda cognitio. XIII.
Tertulliani verba exposita de Curio aleatore, & quã nobilis tradatur fuisse in talari ludo. ex M. Sic. Pediano, & alijs. XIIII.
Quid significent hæ voces, hoc est, Tricones apud Iulium Capitolinum, & Lymphiones in epistola Phlegontis liberti ac de Lympholentis nonnihil. XV.
Quis apud veteres Aegyptios maximus omnium Deus haberetur, qualiq; imagine sit, ex oraculo Serapidis celebratus. XVI.

CAPITA LIB. XXV.

Qui maximè homines comitiali morbo vexarentur, & quibus argumentis agnoscantur, ex L. Apuleio & alijs. Caput I.
De nominibus auspiciorum apud veteres, ac de illorum superstitiosis observationibus ex antiquis Grammaticis. II.
Quanta fuerit Esdræ sacerdotis eruditio, & quàm mirifica eiusdem memoria in ordinanda atque componenda Hebræorum philosophi

Biblioteca de Galicia

losophia: ac de Cabala etiam nonnihil, ex verbis Pici Mirandulæ. III.

Quid sit apud Iureconsultos Præscriptio quinque pedum: ac Ciceronis verba exposita in libris de legibus. IIII.

Quæ foret in libris pontificum dea Tutulina: & de sacerdotibus Tutulatis in Saturnino carmine diligenter notatum. V.

Lapidare, & Lapidationes vario significatu intelligi: & Quid item Lapidescere, ac lapire sit, explicatum. VI.

Quo nomine apud veteres Manna diceretur: ac de illius vsu, & cognitione apud medicos: tum de Manna Turis nonnihil. VII.

Quæ habita sit apud veteres autores minor mulcta, & maxima: ac de mulctandis iniurijs ex XII. tabulis diligenter obseruatum. VIII.

De oraculis quæ ederentur in Dodone ex sonitu peluium: & Ausonij poetæ carmen de hoc expositum. IX.

Quid sit Sonticus morbus in legibus decemuiralibus: & Sontire verbum in quo significatu accipiendum sit. X.

De nominibus & potestate deorum apud veteres, & quàm inanis ac futilis eorum superstitio foret, copiosè enarratum. XI.

FINIS.

IND

Biblioteca de Galicia

INDEX RERVM MEMORABILIVM, QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.

* * *

Priores numeri libros indicant, posteriores librorum capita.

A. A. A. F. F. quid signent, libro 6. capite 7
Abcedarij & syllabarij 18.7
Accij carmen apud Apuleium 18.8
Accipiter apud Aegyptios 16.2
Adamiani & Nyctages hæretici 16.6
Adagartis dea 14.8
Adulatio Atheniẽsium ab Antonio delusa 14.7
Aegyptiorũ antiquitas & urbes 7.2
Aegyptiæ theologiæ symbola 20.4
Aegyptiorum mores 12.10
Aenigmata duo exposita 20.8
Aequilibriũ urbis 4.9
Aerediruti milites 18.6
Aetatis humanæ dimisio 5.9
Aetas hominũ adplanetas relata 23.12
Alcibiades Platonis 1.2
Aleatores præcipui 24.14

Alexan

Alexandri pro arte inutili donũ 35.2
Alexandro vt Mosi mare peruium 16.13
Alexãder & alij no lentes fingi 16.7
Alexandri experrectio 19.1
Amatorium remedium 2.1
Amicorum habendorum sententia Possidonij 22.12
Amoris contagio abstinendum 21.14
Amoris vires & remedia 16.4
Anacreontis carmen de poculo 9.4
Anatomia 13.7
Animantia in igne viuentia 18.13
Animantium cultus diuinus 24.2
Cum luna consensus 24.6
Annaria lex 8.13
Anquiro & Anquisitiones 1.14
Anticatones Cæsaris 7.7
Antonius in adulationem Atheniensium 14.7
Antonini Getæ apparatus. 14.11
Antonini clementia 22.7
Eiusdem constantia 23.11
Apologus de pinu & cucurbita 2.14
Arbores felices & infelices 20.6
Aristippi scitum responsum 7.14
Aristotelis exilium 10.3
Aristarchi filij vecordes 21.9
Artemonis meticulositas 15.11
Asclepiadis lecti pensiles 14.14
Asinarij dicti Christiani 1.9
Attæ fabulæ apud Horatium 28.4

Biblioteca de Galicia

Auaritiæ crimẽ 1.17
Aues eminosæ 21.15
Augusti Cæsaris vota 23.1
Auidus & Inuidus vnde dicta 2.16
Auidij Imperatoris pulchrum facinus 21.11
Auspicia veterũ 21.15
Auspiciorũ nomina & superstitio 25.2

B

Basilij magni studium 7.1
Belisarij ad Totilam epistola 6.1
Eiusdem infortunia 9.6
Belsolis epistola 8.11
Biantis dictum, non iudicandum inter amicos 10.13
Bibere apud Persas decet 6.2
Bilis atræ vires 3.6
~~Bonifacij Pontificis solennia 7.13~~
Bonosi bibacitas 9.2
Brutiani serui 2.7

C

Canopi Dei origo 11.6
Capilli vestalium ad loton 20.6
Capnomantia quæ sit 23.3
Caracalla cum nouerca coijt 11.5
Carmanorum in esitandis linguis hominum consuetudo 6.14
Carystij lapidis textura 3.11
Caroli Francorum regis discerptæ tabulæ 12.3
Catilinæ sæuitia 21.2
Catoni cessit Cæsar inuitus 7.7
Catonis de repellendis oratoribus Atheniensum sententia 22.4
Catonis constantia & dictum de se 22.8
Cœlum & mundus vnde dicta 4.11

Biblioteca de Galicia

Cœlibatus Romanus probrosus 14.5
Cētenariæ cœnæ 14.6
Censorum potestas Romæ 4.3
Cerite cera digni 7.6
Ceruos pro fugitiuis accipi 19.8
Chaldæis non adhibēda fides 8.9
Chamæleontis facies, ingenium, & colores 18.14
Christo & christianis ignominia illata 1.9. & cap. 13.
Christus à Romanis Imperatoribus cultus 10.5. & 13.3
Christianorum constantia 2.15
Ciceronis de Tubulo verba 18.10
Ciceronis capiti illusum 1.8
Ciceronis locus emendatus 19.9
Cyclopē saltare apud Horatium 17.3
Cylones & chilones ac cillones 7.8
Cymbia & carchesia 19.11
Ciuilium bellorum mala 13.2.
Cleomedis historia 15.1
Clypei nomen vnde sumptum 16.3
Columba lignea volatilis 19.12
Comitia Ioue tonante dirempta 20.2
Comitiali morbo vexati 25.3
Commodi imperatoris natiuitas 2.1
Crudelitas 2.11
Consiliū celandū, sentētia Metelli 19.7
Constantij Imperatas 2.8
Cor humanum 7.9. & 13.7
Crassi Mutiani insignia 13.5
Crucis nobilis consideratio 7.2

Demon

D

Dæmonũ natura 6.9 Ingenium & conceptio 7.4. Potestas 9.5. Vires & genera 21.5
Demosthenis mollities 6.9
Demosthenis fuga, ac dictum, & timiditas in propria causa, vt Cicer. 28.3
Deportati & relegati 22.5
Deus Sentinus & Vitumnus 13.11
Deorum millia xxx. apud Hesiodũ 3.14
Deorum nomina & potestas 25.11
Deorum colendorum lex Romana 13.3
Deus maximus Aegyptijs 24.16
Dea Tutulina 25.5
Dij Romani mensibus præfecti 8.8
Dij regionum & vrbium 9.3
Dij Aeuiterni & Aeuintegri 12.13
Dij segetum & frugũ 15.10
Dij vtriusque sexus 23.6
Dicendi genus triplex 8.3
Dicta elegãtia 12.11
Dies atri & luctuosi 9.12
Dignitatis habenda ratio 2.4
Diocletianus Imperij contemptor 13.8
Directarij & Tichobates 17.7
Diuitiæ perniciosæ 25.9
Docti cur diuitum domos frequentent, & non econuerso 7.14
Dodonæ oracula 25.9
Dracones mirãdi visi 20.4

E

Elementa & quinta essentia 6.12

Biblioteca de Galicia

Elementorum figuræ 13.10.
Elephanti docilitas 5.14
Elephantus cõtra Vallam 20.10
Elysij vnde à Vergilio sumpti 5.11
Ennius de Scipione 19.3
Ephesinæ Dianæ templi flagratio 1.15
Esdræ eruditio: & quid Cabala 25.3
Eserninus orator 19.9
Euclidis studium 6.6
Exconsules, Expræfecti & Exquæstores 10.12

F

Familiæ Romanæ 11. 13. & 24.8
Fidius deus 21.6
Filij sapientum insani 21.9
Fortunæ potestates 1.5
Franciscus Barbarus obmutuit 5.3
Frondes conuerti 4.6
Fulgurator & Fulminita 8.12
Fulminũ genera 11.1
Fulmen in natali Ciceronis 2.5
Fuluiæ in caput Ciceronis sæuitia 1.8
Fumo percant fumum vendentes 18.11
Funambuli & Funerepi 5.13
Furtorũ punitio 3.13

G

Gamalielis dictum de Christo 10.1
Galieni improbitas 14.4
Galli in Alexandrũ magnum 4.14
Gallonij acipenser 6.4
Germanorum respublica, & mores 12.8
Gibellinus es &c. dictum pontificis. 7.14

Gig

Biblioteca de Galicia

Gigantum pedes tortuosi 2.11
Gnostici & Eucheti 7.4.
Gregorij Nazianzeni studium 7.1

H

Hadrianus Imperat. In Florum poëtam 15.5
Heliogabali luxus 16. 10. et 17.11. et 24.2
Hæretici varij 16.6
Hermolai Barbari interitus 15.7
Hermolao Barbaro defuncto impensum officium à Pico Mirandulano 1.7
Hetrusca disciplina 10.7
Hieronymus sanctus male sugillatur. 1. 10. *eius studiū* 6.2
Hieroglyphicæ Aegyptiorum 7.2
Hierophantæ Athenien. 9.10
Hismenia apud diuū Hieronymum 12.12
Hominis libido insolens 23.17
Horatij locus emendatus 18.4
Hormisda Persarum princeps 18.1
Hortēsij mollities 6.9
Hostorium quid sit 23.13

I

Iani frons quadruplex 4.10
Idiomatum Italiæ genera 3.3
Idiomata quot apud veteres Italos 3.3
Imagines philosophorū in gymnasijs 1.11
Imago discordiæ 13.2
Imagines proscriptæ è templis à Leone Impera. 9.9
Imagines deorum non fuisse Romæ 14. 12. *& sequenti.*
Imagines Imperatorū quas Iudæi recipere noluerunt ad victor

Biblioteca de Galicia

Ectores missæ 17.10
Imperij Rom. autoritas. 8.11
Imperij periculũ 10.8
Indigitare deos 1.18
Infans monstruosus 21.8
Insolentiæ malum 23.12
Interfectoris hominũ præmia 4.12
Ioannis Scoti cædes 24.11
Iracundi memoria præstant 1.6
Isocratis præstantia 22.11
Iudices Recuperatores 9.12
Iulij Cæsaris ad Rubiconem animus 12.5
Iuliani Imperatoris in Christianos sæuitia 5.10
Iunonis monetæ nomen. 21.4
Iureconsultorum peritia 15.8

L

Labieni dicacitas 19.4
Lapidare & Lapidationes 25.6
Lecanomantia 6.11
Lectorum ornamenta 23.2
Legiones exercitus Romani 12.4
Leones ad currum iuncti 16.10
Leporinus cibus ad gratiam 5.2
Lex symposiaca 9.2
Liberi, & Parentes qui sint 15.8
Libri Magonis de agro colendo 4.2
Licentia nimia quid noceat 6.5
Licẽtia poëtarum repressa 20.9
Lychnuchos quid sit 17.6
Lychnobij qui sint 16.6
Lymphiones & Lympholenti 24.15

Lite

Biblioteca de Galicia

Literarum in iudicijs notæ 6.8
Liuij operis diuisio 7. 12
Liuius regibus lectitandus 18.9
Loquendum cautè apud principes 6.2
Lotos arbor capillata 20.4
Lucilij acrimonia in Satyra 18.10
Lucretij obitus 24.4
Ludi in triumpho Probi 12.7
Lunus deus apud Carras 23.7

M

Machinæ bellicæ 19.2
Macrinus in adulteros 11.9
Magia Dardani 9.1
Magia Aegyptiorũ 9.5
Manassis regis statua 4.10
Manna apud veteres 25.7
Maximiani in Christianos sæuitia 7.5. & 17.2
Mechanica industria 17.12
Mecænas per triennium insomnis 11. 13
Mecænatis mollities 24.12
Mediusfidius, & Fidius deus 21.6
Memoria in iracundis & non in grauibus 1.6
Mercurij in doctrina præstantia 9.11
Mercurij de Deo verba 24.3
Metamorphosis Pythagorica 11.3
Meretrix in tormentis constans 9.8
Messala prætura fugit 1.12
Metelli insignia 13.5
Militũ nomina 11.10
Milites ære diruti 18. 6
Milonis robur 8.6

Biblioteca de Galicia

Min facere quid sit 18.5
Mythra Deus Persarum 5.14
Morbus comitialis 13.11
Morbus tonsillarum 17.16
Morborum varia nomina 20.10
Morbus sonticus 25.10
Mosis ætas 7.10
Muginari quid sit 18.5
Mulsum apud veteres 4.8
Mulcta minor, & maxima 25.8
Municipes Romani 7.6

N

Narsetis ætas 2.8
Narsetis dictum 10.2
Nasati bene 17.11
Naturæ ordo & potestas 13.1
Necepsi magica ars 19.13
Nemesis imago & potestas 19.6
Niobes statua 11.4
Nomina Romanorum 3.4
Nomina sacculorum 12.6.
Nomina & genera telorum 13.6
Nominum apud comicos impositio 7.8
Nodo carebat vestis flaminum 10.10
Numæ regis temporibus an fuerint imagines in templis deorum Romæ 14.13
Numerorum in tribus scientijs proportio 14.9

O

Otiosi taxantur 2.12
Octauij Aug. prudẽtia 2.4
Octauij oratoris facinus 7.3
Oculos parentum morientium vetantur liberi comprimere

Biblioteca de Galicia

mere 18.12
Oraculum de Romuli Imperio 16.6
Oraculorum gentiliũ falsitas 8.4
Oratores præclari elingues facti 5.3
Oratores Atheniensium non esse audiendos 22.4
Oui augurium per Octauiam Augustam 11.5

P

Pacuuij carmen de fortuna 5.5
Panos interitus 14.3
Pasceolum & sacciperia 12.6
Passienus de amicis habendis 12.12
Pauimentorum genera 22.1
Pedanei iudices & pedarij fautores 15.7
Pẽtelici Hermæ apud Ciceronem 5.12
Peræmanticæ, sacculi &c. 12.6
Persarum regum filiorum educatio 1.2
Philemonis comici interitus 4.7
Philoctetem legendum in epist. Ciceronis 3.12
Philosophia vetus cũ religione 3.2
Philosophi ad Aegyptios profecti 9.1
Phrynes meretriculæ fraus 24.10
Pici Mirandulæ studium 2.2. & 5.1
Pietaticultrix & Gracilipes ciconia 4.13
Pisistrati astus & tyrannis 4.1
Pythagorica philosophia 4.10
Pixodorus pro Deo habitus 2.7
Planetarum in nos vires 12.2
Platonis inuidia 3.2
Platoni quãtum concessum est 24.1

Biblioteca de Galicia

Plutarchi præstantia 14.1
Plautus de Aristarchi Achille 23.9
Plato inter Pythagoram & Socratem medius 12.1
Poetæ à Rom. contempti 5.4
Poetarum Latinorum notæ 23.7
Populi administratio vitanda 1.4
Porphyrij in Christũ impietas 23.10
Præceptorum obseruatio 4.4
Præfecti syluarũ 4.5
Prænomina Latina 20.5
Præscriptio quinque pedum 25.4
Prætextatus sermo 20.7
Primani, Tertiani, &c. milites 11.10
Principia rerum & morborum 17.15
Proculi libido: & qui ad gignendum fœcundiores sint reperti 8.8
Proculus fortuito Imperator euasit 11.11
Proprietas antiquorũ in carmine 10.9
Prosa & Postuerta & Anteuorta deæ gentilium quondam 22.9
Psylli & Marsi fascinatores 1.3
Puteo se demergentes in Gallia 3.9

Q

Quadragenarij numeri potestas præsertim in pueros 22.6
Quam de, pro quàm, vetustè 15.4

R

Ramus aureus & viscus in Ilice 3.10
Reciprocicornes arietes 2.13
Regionum XVI. cœli numina 6.7

Relati

Relati in ærarios 4.3
Reliquatores & Reliquari quid sit 15.3
Repandirostrum 19.5
Reus & damnatus quomodo differant 3.5
Robur Milonis et quorundam Imperatorum 8.6
Romanorum studium 14.10
Rutrum & Ratellum quid sint 23.13

S

Sacerdotes Romani 9.10
Sacra non diuulganda 6.3
Sacricommissum 14.2
Sagmina legatorum 7.3
Samiata ferramenta & Samia vasa 22.10
Saturis regis epistola 2.9
Saporis & Tamburlani sæuitia 13.4
Sabaraitæ Sacerdotes 3.15
Saturnini de imperio verba 10.8
Scyphus surreptus in conuiuio 12.8
Scirpus non est ænigma, sed scrupus 9.13
Scopelismi crimẽ 8.10
Scoti Anthropophagi 3.10
Segetis traductio vetatur 5.7
Semissy & Sarmentary dicti Christiani 1.13
Senecæ doctrina 1.16
Senecæ locus in epistolis emendatus 8.5, & 19.3
Sepeliẽdi qui sint intra Vrbem 21.12
Serapis 24.16
Superastra in geniculis puerorum 17.5
Serpentum naturæ in Aegypto 16.2

Ser

Biblioteca de Galicia

Serui in piſcinas abiecti 6.10
Sibyllarum vaticinia 20.1
Sigma menſa 19.10
Syllæ ſæuitia 6.10
Simõ Magus pro Deo habitus 8.1
Syria dea 24.2
Socratis conſtantia cũ vxoribus 1.11
Somniantes inambulare ſoliti 11.13
Somni remedium 19.1
Sophoclis poëtæ obitus 2.3
Sororiare, & Mammæ ſororiãtes 11.12
Sortes prænestinæ 22.3
d Surius vnde natum vocabulum 20.10
Stadium quid ſit & quàm multiplex 21.10
Styli figura 13.4
Subſellia, & eorum vocabula 2.3
Subulo. i. tibicẽ 18.13

T

Tages ſortium inuentor 16.1
Telleno & Poliocres 19.2
Templa & ſepulchra extra vrbem 5.5
Templariorum ſuperſtitio 24.13
Terræmotus maximus & eius cauſa 9.7
Tentoria Tamburlani 1.1
Tertulliani eruditio 17.9
Teſtudinis ænigma ex Pacuuio 11.7
Toga Romana 3.7
Tonitrua in Scenis edita 2.10
Trabes, canes, duces in nominatiuo ſingulari 15.6
Traiani Imperatoris geſta 5 6
Tranſlationibus parcè vtendum 21.7
Tribuni militum officium 9.2

Tri

Biblioteca de Galicia

Tribunorum plebis potestas 17.7
Tricones 24.15
Triumphantium contumeliæ 24.5
Tubertus apud Ciceronem 21.12

V

Varro doctissimus à Palæmone porcus dictus 10.11
Varronis verba quædam 18.7
Vasorũ nomina 19.11
Vates Romani 16.9
Vaticinia per aquam & vinum 21.3
Venenatorum animalium cibus 23.5
Venereæ rei lex 11.8
Ver sacrũ fieri 24.8
Verba Latini sermonis qualia sint 21.7
Vergilij in Grammatistas odium 3.8
Vergilij præstantia 5.11
Vergilius à Cicerone laudatus 7.11
Vergiliani versus aliter legendi, vt spondaici & dactylici 24.7. *Treis pateat cæli spatium &c.* 3.8. *Si canimus sylvas, exponitur* 4.5. *Nosco crines incanaq; menta* 4.15. *Furit intus aquai, nõ aquæ vis* 18.2.
Veritatis studiũ 5.8
Vinum prodesse cõtra aconitum 23.9
Viri nullo affectu perturbati 21.1
Vitæ humanæ spacium 7.9
Vite ciues puniendos esse 22.2
Vitrum flexile & ductile factum 23.4
Vota quæ petẽda sint 10.4.
Vrsi Numidici 13.9

FINIS.

Biblioteca de Galicia

POETARVM INDEX.

Accius Tragicus	*Cap.* VII.
Aemilius Macer	LII.
Afranius Comicus	XI.
Albinouanus	LXIII.
Alphius Auitus.	LXXIX.
Andronicus Liuius	I.
Amianus Fescennin.	LXXVI.
Apollinaris Sidonius	XCIII.
Aquilius Comicus	XVI.
Aruntius Stella	LXVIII.
Asinius Gallus	LIIII.
Atta Comicus	XXIII.
Attilius Tragicus	II.
Auienus	LXXVIII.
Aurelius Olympius	LXXXII.
Ausonius Gallus	LXXXV.
Bassus	LI. & LXII.
Bibaculus	XXXI.

Caci

Biblioteca de Galicia

Cæcilius comicus VI.
Cæsius Bassus LI.
Calidius XXXV.
Calphurnius Siculus. LXXXI.
Caluus Licinius XXXVI.
Cæsius Seuerus XLVII.
Catullus epigrammatarius XXII.
Cinna XXX.
Claudianus Alex. LXXXIIII.
Clodius Sabinus LXII.
Cornelius Gallus XLII.
Cornelius Seuerus LVI.
Cornificius epigramm. XXIX.
Damasus poëta Hispanus. LXXXVIII.
Domitius Marsus XLVIII.
Ennius Epicus II.
Fabius Dorsennus XII.
Faustus Gallus XCII.
Festus Rufus LXXVIII.
Fortunatus XCI.
Furius Antias XXIIII.
Furius Bibaculus XXXI.
Germanicus L.
Getulicus LIX.
Heluius Cinna XXX.
Hæna Hispanus LX.
Horatius Flaccus XXXVIII.
Iuuenalis Satyricus, Hispanus. LXVII.

Iuuen

Biblioteca de Galicia

Iuuencus Hiſpanus. XXXVII.
Laberius. XXI.
Laurea Tullius. XXXVI.
Licentius Hipponen. XC.
Licinius Imbrex. XVII.
Licinius epigramma. XXV.
Licinius Caluus. XXVIII.
Liuius Andronicus I.
Lucanus LVII.
Lucilius Satyricus IX.
Lucretius Phyſicus XIX.
Macer Veronen. LI.
Mallius mathematicus XLI.
Marcus Marullus LXXV.
Martialis epigramma. LXIX.
Marius Mimographus XI.
Mecœnas XLV.
Montanus XLIX.
Nœuius comicus III.
Nouius comicus XVIII.
Ouidius Naſo XLVI.
Pacuuius tragicus V.
Paulus Paſtienus LXXIII.
Pedo Albinouanus LXIII.
Perſius ſatyricus LV.
Plautus comicus II.
Pomponius Bononien. XX.
Pomponius Secundus LVIII.

Pont

Biblioteca de Galicia

Pontius Paulinus LXXXIX.
Propertius eleg. XLIII.
Prudentius clemens LXXXVIII.
Rabirius III.
Saleius Bassus XII.
Sedigitus LXIIII.
Seneca Tragicus LIII.
Sentius Augur LXX.
Septimius Afer LXXX.
Serenus lyricus LXXVI.
Seuerus XLVII. & LVI.
Sextilius Hæna LX.
Silius Italicus LXV.
Syrus Mimographus XXIIII.
Sollius Sidonius Apol. XCIII.
Statius Cæcilius VI.
Statius Papinius LXV.
Stella LXVIII.
Terentius Comicus VIII.
Terentius Varro XXXIII.
Terentianus LXXXII.
Tibullus elegi XL.
Ticida epigramma. XXXIII.
Trabeas comicus XIIII.
Turpilius comicus. X.
Valerius Aedituus XXVI.
Valerius Catullus XXVII.
Valerius Flaccus Setinus LXVI.
Valgius XXXIX.

Biblioteca de Galicia

Valerius tragicus XLIIII.
Varro Atacinus XXXII.
Venantius Honorius XCI.
Vergilius Maro XXXVII.
Vergilius Romanus Comicus LXXVII.
Vestritius Spurina LXXI.
Voconius Victor LXXII.
Vulcatius Sedigitus LXIIII.

FINIS.

PET

Biblioteca de Galicia

PETRI CRINITI DE HONESTA DISCIPLINA COMMENT.

*

Ad Bernardinum Caraffam Neapolitanum, pontificem Antiochensem, Præfatio.

EGREGIE *factum est, ac prudenter, Bernardine Pontifex Antiochensis, ab ijs, qui veterum Respublicarum atque decretis instituerunt: quoniam cùm alia multa in his, tum illud etiam decreuerunt, vt in illis hominibus præcipuè ornandis, atque illustrandis ratio haberetur, qui plurimum forent consecuti in bonis studijs, atque honestis artibus. Quod abs te præclarè atque diligentissimè factum videmus, qui in tantis patriæ tuæ incommodis, ac periculis, minimè tibipsi, tuæq; clarissimæ familiæ defueris: quò magis laudari ab omnibus, atque approbari debes. Ego verò et amicitiæ iure adductus, quæ inter nos maxima est, & excellentis tuæ doctrinæ merito prouocatus, dicare tibi constitui lucubrationes nostras de Honesta Di-*

Biblioteca de Galicia

sciplina, ac tuo nomini nuncupare: Secutus eorum rationem, qui cum suffragari aliter nequeant, benè saltem sentiendo, atque scribendo studiosè adniuntur, vt gratiam aliquam referant. Quod & Varro Terentius, qui Togatorum omniam doctissimus est habitus, faciendum in amicorum officio existimauit. Neque præterea mihi excidit, quàm liberali congressu, quàm gratus, ac doctis sermonibus me acceperis superiori anno, cùm Romæ agerem. Quòd si nostra hæc neque ad Critolai libram expẽsa sunt, neque ad Cleanthis lucernam euigilata (nam fateri insecitiam nostram maluimus, quàm modestiæ præscriptum egredi) diligentiam tamen adhibuimus haud mediocrem in hoc opere. Neq; aliud à me propemodum quæsitum est, quàm vt ea subinde (vt fit) adnotarem, carptimq; colligerem, quæ & honestatem eruditionis probarent, ac meliora præsertim ingenia iuuarent. Multa in his comperies, quæ ad ius ciuile, & pontificium faciunt: alia rursus, quæ ad institutiones veterum, & humaniores disciplinas pertinẽt, quibus tu quoque miro studio, atque diligentia inuigilas. Neque difficiles quæstiones, aut nimis anxias tractauimus: sed ciuiles in primis, & honestas. Minimè autem dubitamus, fore quidem permultos, qui libidine magis accusandi, quàm animo rectè iudicandi adituri hæc sint: quoniam plerisq; inna-

tum

tum hoc est, vt malint videri in alieno opere ingeniosi, quàm in docendo atque intelligendo alijs prodesse. Nam reprehẽdere, atque damnare imperiti etiam volunt: iudicare ac probè expendere prudentes tantum, atque egregiè docti possunt: ad quorum ego iudicium semper mihi elaborandum existimaui. Sapienter verò & grauiter factum est à P. Scipione, qui vir optimus ab vniuerso Senatu est appellatus. Nam cùm minus probè, atque honestè se consulem nominatum comperisset, ea dignitate se abdicandum censuit: ne tam sanctum nomen vllo vitio teneri crederetur. Ex quo magis etiã Philoxenus videtur commendandus, qui reduci in carcerem maluit quàm parum honesto suffragio eximi. Quod à nobis ob eam causam relatum est, quoniam ætate nostra permulti inueniuntur, qui pari insciti, atque insolentiæ vnumquenque accusant, & assiduis reprehensionibus nulla ratione aut iudicio lacerant. Quorum nos tumidam, inanémque loquacitatem non modò despicimus, sed vbique lõgè contemnendam arbitramur. Libuit autem hoc potissimum opere quandam rerum varietatem, & quasi syluam obseruationum admittere, ne legentium animi in tam varia, multiplicíq; lectione aliquid saltem non inueniant, quod ingenium suum instruere, aut excitare possit. Qua in re autores quidem habemus in Roma-

Biblioteca de Galicia

nis literis magni nominis viros, ac summa eruditione celebres, quales in Atticis commentarijs Gellium, Aurelium Macrobium, ac Probum Valerium. Apud Græcos etiam complures traduntur, qui eandem in scribendo varietatem magno studio sunt consectati, neque id quidẽ sine maximis laudibus. Quò mihi rectius multò videtur eorum sequi autoritatem, qui & in vitæ officijs, & in rebus scribendis rationem habendam duxerunt, non præsentis duntaxat ætatis sed ipsius etiam posteritatis. Quod equidem semper effeci, cùm multis alijs rationibus, tum quòd omnem propè ætatem in bonis artibus, atque honestis disciplinis non minore animi voluptate, quàm studio hactenus consumpserim. Pro quibus eò nunc magis standũ atque in acie durandũ existimo, quò barbari populi infestis armis contra Romanas aquilas: hoc est, meliores literas, cladem & ruinam assiduè moliuntur: quod illis propè ad votũ successerit in tantis Italiæ fluctibus, atque fortunis, nisi per solertes viros atque prudentiores diligenti cura, & optimo studio prospiciatur. Sed hæc aliâs. Tu interim velim læto animo capias hoc nostrum munus. Ita enim licebit pro veteri officio diligentiam nostram probare, & amicitiam inter nos firmiorem atq; integriorem constituere. Vale, & nostra hæc studia Oliverio Caraffæ Cardinali Neapolitano patruo tuo, V. Amplis. cõmẽdabis, Florẽtiæ, Nonis Iunijs, M.D.IIII.

Biblioteca de Galicia

PETRI CRINITI DE HONESTA DISCIPLINA COMMENT.

*

LIBER PRIMVS.

De triplici Tentorio Tamburlani Scytharum principis: & qua conditione Imperator maximus in conspectum, & aciem hostium accederet.

CAPVT I.

NEMINI *dubiũ est, vitam ipsam mortalium fieri multò prudentiorem, & cultiorem ex rerum, historiarumq; obseruatione. Sed ea præcipuè sunt pluris æstimanda, quæ ad vsum magis ipsum, & vitæ rationes conducunt: sicuti exempla antiquitatis sunt, ex quibus ita homines subinde fiunt prudentiores, vt qui optimè antiquitatem calleat, is æquè & præsentia intelligit, & futura plerunque prospicit. Subit autem nunc στρατήγημα, de Tambur-*

Biblioteca de Galicia

lano Scytharum Imperatore, & eius sæuitiæ. Is enim quò maiorem hostibus terrorem, atque metum incuteret, triplici tentorio in exercitu uti consueuit, sic ut in unoquoque dispar color appareret, quo animi quoque mutatio militis intelligeretur. Primum enim colore albo, purpureo secundum, tertium nigro proferebat. Idq; ratione quadam Imperij & victoriæ faciebat, vir alioqui, & gestis, & autoritate clarissimus: nam ex colore tentorij volebat ab his cognosci belli conditiones, cum quibus in certamen descenderet. Prima die cùm in conspectum hostium cum exercitu aduentasset, tentorium illud colore albo explicabatur. In quo significabat nulla in re, si modò se dederent, iniuriam se aliquam illaturum. Quòd si alteram diem hostis expectasset, tum coloris rubri tentorium educebat, quasi ad cædem & sanguinem. Si ad triduum res protrahebatur, pro colore atro omnia quidem atra futura: & extremam cunctis occidionem prænuntiabat.

Quibus disciplinis atque præceptis Persarum reges filios instruerent, & qua potissimùm ætate: ex Platonis Alcibiade.

CAPVT II.

REs digna memoria est, quam Plato Philosophus refert in lib. de ingenio hominis. Nam quum Socrates diligenter disserat, quo studio ac diligentia Lacedæmones ad eruditionem

Biblioteca de Galicia

tionem virtutis πρὸ παιδείας instruantur: mox ad ipsos etiam Persarum reges accedit: eorúmque mirificam sanè ac memorandam disciplinam recenset. Si quidem apud eos, inquit, qui regis filius in regno succedit, primò eius natalem quicunque in regno sunt, celebrant: simúlque in posterum quotannis eandem lucem sacris ac festis vniuersa Asia prosequitur. Mox verò nutriri puer incipit: neque id à quauis nutrice peragitur, sed ab ipsis duntaxat Eunuchis, qui in regis aula omnium optimi censeantur: nam illis ijsdem reliqua omnia demandant, quæ ad pueri curam, educationemq; pertineant. Præcipuè verò diligentiam adhibent maximam, vti natum ipsum decora, & egregia forma habeant: ex quo membra eius & artus accuratè ac diligenter dirigunt, atque componunt. Vbi verò septimum ætatis annum complerunt, ad equestris disciplinæ magistros, atque in ipsas venationes mittuntur. Anno autem XIIII. curam eiusdem suscipiunt, qui magistri regij nominantur: hi quidem & ex vniuersa Persia delecti quatuor sunt, qui cæteris omnibus virtute præstent: videlicet sapientia, iustitia, temperantia, atque fortitudine. Ex his verò primus eiusmodi magicã docet, quæ à Zoroastre Oromasi filio profecta est: quæ nihil est aliud, quàm Deorum cultus. Idémque regia instituta tradit. Secundus

Biblioteca de Galicia

commonet, ut in tota vita veritatem præcipuè colat. Tertius, ne quo affectu aut libidine superetur, sed liberè vitam agere consueſcat: ſibique ipſi primùm imperare, nec alteri ſeruire. Quartus demum intrepidum illum & impauidum reddit: necubi metuendo ſeruus efficiatur. Hæc Plato in Alcibiade retulit: quò facilius præceptor Socrates Alcibiadis animũ ad ipſam virtutem excitæret ſimúlque Delphicũ illud ſubinde reſpiceret: quo monemur, VT SEIPSVM QVISQVE PROBE' COGNOSCAT: necubi imperio animi abutamur: quod à Plutarcho etiam Cheronæo præclarè exponitur.

De Pſyllis ac Marſis, eorúmque poteſtate in venenis tractandis: ac de Exagono legato in dolium ſerpentum conjecto: ac de Syllographis autoribus nõnihil.

CAPVT III.

DE Pſyllorum ac Marſorum populis, qui maximè in tractandis venenis, experiendiſq; valerent, & Herodotus Halicarnaſſeus, & alij permulti ſcripſerũt. Verùm quod in Romanis annalibus ſeruatũ eſt, & à Plinio relatũ, id eiuſmodi certè eſt, vt fidem propè hiſtoriæ exuperet, de viro Exagono: qui quum fortè in Vrbe orator ageret, ac venenorũ vires, poteſtatémque iactaret, Romani quidã conſules volentem eum in doliũ ſerpentũ cõiecerunt, quo tanti

facino

facinoris experimentum facerent: quæ res magnum procul dubio miraculum de Exagono, eiúsque ingenio præbuit: quum serpentes ipsi καὶ τὰ λοιπὰ ἰοβόλα in ipso eum dolio circúlamberent, atque demulcerent. Romanis hoc totum spectantibus. Sedenim populi qui contra venena polleant, etiam Ophiogenes in Cypro insula, itemque Tentyri celebrantur: qui esse adeó crocodilis terrori dicuntur, vt vocem quoque illorum maximè reformident, ac fugiant: nam & fascinationes ab ijsdem fieri traditum est. Psylli autem apud quosdam pro virulentis omnibus ac venenatis intelliguntur. Timonis verò opus inscriptum σίλλοι φιλοσόφων quòd essot amarulentum carmen, plenúmque mordacitatis. Nam & Marcellinus Ammianus Didymum quendam grammaticum Alexandrinum satyricè incessit: quòd is autores, vt inquit, Sillographos imitatus, libro v 1. contra Mar. Ciceronem scripserit: iuxta illud vetus, Sus Pallada. Siquidem in his Didymus Ciceromastix potius dictus est, quàm docti nomen assecutus: quod etiam Gallus Asinius, & Laertius Lacinius pari improbitate facitarunt: cuius commentarius titulo (vt inquit Gellius) infando Ciceromastix diceretur.

Anacharsis Scythæ sententia de popularí Athenienſium ſtatu: & quo pacto populi adminiſtratio ab honeſtis & pru

& prudentibus viris fugienda & detestanda sit.

CAP. IIII.

RElatum est à Plutarcho Cheronæo, quo pacto Anacharses Scytha, qui ex septẽ fuit, Athenienſium ſtatum (qui populi imperio agebatur) breui interiturum prædixerit. Nam quũ fortè is in Athenienſis populi concionem foret deductus, ac ſpectaſſet, ea quidem omnia, quæ ſumma in Republic. & præcipua erant, iudicio populi diſcerni: miratus primò eſt Athenienſium conditionem: qui quum rebus præclarè geſtis, & autoritate apud omnes præſtarent ad tam iniquum Imperium, penéque obnoxium deueniſſent: itaque prudentiſſimè inquit, O' Rempub. breui perituram, in qua viri principes conſultent, populus autem & imperita rerum plebecula decernat: cui videlicet proprium ſit, & in minimis maximè formidare, & in maximis minimè proſpicere. Quod hercle dictum Anacharſis ἐκ Ϝ μαντείου fuit. Ex quo Plato Philoſophus & veritatis vindex, rerúmque publicarum vir conſultiſſimus apertè dicebat, Nullo modo iuſtum Imperium, vel ciuitatem appellandam, in qua popularis improbitas ſumma quæque Reipublicæ munera tractare præſumat. Nec enim de nihilo Charondas (qui leges Athenienſibus condidit) in hunc modum de populo concludebat: Qui ſe populo committit, Fortunam, non rationem ſequit

sequitur: qui fortunæ fauet, periculo & aleæ se dedit: qui in alea est, ad ruinam & cladem inclinat. Sic ille in populo Fortunam, in bonis Rationem ponebat.

Pacuuij carmen relatum de Fortuna, eiusque multiplici potestate. Et quid item de eadem C. Plinius scripserit.

CAP. V.

QVoniam permulta passim ab autoribus de Fortuna, eiusq; viribus scribuntur, libitum nobis in præsens Pacuuianum apponere: in quo graphicè quidem & eleganter vis ipsa Fortunæ, ac potestas, ab eo sit expressa his versibus:

Fortunam (inquit) insanam esse & brutam perhibent philosophi.

Saxiq; ad instar globosi prædicant esse volubilem:

Quia quò saxum impulerit fors, eò cadere Fortunam autumant.

Cæcam ob eam rem esse vocant, quia nil cernat quo sese applicet.

Insanam autem aiunt, quia atrox, incerta, instabilisq; sit.

Brutam, quia dignum aut indignum nequeat internoscere.

Hactenus Pacuuius: quod etiam carmen M. Cicero in Rheto. retulit: ne quis in eo quæritando diutius fatigetur: etsi quidam paulò indoct

Biblioteca de Galicia

indoctius id vt solutam Ciceronis orationem adducãt. Plinius autẽ in hunc modũ de eiusdẽ Fortunæ potestate ad Cæsarem Vespasianum, Toto, inquit, mundo, & locis omnibus, omnibúsque horis, omnium vocibus Fortuna sola inuocatur, & vna nominatur, vna accusatur, vna agitur rea, vna cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cũ conuicijs colitur: volubilisq; à plerisque verò & cæca etiã existimata: vaga, inconstans, incerta, varia, indignorũq; fautrix Huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta: & in tota ratione mortaliũ sola vtranq; paginã facit. Apud Scythas verò eiusdẽ simulacrum sine pedibus fingebatur, vt manus tãtũ & pẽnas haberet. Apud Smyrneos autẽ eiusmodi fuit, vt capite polum fulciret, & manu altera Cornu Amaltheæ retineret: quæ Bubali statua etiam à Pausania describitur.

Quam eruditè Plato philosophus scripserit, Homines iracundos memoria præstare, graues autem obliuione. Tum de Thracensibus populis, & cœli potestate.

CAP. VI.

NEmo est omnium qui ignoret, qualis quãtúsque Plato philosophus & vitæ, & ingeniorum existimator fuerit, vt eius quidẽ iudiciũ in quaque re ad amussim factum meritò credatur. Sed eruditè, ac prudenter visus mihi est eos homines adnotasse, qui vel iudicio, vel memo

Biblioteca de Galicia

memoria præstēt. Tum quo maximè argumento hoc totū prænoscamus. Nam eos inquit maiori memoria esse, qui ad irā & cōtentionē facilius excitātur. Eos verò qui modestiā & grauitatē præ se ferūt, segniores plerūque, & obliuioni obnoxios. Sed verba ipsa subiiciemus ex Platonis libro de Scientia, quo loco Demetrius cū Socrate hanc partē exequitur, de Theæteto agens: Est admodū inquit, arduum reperire hominem ingeniosum, qui simul etiā māsuetus, atque modestus sit. Nec enim fuisse quenquā hactenus, aut esse video, qui eo naturæ genio sit, vt vtrūque simul habeat: Sedenim qui acuti sunt, callidique, ac memoriosi, & dociles, in īracundiam ferè atque cōtentiones ferūtur præcipites, atque raptātur, perinde ac ipsæ naues sine vllis retinaculis: idémque homines furore potius quodā, quàm fortitudine præstant. Verùm qui natura grauiores sunt, sicubi se, inquit, ad disciplinas conferunt, tardi, desides, obliuiosi, atque obtorpescentes vidētur. Nā & Thracenses populi, vt est autor Aristoteles, quia robustiores, hebetioréque sunt, nullius propè memoriæ cēsentur: siquidē ad quatuor tantū enumerant, neque vltra rationē producūt: quòd eis priora excidant, si plura communerēt, sicuti pueruli faciunt. Quæres cæli, vt opinor, merito, & deliramys accidit: quando ipsi ferè homines, καὶ τὰ ἄλογα ζῶα magna ex parte ex illis cōstāt. Vnde sic Iulius Maternus

Biblioteca de Galicia

ternus ad Maurtium Lollianum in astronomicis: Quædã (inquit) gẽtes ita à cælo formatæ sunt, vt propria sint morum vnitate perspicua. Scythæ immanis feritatis crudelitate grassantur. Itali fiunt regali semper nobilitate præfulgidi: Galli stolidi: Auari Syri: acuti Siculi, luxuriosi semper Asiatici, & voluptatibus occupati: Hispani elata iactantia animositate præpositi.

De obitu Hermolai Barbari Veneti, & Pici Mirandulæ officio erga eundem, quũ pestilentia in Vrbe laboraret.

CAP. VII.

QVo tẽpore has nostras cõmentationes meditabar, relatũ mihi est, Hermolaũ Barbarũ (qui Romæ tũ agebat) pestilentiæ morbo affectũ: quæ res Picũ Mirãdulã, & Angelum Politianũ, viros, & ingenio, & doctrina nobiles, ita statim cõmouit, atque affecit, vt illacrymari propemodũ cœperint, ac sortem bonarũ literarum maximè dequesti sint: quasi in hoc vno homine Romanæ res periclitari viderentur: neque iactura quidẽ, sed naufragiũ foret, si Hermolaus interiret. Dein amtẽ Picus, vt vir maximè officiosus, & ingenuè doctus, excogitare cœpit, quonã pacto, qui Florentiæ tum ageret, ferre opẽ Hermolao absenti posset. Itaq; statim pharmacõ cõtra pestẽ, quod ille sibi, siquãdo incidisset, asseruabat diligẽtissimè, curat vt Ro-

mam

Biblioteca de Galicia

mã quàm celerrimè ad Hermolaum deuehatur. Dicebat autem Picus illud ipsum ex oleo scorpionũ, linguisq; aspidum, & alijs eiusmodi venenis cõfectũ: vt nihil fieri posset cõtra pestilentẽ morbũ cõmodius, aut præsentius: sed interim dũ antidotũ ad Hermolaum defertur, sæuiẽte morbo, in fata cõcedit. Quã rẽ libuit hoc loco referre, vt quorũdã insolentiã pariter & inscitiã deprimamus: qui quum seipsos doctrina cæteris præferant, & præferri cupiãt, in hoc maximè gloriãtur, si doctissimo cuique maledixerint: & alia reprehendẽtes, in quẽq; pari demẽtra blacterẽt: cùm sit officiũ viri humanioris, non disciplinis modò, sed etiã doctis fauere: quod ipse Picus Mirandula egregiè præstabat: reputãs animi parũ liberi & insynceri esse inuidiæ magis, quàm doctrinæ concedere. In quo & Plato & Xenophõ meritò sunt à doctis reprehensi: cùm neuter mentionẽ vsquã de altero fecerit, sed obliquè potius alter alterũ perstrinxerit. Quò magis etiam damnandi sunt, quòd amœnitatis Socraticæ duo fuisse lumina creditum est. Et is hercle posterita tem deserit, qui antiquitati addictus, nihil suæ ætati concedit.

De sæuitia Fuluiæ in Ciceronis caput: & qua ignominia habitus sit, ex Dionis historia: & carmen Seueri poëtæ additum de eodem Cicerone. CAP. VIII.

Biblioteca de Galicia

QVantopere sæuitum sit in M. Tullium à M. Antonio post eius cædẽ, testis est vniuersa antiquitas: qualiq; ignominia & iniurijs affectus fuerit, cùm eius sacrum caput ac manus crudeliter abscissæ, ac pro rostris affixæ fuerint. Primò enim allatũ ipsi Antonio caput, in mensa apponi voluit, perq; diẽ illud aspexit quousq; tali spectaculo animũ exsatiasset: deinde tollendum præcepit, vt Appianus Alexãdrinus refert. Sed quod est apud Dionẽ Prusieũ, & in Suidæ collectaneis notatũ, repetendũ arbitror, ne tã sæuũ tum crudelẽ, scelerataq; immanitatem in sacrosanctum eloquentiæ principẽ non cõsideremus: præsertim agẽte hoc fœminæ improbitate. Nã quũ Fuluia Antonij vxor eiusdẽ M. Tullij caput in manibus retineret, primò illud maledictis, ac diris execrata est: deinceps etiam inspuens gremio suo apposuit, acriusq; inspiciens, linguam quoque illi è faucibus extraxit, & in eam sæpe aciculam infixit, qua tunc ad ornamenta capitis vtebatur: ne quid omnino posset ab aliquo desiderari in quo muliebris sæuitiæ argumenta deessent. Huius autem cædem, atque immane facinus permulti apud veteres, tum prosa, tum carmine deploraruntt: vt Porcius Latro, Albutius Sylo, Cæstius Murrhedius, aliiq;. Sed nemo tamẽ elegantius, doctius, efficacius, quàm Seuerus Cornelius his versibus: vti ab Anneo

neo Seneca traditum est:

Oraq; magnanimum spirantia pene virorũ
In rostris iacuere suis. Sed enim abstulit oĩs
Tanquàm sola foret rapti Ciceronis imago.
Tunc redeunt animis ingentia consulis acta,
Iuratæq; manus, deprensaq; fœdera noxæ,
Patriciũque nefas: est nũc & pœna Cethegi.
Deiectúsque redit votis Catilina nefandis.
Quid fauor, aut cœtus, pleni quid honoribus anni.
Profuerint sacris exacta quid artibus ætas?
Abstulit una dies æui decus: ictáque luctu
Conticuit Latiæ tristis facundia linguæ:
Vnica sollicitis quondam tutela, salúsque.
Egregium semper patriæ caput: ille senatus
Vindex, ille fori, legum, ritusq; togæq;
Publica vox* eius æternum obmutuit armis: *sæuis.
Informes vultus, sparsamq; cruore nefando
Canitiem, sacrasq; manus, operũq; ministras
Tantorum, pedibus cuius proiecta superbis
Proculcauit onans: nec lubrica fata, deosque
Respexit: nullo luet hæc Antonius æuo.
Hoc neq; Aemathio mitis victoria Perse,
Nec te dire Syphax, non fecit in hoste Philippo:
Inque triumphato ludibria cuncta Iugurtha
Affuerat: nostræq; cadẽs fer' Annibal iræ:
Membra tamen Stygias tulit inuiolata sub umbras.

Biblioteca de Galicia

Taciti verba explicata in Iudæorum historiã: & quo pacto Christiani etiam sunt Asinarij appellati: quaque ignominia Christi effigies ab antiquis depicta fuerit: in quo insolẽtiã pariter atque odiũ contra Christianam religionẽ ostenderunt. CAP. IX.

VErba sunt Cornelij Taciti, quo loco historiam de Iudæorum origine, & moribus scribit. Assensere Iudæi Mosi duci, atque omnium ignari, fortuitum iter incipiunt: sed nihil æquè quàm inopia aquæ fatigabat. Iamq; haud procul exitio totis campis procubuerunt: quum grex asinorum agrestium è pastu in rupem nemore opacam conscendit. In quibus vulgatissimi ferè codices depravati alicubi cõperiuntur, & quidem ineptissimè, vti res ipsa, & Sept. Tertullianus docet, qui Taciti verba mutuatus ad hunc modum in Apologetico id explicat: Refert (inquit) Tacitus Iudæos Aegypto expeditos, siue (vt putauit, extorres, vastis Arabiæ aquarum locis egentissimos, quum siti macerarentur, onagris, qui fortè de pastu potum petituri existimabantur, indicibus fontium vsos: ob eamq; gratiam consimilis bestiæ superficiem consecrasse. Notum est enim quod ipsi quidem Iudæi ab Appione Alexandrino: Moloneq;, & alijs notati sint, quòd aureũ asini caput in tẽ

pli sa

Biblioteca de Galicia

pli sacrario seruarent, atque adorarent: quoniã Mose duce (vt improbè asserunt) asinorum beneficio aquas Iudæi inuenerunt. Quod esse falsum & planè fictitiũ Iosephus Iudæorum vernaculus, & templi sacerdos, aliíq; complures asseuerant. Vnde idem Tacitus, vt mendaciorum loquacissimus, à nostris meritò incessitur. Romani autem veteres pari causa & Christianos æquè ac Iudæos Asinarios vocarunt, obstinato videlicet in Christi nomen odio, quem per ignominiam etiam Chrestum per e, literã appellabant. Sed & figuris, picturísque Christianis illudebant: quando infando etiam picturæ genere Deum nostrum sic depictũ spectãti populo proposuerũt, vt is foret auribus asininis, pede altero inunguiatus, librũ gestans, & togatus. Cui flagitio vt scelus adderent, tali titulo Christi effigiẽ dedecorarunt: Deus Christianorum ὀνόχοητος: qua in re vel ipse quidem Tertullianus ægrè à risu abstinuit, quum nomen ipsum, & formam conspiceret.

Dictum Theodori Gazę nimis improbum cum Bessarione Philosopho, super doctrina diui Hieronymi: & quomodo iniquius pro Ciceroniano fuerit accusatus.

CAP. X.

DIctũ est celebre Theodori Gazæ de diuo Hieronymo, eiusq; eruditione, affectum

Biblioteca de Galicia

fuisse iniuria Hieronymum à Rufino, quòd eũ pro Ciceroniano accuſet: in quo paulò audacius ironia eſt vſus: Nam quid (inquid) opus, vt in re falſa in ius appellaretur, litémque illi ad tribunal Chriſti de nimia eloquentia conteſtaretur? Sed hoc totum de Gazæ ingenio & acumine pro re nata exponemus. Erant fortè cùm Beſſarione Niceno, viro in philoſophia excellẽti Theodorus Gaza, & Plethon Byzantius, qui cognomento γέμιστος appellatur: tres eo tempore, vt conſtat, viri doctrina, & ingenio nobiles. Quæſitũ eſt igitur de diuo Hieronymo quãtum in Romana eloquentia præſtiterit. Ex quo Beſſarion: Facundia, inquit, maxima fuit apud Latinos Hieronymus: quando & affectatæ nimis eloquentiæ pro Ciceroniano & habitus ſit, & accuſatus: In quo Theodorus dicitur riſum mouiſſe, vt qui foret in Romana etiã eloquentia cẽſor acerrimus. Et ſimul iniuria hæc, inquit, ô Beſſarion, inſignis in Hieronymum facta eſt à Rufino: plagaſq; illas nullo ſuo merito tulit. Quo dicto Beſſarion & Gemiſtus magis riſerunt, cognito Theodori ingenio, & Attica vrbanitate. Neq; prorſus negauerim, quædam eſſe in Hieronymo, quæ non vſquequaque Romanam in dicendo puritatẽ, atque elegantiam probant. Quod equidem vitium, ſi id vitium eſt non homini, ſed tempori, & profeſſioni tribuendum exiſtimo. Nam inter Chri

ſtian

stianos homines, vt idem inquit Hieronymus, non eloquentiæ, sed vitæ accusantur vitia. In quo tamen improbior, atque audacior videri potest Theodorus, qui tam aperte contra Papiam legem Latinam ciuitatem inuadat: eumq; virum in ius appellet, qui de omnibus veterum disciplinis quàm optime meritus dicatur.

De Sociatis constantia cum vxoribus, ac de eius effigie & deformitate, ex Hieronymo: tum de imaginibus philosophorum in veterum gymnasiis.

CAP. XI.

LIbrum fecit Hieronymus contra Iouinianum, in quo de bono & laude virginitatis cùm copiosè disserat, complureis fœminas recenset, quæ tali merito apud varios populos ac nationes præstiterint: prætereáque mala & incommoda, quæ ex ipsis vxoribus proueniant. Vnde quum de Socrate philosopho ageret, quâ constanti animo earum iurgia & contumelias perferret: Non modo, inquit, Socrates hãc vxorũ improbitatẽ patiẽter ferebat: sed illas vltrò de sua etiã deformitate irridebat. Nam Xantippe quidem, & Myrtho, quæ filia Aristidis fuit, siue (vt tradit Hieronymus) neptis, cùm Socratis ambæ forẽt vxores, ex lege illa Atheniensiũ ob ciuitatẽ replendã, in muliebres subinde cõtẽtiones propter eundẽ Socratẽ deueniebãt. Sed is in hũc modũ illis inter se iurgãtibus

Biblioteca de Galicia

perurbanè illudebat, vt à tali improbitate & conuitijs abstinerent: neque dignum esse, vt propter eum disceptarent, qui esset homo tam fœdus, ac deformis: quiq; simis naribus, recalua fronte, pilosis humeris, & repandis cruribus. Hæc Hieronymus de facie philosophi Socratis: quæ me quoque monuerunt, vt ea referam, quæ de forma, & effigie veterum philosophorum in Athenæis gymnasijs, Prytaneisq; olim viserẽtur, sicuti Sidonius Apollinaris ad Faustum tradit. In Areopagis, inquit, vel gymnasijs curua ceruice Zeutyppus, Aratus panda, Zenon fronte contracta, Epicurus cute distenta, Diogenes barba comante, Socrates coma candente, Aristoteles brachio exerto, Xenophanes crure collecto, Heraclitus fletu oculis clausis, Democritus risu labris apertis, Chrysippus digitis propter numerorum indicia constrictis, Euclides propter mensurarum spatia laxatis, Cleanthes propter vtrumque corrosis.

Quanta prudentia, ac doctrina Messala Coruinus præstiterit: & quomodo præfecturam Romanæ Vrbis recusauit, vt inciuilem, atque immoderatam dignitatem.

CAPVT XII.

DIctum à nobis alias de Imperatore Diocletiano, eiusque ciuili animo, atque modestia in Romano Imperio gubernando: cùm

ciuile

Biblioteca de Galicia

ætate iam edita in suis hortulis molliter consenescere in otio maluerit apud Salonas, quàm Romanæ Reipu. administrationem subire. Sed illud de Messala Coruino dignum satis existimaui, quod hoc loco referretur, viro in publicis officijs, atque omnibus disciplinis clarissimo. Is igitur primus omnium Romanæ Vrbis præfectus constitutus, die sexta (vt ab Eusebio traditum est) ab ea dignitate se abdicauit. Qua in re maiorem habuit rationem pātriæ, quàm suæ dignitatis: vt qui diceret, Inciuilem, atque immodicam esse potestatem, nec in Romana ciuitate ferendam. Quod equidem idcirco seruandum putaui, quoniam præfecturæ ipsæ Vrbanæ, magnas sæpe factiones, atque calamitates in Vrbe excitarunt. De hoc autem Messala, eiúsque singulari prudentia & grauitate, vt alia nunc omittamus, testimonium extat amplissimum Marci Tullij Ciceronis, sic enim ad Brutum: Messalæ, inquit, excellentiam non possum silentio præterire: caue putes quenquam esse illi similem constantia, cura, studio Reipublicæ, & eloquentia, qua mirabiliter excellit. Tametsi Messala idem cùm prouectior foret, memoriæ sensum sic amisit, vt sui quoque nominis oblitus tradatur. Idq; illi biennio ante obitum cōtigit: quod Orbilio itidem Beneuentano accidisse constat. Vnde illud poëtæ Bibaculi, Orbilius vbinam est literarum oblitio.

Biblioteca de Galicia

Christianos fuisse per ignominiam Semissios & Sarmentarios vocatos, & quòd Semisses homines pro minutionibus, & ignauissimis à veteribus dicantur.

CAP. XIII.

PAlàm est, quãta libidine, ac sæuitia Romani olim principes Christianos homines insectarentur, surgentemq; religionem comprimere conati sint. Nam & sæuissimis decretis, atq; edictis non abstinuerunt, quò tam propensam religionem, & egregiam animi constantiam perfringerent, quod immanes propè autores testantur. Itaq; conuitijs etiam & maledictis Christianos vulgò exagitabant, Semissios, & Sarmentarios ridiculo nomine appellantes, vt à Septimio Tertulliano proditum est: neque alia ratione sic eos vocarunt, quàm quòd ad stipitem dimidij assis reuincti sarmentis additis concremarentur. De quo supplicij genere Pãphilus quoque Eusebius meminit. Quin & Augustinus sarmẽtis tradit complures Christianos consumptos: quocirca Sarmentarios dictitabant. Semisses autem illi homines à veteribus sunt nuncupati, qui breuiculi, atq; minutiores extarẽt quasi ad mensuram dimidij assis vt semodios, & semũcias dicimus. Vnde P. Vatinius ad Ciceronẽ: Simius (inquit) non semissis homo, contra me arma tulit. Sed & Tiberius Donatus in commentario Vergiliano ad Donatian

natianum filium. Semiuiros dici refert, quasi ex semissibus constantes: quibus nihil haberi deterius potest. De usuris autem quæ per besses, & semisses dicerẽtur, cõmode à nobis dictũ est.

Anquiro, & Anquisitiones, vocabula esse Romana, & honesta: quibusque autoribus id asseratur, contra quorundam inscitiam. CAPVT XIIII.

RIsum mihi Grammatici quidam nuper mouerunt, cùm Romæ agerem: Nam inter alias eorum ludicras quæstiones, atque ineptias, verbũ hoc, quod est Anquisitio, & Anquirere, perinde atque insolens, & inhonestum asserebant: neque dignũ, quod à Romanis hominibus pro Latino, & syncero haberetur. Quod ego pro tempore dissimulandum potius, quàm exponendum putaui. Sed hoc quidem verbum satis frequens apud veteres comperitur, etsi alicubi deprauatum sit, proq; eo Inquisitiones reposítum. Nec enim Liuius tantum in Romana historia usus est, sed & M. Cicero, & Iunius Columella: M. quoque Sergius commentarium scripsit Anquisitionum titulo, sicuti à Terentio Varrone obseruatum est: quo loco de Accensi officio, ac potestate disserit. Dictũ uerò eadẽ figura est, qua & Amputare, & Ambustum, & Ancæsum dicimus. Nam Amputare circumputare est: ut à Sexto etiam Pompeio

peio exponitur: vnde aurum purum pro puro & purgato ab antiquis acceptum est. Anquisitiones autem intelligimus cùm diligenti perueſtigatione aliquid circum quæramus: quod & Ver. Flaccus probauit. Hinc etiam annus deductus est, ab ipſo temporis circuitu, vt ex Capitone Atteio refert Macrobius: quoniã An, pro circum veteres poſuerunt: vnde An terminos, circum terminos, & Anſanctum, & Ambire pro circumire: quæ Grammaticorum commentarijs permulgata atque detrita ſunt.

Quod eodem die natalis Alexandri Macedonis fuit, & templi Dianæ Epheſiæ concrematio: ac de autore ipſo incendij cognitio non iniocunda.

CAPVT XV.

IN veterum libris ſeruatum est, eodẽ die natalẽ Alexãdri Macedonis fuiſſe, & Epheſiæ Dianæ templum illud memoratiſſimũ incenſum: quod inter VII. *toto orbe pulcherrima refertur. Id autem accidit Olympiade* CVI. *vt Annales tradunt. Nomen verò ei, qui tantum facinus fuerit aggreſſus, fuit Heroſtrato: Itaque cùm captus foret, atque interrogatus ab Epheſijs, quánam ratione adductus, tantũ ſcelus perpetraſſet: non aliam ob cauſam reſpõdit, quàm vt maiorem nominis famam, atque æternam celebritatem cõſequeretur. Quo comperto*

Biblioteca de Galicia

perto decretum ab omnibus Ephesiis factum est, ne quis eum vllis vnquam temporibus nominaret. Neque me latet septies fuisse id templum restitutum, vt Mutianus est autor. Strabo autem vir in perquirendis veterum monumentis diligens, refectum asserit, longéque præstantius, ac maioribus ornamentis absolutum, Dinocrate tanti operis autore, qui Alexandriam quoque vrbem construxit: qua in re Athenodorus quidē, ac Timæus à Strabone aduocantur.

De doctrina Annei Senecæ Philosophi, & eius sententię allatæ quæ sint ab omnibus ediscendę, & obseruandę.

CAP. XVI.

IN Seneca Anneo complura passim compertes, quæ animi magnitudinem, cōstantiámque & grauitatem maximam indicent. Nam de hominis eloquutione, & stylo orationis nihil mihi dicendum existimo hoc loco: cùm nostri quidem Critici vt incultum, atque inelegantem meritò notauerint. Quod si mores in eodem quærātur, si vitæ præcepta, si æquitas, modestia, continentia, cæteræque virtutes exigantur perdoctè id quidem, & grauiter laudatas ab eo, & absolutas inueniemus: cùm vitia quoque, & libidines, omnemque nequitiam magno studio repulerit, & constanter depresserit: eiusmodi sunt hæc quæ nuper veluti Pythia

thiæ oracula censui ediſcenda, ac in memoria ſemper retinenda. Nihil eſt, inquit, turpius, quàm grandis natu ſenex, qui nullum habet aliud ſuæ vitæ argumentum, quo ſe diu vixiſſe dicat, præter ætatem. Item & illud de officijs & actionibus hominum: Ita viuendum, inquit, cũ hominibus tanquam Deus videat: ſic loquendũ cum Deo, tanquã homines audiãt. Quæ cùm nuper Ioannì Canaccio retuliſſem, omnibus quidẽ locis atq; tẽplis habenda atque obſeruanda aſſeruit, homo non minori conſtantia animi inſignis, quã egregia vitæ ſyncritate. Neque mirum videri debet ſi diuus etiam Hieronymus hunc ipſum Senecam in Chriſtianorum academiam, ac ſanctorum Catalogum pertrahere conatus eſt.

Quod ſit grauiſſimum ſcelus, Auaritiæ crimen: ac verba ibidem ex epiſtola Caſſij, & alia ex Salluſtio ad id pertinentia. CAP. XVII.

QVàm multa & quàm varia ſcripta ſint à veteribus cõtra Auaritiã, palàm eſt: cùm omnes propè autores magnis quidem conuitijs, inſectationibusq; tantum ſcelus execrati ſint. Sed Auidij Caſſij verba ex eius epiſtola repetenda ſunt: quoniam ſi hoc malum priuato homine indignum eſt, certè in principe nefandum, atque malẽdandum. Sic igitur Auidius Caſſius ad generum ſuum: Miſerã rem-

pub

publicam atque infelicem, quæ nimis diuites, diuitiarumq; cupidos patitur. Itaq; M. Antonius Imperator, vir & moribus, & rebus gestis clarissimus, nihil in tota vita magis timuit atq; deprecatus est, quàm Auaritiæ famam: sicuti relatū est à Iulio Capitolino. Nam quantum à tali crimine abesset, testes optimi sunt eius epistolæ. Vero autem verius est, quod à Crispo Sallustio refertur in hūc modum: Bēlua fera, immanis, intoleranda est Auaritia: quò intendit, oppida, agros, fana, atque domos vastat, diuina cum humanis permiscet: neq; exercitus, neque mœnia obstant, quò minus vi sua penetret: fama, pudicitia, liberis, patria, atque parētibus, cūctos mortales spoliat. Ex quo illa nobilis, ac vehemens execratio: Si essent inferi, Auaritiæ cuniculi eos refodissent. Quod ob eā rationem seruaui, vt facilius considerari possit, quantum ætate nostra in eorum dignitate, ac imperio sperandum est, qui ad aurum, & diuitias congerendas animum semper intendunt, cùm sit hoc vitium præter cætera omnia vitiosissimum.

Indigitare deos, quid sit: ac de Indigitamentis: & quid ij Indigetes vocati sint, ex multis autoribus. CAP. XVIII.

VErba sunt in veterum commentarijs Indigitare, & Indigitamenta: de quibus nōnihil dicendū existimaui, cùm paulò sint obscurio

ſcuriora, & à nonnullis ineptè expoſita. Indigitare igitur pro eo accipere debemus, quod eſt Indigetem & diuinum comprecando reddere. Nam eos dicimus ferè Indigetes (vt à multis traditur) qui nullius rei egeant. Id enim eſt tantũ deorũ, vt Xenophon Socraticus aſſerit. Hinc illud peruulgatum, Calendis Maijs ſolitos veteres bonam Deam, Faunamq; & Opem & Fatuã ex Põtificũ libris indigitare. Virgines autẽ Veſtales cũ indigitare Apollinẽ vellent (vt à Vectio Prætextato refertur) Apollinẽ medicum, Apollinẽ pæana dicebant: quo loco celebrare, & comprecari à Feſto expoſitum eſt. Sed & Frontinus Vrbẽ Romã veteri verbo Indigetem vocauit: Romana, inquit, vrbs Indiges, terrarumq; dea: cui par eſt nihil, & nihil ſecundum. Dij præterea Indigetes illi habiti ſunt in pontificũ libris, quorũ nomen vulgari non liceret, vt autores ſunt Verrius, Dionyſius, & Feſtus. Quãquã Aeneas quoq; Indiges dictus eſt, eidemq; templa conſtructa, cũ in certamine cõtra Mezentium nunquã comparuiſſet. C. verò Flaccus librum compoſuit de Indigitamentis, eúmque ad Cæſarem miſit, vt Cenſorinus meminit, cùm de nomine & poteſtate Genij diſſerit. Neque illud ignoramus, Indigitamenta à quibuſdam pro incantamentis & veneficijs exponi. Sed hoc ab indagando, vt puto: alterum ab indigendo deductum eſt.

PETRI

PETRI CRINITI DE HONESTA DISCIPLINA

* *
*

LIBER II.

Remedium de soluēdis amoribus, cum mirifico exemplo Faustinæ, ac de natali Commodi Imperatoris, qui omnium crudelissimus fuit. CAP. I.

RELATVM *est in Græcorum cōmentarijs, quanam ratione, ac remedio vti homines oporteat in soluendis amoribus: neque Magi tātùm in suis libris hoc tradiderunt, sed etiam Cadmus Milesius, qui inter alia historiæ monumenta libros aliquot composuit de abolendo amore: sicuti scriptum est in Suidæ collectaneis. Nos verò exemplum nunc apponemus de Faustina illustri fœmina, quæ cùm Antonini Pij Imperatoris filia esset, & Marci Philosophi vxor: tamen gladiatoris amore nimio, ac supra fidem tabesceret: mirifico prorsus commento excogitatum est, vt à tanto amoris contagio eam redimerent. Nam cùm M. Impera-*

Biblioteca de Galicia

tor ex ea rem percepisset, Chaldæis hoc & mathematicis exposuit: à quibus decretum est pro Faustinæ salute, vt occiso gladiatore, quem illa maximè deperibat, eiusdem cruore epoto se sublenaret, ac statim cum viro suo concumberet. Quo facto (vt traditur) ipsa quidem Faustina amoris contagio liberata est, ac ex eo quidem cõcubitu natus mox Antoninus Commodus, qui Romanum Imperium gladiatorijs pugnis, ac sæuissimis cædibus, vt homo sanguinarius, adeò attriuit, vt gladiatoris nomen non Imperatoris meruerit: quod & Iulius Capitolinus ad Cæsarem Diocletianum refert: quanquàm nec ignoramus quidem hoc totum de ortu Commodi Augusti veluti commentitium καὶ ἄπιστον à quibusdam referri: quando idem Capitolinus ex vulgari fabella circumlatum hoc asserat.

De studio ac literariis vigiliis Pici Mirandulæ: tum inibi Apologus perelegans de Furio Cresino, ex Pliniana historia allatus. CAP. II.

FActum est, vt Picum Mirandulanum nuper audirem de Philosophia doctè, atquè egregiè differentem. Ibiq; cùm Angelus Politianus, & alij complures eius ingenium, atque multiplicem eruditionem laudarent, ac mirabundi extollerent. Non est (inquit Picus) vt hac in re mihi, aut ingenio meo velitis blandiri

diri. Quin respicite potius ad labores, & vigilias nostras: ac tum facilè intelligetis, gratulandum potius assiduis vigilijs, atque lucubrationibus, quàm nostro ingenio plaudendum. Et simul aspicite (inquit) supellectilem nostram, atque librorum Thesauros. Ostendebat autem egregiè instructam atque copiosam bibliothecam, librisque affatim omnigenis refertam. In quo recordatus equidem sum veterem historiam Furij Cresini elegantem sanè & lepidam: quæ perinde à nobis nunc refertur, atque à C. Plinio posita est, quo loco de agris colendis præcepta exponit. C. (inquit) Furius Cresinus è seruitute liberatus, cùm in paruo admodum agello largiores multò fructus perciperet, quàm ex amplissimis vicinitas: inuidia magna erat, ceu fruges alienas veneficijs pelliceret. Quamobrem à Spurio Albino Curuli die dictam metuens damnationem, cùm in suffragium tribus oporteret ire, instrumentum rusticum omne in forum protulit, simúlque filiam adduxit validam, atque (vt ait Piso) bene curatam, ac vestitam: ferramenta egregiè facta, graues ligones, vomeres ponderosos, boues saturos, ac postèà dixit: Veneficia mea, Quirites, hæc sunt: neque possum vobis ostendere, aut in forum adducere lucubrationes, vigilias, & sudores. Quo dicto omnium sententijs absolutus est. Sed enim illud in studijs dolendum est

Biblioteca de Galicia

doctioribus, quòd etsi gratum sit reperiri aliquos, qui admodum in disciplinis profecerint: Non tamen æstimatur, aut expenditur, quantis vigilijs, atque laboribus hoc totum sint assecuti. Ex quo prudentissimè Cicero: ad Deos Hercules (inquit) nunquam abyssset, nisi cùm inter homines esset, eam sibi viam in cælum munivisset.

De subselliis eorúmque vocabulis: & quid maximè Scimpodium, quid Scamellum, & quid Suppedaneum, ex veterum autoritate. CAP. III.

VErum profectò illud est Q. Ennij: Eum præterpropter vitam viuere, qui assiduè in otio oblitescit. Quod ego semper censui quouis tempore effugiendum, tum ijs maximè viris, qui alios iuuare velint, ac posteritatem ipsam in aliquo possint instruere. Et cùm nuper legerem veteres quorundam commentarios, offendi in his voces aliquot minimè vulgatas, aut communes, quibus sedes, earúmque species notarentur. Vnde libitum mihi est, aliquid subijcere, quod aliqua in parte ad hoc pertineat, memoriámque ipsam communiat, ne bono otio vsquequaque abutamur. Sunt autem quæ in præsentia occurrunt hæc: Tripodes, Subsellia, Stratum, Hemicyclum, Trochus, Exhedra, Scimpodium, Lectica: vnde etiam lecticarij, & in Vrbe Roma castra lecticariorum celebrant

lebrantur. Transtyberina regione à P. Victore. Sed & Cathedra, Hypodion & Torus. Segestria quoque Scamellum, Siliquastrum, Sellæ, & Bisellium. De his enim Var. Terentius agit in libris de Latina lingua ad M. Ciceronẽ. Tum à sedẽdo multa scribit deflecti. Nam à sedendo (inquit) Sedes, Sedile, Sellæ & Siliquastrum, & ab his etiam subsellium. Sicuti Subsipere, quod non planè sapit: sic quod non planè Sella erat, Subsellium: vbi autem duo forent, Bissellia dicebantur. Vnde & Pedianus Asconius Subsellia inquit ea esse, quæ triumuiris, quæstoribúsque darentur, illúq; etiam qui minora iudicia exercerent: Sellas autem fuisse curules, ac tribunales. Scimpodium verò Sellæ genus apud veteres, quod in Græcia frequens fuit, vnde illud Gellius Græciense appellauit: Offendimus (inquit) Frontonem Corneliũ in Scimpodio Græciensi cubantem: cùm pedes graiter ægrotaret. De Scamello autẽ illud sciendum, quòd à Scammo quidem hoc deducitur: sicuti Var. & Priscianus docent. Iuniores Scabellum dixerunt ex affinitate, vt puto, literarum quæ sit inter M, & B, nam quod in poëmate Dauid legitur, ὑποσκαμματα τῶν ὑποποδίων τῶν ποδῶν αὐτοῦ, ὅτι ἅγιόν ἐστιν. Veteres interpretes, non scabellum, vt Hieronymus: sed suppedaneum interpretari maluerunt: quod Augustinus etiam & alij referunt.

Biblioteca de Galicia

In vitæ officiis habendam generis, ac dignitatis hominum rationem: & quàm prudenter ad Hadriano Imper. factum sit cõtra ignobilem libertum: ac ibidem quoque de Auguſt. Octauij prudentia & ciuilitate in re ſimili. CAPVT IIII.

NOn iniuria factum eſt, vt Varium Antonium Auguſt. Annales atque hiſtoriæ veterum plurimùm accuſent, quòd inter alia eius portenta ac ſcelera, Vrbis Romanæ maieſtatem contempſerit: Senatumq; ipſum, vt homo inſolentiſſimus, velut abiectum mancipium ita poſthabuerit, vt honores, præfecturas ac dignitates per ſeruos etiam ac libidinum miniſtros vendiderit: ac plurimos paſſim in Senatum conuocarit, nulla ratione habita ætatis, non cenſus, non generis, aut virtutis. Aelius autem Hadrianus cùm Senatoriam grauitatem ſummis honoribus ac ſtudio perſequeretur, apertè oſtendit, quantum Romanæ dignitati concederet, quòd ab ipſo Spartiano deſcribitur. Sed illud tamen eiuſdem Imperatoris dignum profectò facinus viſum eſt, quod hoc loco afferatur: Nam cùm libertum ſuum inter duos fortes Senatores medium ambulantem aſpiceret: paſſus non eſt talem tãmque iniquam Senatoriæ dignitati afferri ignominiam. Itaque aulicum ſtatim quendam delegauit, qui audaciam eiuſmodi comprimens, illi colaphum infligeret

fligeret, ac insuper adderet. Noli impudens inter eos ambulare, quorum esse adhuc seruus potes. Qua in re sapienter ab Hadriano Cæsare probatum est, non pertinere ad principum dignitatem atque fortunam amori amplius quàm virtuti concedere. Quod Octauius quoque Augustus prudentißimè atque ciuiliter obseruauit, qui suos omneis amicos in Vrbe pari iure ijsdemq; legibus, atque cæteros teneri voluerit: quin & maximè conquestus est, quod ipse Romanus populus liberis suis in theatro assurrexisset: ac si quando eos populo commendauit, vt homo grauißimus semper adijcere consueuit, si merebuntur. Quod & Suetonius Tranquillus in historia Cæsarum refert.

De generibus fulminum, quę videlicet Postularia, quæ Pestifera, & peremptalia sint: ac de procurandis fulminibus ex decēuitalibus tabulis, ac de fulguritis arboribus copiosè explicatum. CAP. V.

QVi de fulminibus, & eorum potestate apud veteres scripserunt, permulta quidem genera referunt, eáque cùm ad publica, tum ad priuata spectare asserunt. Nam disciplina ipsa Tuscorum XI. esse fulminum genera existimauit. Rom. verò sacerdotes & aruspices duo ex his tantùm seruarunt, diurna videlicet Ioui, nocturna autem Sumano adscribentes. In vniuersum autem triplici modo appel-

Biblioteca de Galicia

labãt: Postularia videlicet, Pestifera, & Peremptalia: sicuti Sextus Pompeius ex Verrio Flacco retulit: & Anneus quoque Seneca insinuat. Postularia enim ob eam causam vocarunt: quoniam votorum, vel sacrificiorum spretam vel omissam religionem reposcebant. Pestifera secundo loco ea nominarunt, quibus interitus. aut exilium, vel aliqua clades denuntiaretur. Peremptalia verò ea omnia, quæ superiorem fulgurum, ac prodigiorum ostenta, & significationes perimerent, atque penitus abolerent. Sed enim & tempora præstituta, ac definita his erant, ac potestas per ipsos fulguratores populo denuntiata. Quòd & C. Plinius ex Annei libris copiosè probat, qui publica & priuata fulmina, non ijsdem viribus pollere affirmat: nam priuata (inquit) non vltra x. annum existimant portendere: præterquàm hæc quæ matrimonio primo vel natali die facta sunt. Publica autẽ vltra annos xxx. præterquàm in deductione oppidorum. Veteres autem Romani ex Hetrusca disciplina sacerdotes in Vrbe habuerunt qui fulmina ipsa procurarent, ac ritè expiarent: qui fulguratores etiam à M. Catone appellãtur: ex quo in decẽuiralibus legibus ad hunc modum de procurandis, atque expiandis fulminibus:

Sacerdotes cœli fulgura regionibus ratis temperanto:

Vrbem

Vrbem agros, & templa, libera, & effata habento:

Prodigia portenta, ad Hetruſcos & aruſpices deferunto.

Procuranto fulgura, & obſi a pianto.

Procurare enim fulmen, & Expiare, pontificia verba ſunt, & ſuis ſacris attributa, vt conſtat. Quod à M. etiam Cicerone exponitur. Nã & Sueto. Tranquil. Galbæ Imperatoris auum procuraſſe fulgura ſcribit: ac dum ſacra perageret, direpta illi è manibus exta ab aquila, & in quercum delata. Quod ipſi Galbæ Imperium præſignauit. Sed & Fulgurales libri à veteribus citantur, in quibus copioſe ſit explicitum, quo pacto procurari Fulgura deberent, quibúſque victimis poſſent expiari. Vnde & Fulgur Deus & Fulgurator Iupiter, ac eius templum in Vrbe apud autores celebre. Quin & Fulguritæ arbores hinc dictæ ſunt, ſicuti in Plautina fabula ex Philemonis theſauro:

In agro (inquit) fulguritaſſint alternæ arbores:

Sues moriuntur angina acerrume:

Oues ſcabie ſunt tam glabræ, quàm hæc eſt manus.

Hoc autem modo Fulgur, Fulmen, & Tonitruum exponi video: vt Fulgur ignem oſtendat, Fulmen emittat: tertium comminatio quædam ſit & ſonitus ſive ictu.

Biblioteca de Galicia

Quòd C. Plin. à Græcis dissentiat de obitu poëtę Sophoclis: ac de iis etiam nonnihil, qui pro nimio gaudio interierint.

CAP. VI.

CAius Plinius in libro historiæ naturalis VII. *Sophoclem Tragœdiæ poëtam scribit mirifico mortis genere occubuisse: siquidem ex nuntio (inquit) tragicæ victoriæ perijt. Quæ in re Græci ferè omnes autores maximè dissentiunt. Nam & Samosateus Lucianus, quem Firmianus dijs, hominibusq; inimicum dicit, in hunc ferè modum περὶ τῆ μακροβίων ad Quintillum de Sophocle.* Σοφοκλῆς ὁ τραγῳδιποιὸς χάρα σαφυλῆς καλαπὼν ἀπεπνίγη, πίλε καὶ ἀνενήκοντα ζήσας ἔτη. *Astipulatur huic sententiæ & illi poëtæ Sotadis versiculi: in quibus eruditè exponitur, quàm ipsa plerunque innocentia ab iniquitate superetur: tum ipsum quoque Sophoclem ait acino vuæ extinctum.*

Σωκράτιν ὁ κόσμος πεπολικὲ σόφον εἶναι,
Καὶ κακῶς αἰείλε τὸν Σωκράτιν ὁ κόσμος
Εν τῇ φυλακῇ κώνειον ὅπι πίων τέθνηκεν,
Πευλύποδα φάγων ὁ Διαγένης ὠμὸν τέθνηκεν,
Αἰχύλο χρέφονη ὄπιπέπωκεν χελώνη,
Σιφοκλῆς ῥᾶξα φάγων σαφυλῆς, πνιγεὶς τέθνηκε,

Denique & illud Græcis dicteriis vulgatum est, treis Tragœdiæ poëtas vario & mirando fato periisse: Euripidem à canibus, Aeschylũ à testudine, Sophoclem ex vuæ acino. Quod autem

Biblioteca de Galicia

tem Plinius contra cæteros de obitu Sophoclis retulerit, vitio magis memoriæ factum id arbitror, quàm inscitiæ. Haud enim temere aliquid de tanto viro pronuntiandum censeo: qui de omni vita, & bonis disciplinis quàm optimè sit meritus. Nam & Latini scriptores longè in hoc dissentiunt, quum Maximus quoque Valerius pro Plinio faciat. Nã de Anacreõte Teio notius est, quàm vt hoc pluribus debeat exponi: eum scilicet pari obitu ac Sophoclem ex acino vuæ suffocatũ. Qui autem nimia lætitia & gaudio perierint, complures apud veteres nominantur, sicuti Polycrata insignis fœmina ex Naxo insula, Diagoras etiam Rhodius, ac Philippides comœdiæ autor, qui in poëtarũ certamine cum præter spem vicisset, nimio gaudio exanimatus est. Ex quo fortasse Latini autores pro Philippide comico tragicum Sophoclem receperunt, quòd alibi etiam notauimus.

Qui apud veteres fuerint Brutiani serui, & qua ignominia: & qui sint à Romanis habiti Brutij populi, quòd ab illis desciuerint: tum nonnihil etiam de comicis Loratiis. CAP. VII.

RElatum est in veterum commentarijs mirificum quidem exemplum, ac Romana seueritate condignum, contra populos Brutios. Hi enim quo tẽpore Carthaginiensis Annibal Italiam

Biblioteca de Galicia

Italiam cum exercitu inuasisset, ac Romanus populus alicubi minus feliciter cum Pœnis depugnasset, primi quidem ex omni Italia ad Annibalem defecerunt: sed quum superatus Annibal Italia excedere cogeretur, bono atq; vtili exẽplo Senat. Popu. Q. Roma. censuit in Brutios animaduertendum, ac ita eos puniendos, vt nunquam deinde pro socijs Roma. populi haberentur: neque nomina eorum (sicuti antè) in ordinem militiæ scriberentur. Sed illud etiam statuerunt, vt ad maiorem quidem ignominiam omnes Brutij Romanis in prouincijs tendentibus parerent, ac veluti mancipia quædam viliſsima seruiliter ijsdẽ administrarent: adeo graui & iniquo animo Senatus Romanus defectionem populorum ferebat. Hi autẽ Brutij Lucanis confines sunt: quos & bilingues quidã vocarunt, quod Oscè & Græcè loquerẽtur: quod & Sextus ex Verrio Flacco scribit. Vnde etiã Brutianæ parmæ apud veteres nobiles. M. autẽ Cato, quẽ Plinius omniũ bonarum artium magistrum optimum vocat, Quint. Thermum acerrimè insectatus est, quòd is imperauerit, atque autor fuerit, vt ipsi etiam Decemuiri à Brutianis vapularent. Nam Brutianos intelligit eos, qui accincti loris, verbera & plagas incuterent: cuiusmodi sunt in comœdijs & scenicis fabulis, qui Lorarij dicuntur: quorum quidem munus atque officium erat,

Biblioteca de Galicia

erat, vt seruos vincirent, atque verberarent, qualis Terentianus Dromo: quod & Gellius autor diligens in Atticis obseruauit, & Festus etiam Pompeius retulit.

Quo commento Pixodorus pro Deo habitus sit: & de marmoris inuentione, ac de lapidicinis nonnihil, ex Theophrasti libris. CAP. VIII.

PEriocunda sanè ac lepida historia traditur de Euangelo Deo in veterum cõmentarijs: quo videlicet pacto ex inuentione marmoris cælo receptus fuerit: is enim Pidoxorus antè dicebatur. Nam cùm Ephesij ciues templum illud egregium, atque magnificum, Dianæ ex marmore construendum censerent, quod inter septem reponitur, decretum est, vt ex pluribus locis, atque insulis, lapides ac marmora peterentur: veluti ex Paro, Proconeso. Heraclea, aliisque insulis. Is autem Pixodorus in Thaso forte greges pascebat: & quum duo arietes certatim concurrerent, ac summo impetu congressi præteriissent, alter ex his lapidem cornu proscidit, ex quo crusta colore maximè candido emulsa est: quam demiratus Pixodorus collegit, ac relicto pecore cursum ad Ephesios detulit: quod adeò gratũ atque opportunũ ciues habuerunt, vt non modò diuinis honoribus illum colerent, sed Εὑρήμαλον pro Pixodoro nominantes, sacra quot mensibus eidẽ ab Ephe-

sijs ma

sijs magistratibus fiebant. Quod & Pollio Vitruuius refert ad Octauium Augustum, quo maximè libro de machinationibus disserit. Sed & Pixodori lapidicinæ diu pòst ab antiquis nominatæ sunt, sicuti etiam aliæ à Theophrasto celebrantur: in quo περὶ τῶν λίθων: cuiusmodi Pariæ, Pētelicæ, Chiæ, Thebaicæq;, ἐξ ὧν inquit, δὲ καὶ διονομάσθησαν λιθολομίαι Παριανὶς καὶ Πανελληνικῶν, καὶ Χιώας, καὶ Θηβαϊκῶν, καὶ ὡς ὁ περὶ Αἰγυπτίας. Fuit alter etiam Euangelus, qui libros de re militari diligenter conscripsit, quod Aelianus in epistola ad Traianū imperatorem demonstrat. Nam & Plutarchus Chæroneus est autor, Philopœmenem ipsum magnopere fuisse Euangeli commentarijs delectatum, sic vt frequenter eos in manibus haberet.

De ætate Constantij Imperatoris, & Narsetis, ac de epistola regis Saporis ad Imperatorem Constantium, & quid ab eo responsum fuerit, ex Marcellini historiis.

CAPVT IX.

FActum nuper est, vt ego & Politianus in Marciana bibliotheca Florentiæ sederemus: cumq; alij non indocti viri adessent, habitus sermo est longior de ætate & imperio Constantij principis: de Narsete etiam, de Belisario, de Iuliano Byzantino, ac de rege Persarum Sapore. Idq; ipsum ex monumentis cùm Græcis, tum Latinis: quod hi videli-

ces

cet ijſdem ferè temporibus vixerunt, magniſq; & multis conflictibus in Italia, diuerſisq; regionibus contenderunt. Sed ego mox, quum Romanas fortè hiſtorias legerem, offendi epiſtolam Saporis Perſarum principis ad Imperatorem Conſtantium: in qua facilè apparet, quo animo rex Sapor, atque audacia fuerit, quum ad Imperatorem Conſtantium Auguſtum in hunc propè ſenſum per Narſetem legatum literas ſcripſerit. Rex regum Sapor, & Solis, & Lunæ frater, Conſtantio Auguſto ſalutem. Lætatus ſum ad optimã te viam rediſſe, & incorruptum æquitatis ſuffragiũ agnouiſſe, & ſatis expertus es, quantas olim clades nimia alieni cupiditas ediderit. Sed quoniam veritatis quidem ratio libera atque ſoluta eſſe debet, paucis abſoluam, quod aliàs ſæpius recenſui: videlicet ad vſque flumẽ Sermona, & Macedoniæ fines maiores meos tenuiſſe: quod & Romanæ antiquitates teſtantur. Proinde quod ad nos pertinet, audacter id repeto, atque efflagito: eſt enim cordi iuſtitiæ cauſam tutari, quando & à prima quidem adoleſcentia nihil vnquam pœnitendum admiſi. Ideoq; & Armeniam, & Meſopotamiã recuperare molior: quæ auo meo per fraudem atque inſidias ereptæ ſunt. Quòd ſi morem ſuadenti geſſeris, probè quidem ac prudenter feceris: vt reliqua ſecurius, ac ſine vllo diſcrimine obtineas. In quo medicos ipſos, eorumque

Biblioteca de Galicia

rumq; disciplinam secutus fueris, qui aliquando partes corporis quasdam adurere, vel excindere consueuerunt, vt reliquis integris, ac solidis vti liceat: quod & bruta quædam animantia facitant, quæ quum intelligant, cuius rei causa in primis petantur atque capiantur, illud ipsum sponte amittũt, vt impauidè mox, ac sine vllo vitæ discrimine degant. Idem de te pronuntio. Quòd si hæc nostra legatio irrita fuerit, vere proximo instructis copijs, atque omni exercitu accinctus, res nostras (quantum ratio & fortuna permiserit) repetam. Hactenus rex Sapor ad Constantium Augustum: qui has literas diligenter expendit, ac recto pectore (vt inquit Ammianus) librauit. Sed apponam Imperatoris etiam Constantij responsum, quò pars hæc melius possit considerari. Victor terra marique, Constantius Sapori regi salutem. Tuæ sospitati gratulor, vt amicus, si hoc velis: cupiditatem verò animi tui semper indefessam, fusiusq; vagantem vehemẽter insimulo. Mesopotamiam poscis, vt tuam atque Armeniam: proinde etiam suades, vt integro corpori membra quædam adimantur, quò salus de reliquo in tuto à me collocetur: sed accipe veritatem non obscuram quidem aut vllis præstigijs obductam: sed apertam, & perspicuam, quæ nullis omnino minis, aut perterretur, aut diminuitur. Meus prætor præfectus

ctus opinatus cum duce tuo, de pace me quidem inconsultò disseruit, quod hoc in communem vsum fore putabat: id ego neque abnuo, neque repello: modò cum dignitate fiat, neque de maiestate quicquam præripiat. Nam indignum, atque absonũ est, inuidiæ ac iniquitati contra me ansam præbere, quum tyrannis per totum orbem deletis, Romani nobis obtemperent. Simul & ignaui hominis foret, ea nunc prodere, quæ diu illibata seruauimus. Valeant igitur istæ formidines, quæ nobis intentantur: nos enim pro nostra consuetudine, non inertia, sed modestia pugnas magis excepimus, quàm intulimus parati semper iure belli nostra omnia defendere: quod ipsum experiendo, & agendo cognouimus, rarissimum quidem in prælijs rem Romanam titubasse, aut nunquam denique in partẽ deteriorẽ prolapsã.

Quo artificio tonitrua in scenis olim ederẽtur, ac de Metelli Pij immodico luxu atque libidine, ex Sallustij verbis, & quo modo imitatus est poëta Vergilius quum de Salmoneo agit. CAPVT X.

MOs olim fuit in scenicis fabulis Iouem quandoque tonantem inducere: sic vt eius nomine pro re nata tonitrua quædam ederentur, quod etiammum ex veterum comœdijs colligimus. Nam & ludis in ipsa scena absalutis (vt inquit Festus) similitudi-

Biblioteca de Galicia

nem quandam tonitrui imitari consueuerunt. Principio autem eos sonitus ad hunc modum faciebant, vt clauos, ac lapides in labrum æneum conijcerent, ex quo repercussu sonitus ille dissultaret. Sed à Claudio mox Pulchro inuentum est, vt ex coniectu dissono lapidum multò quidem maiores tonitrus, ac verisimiliores viderentur: quod in libro VI. de verborum significatu à Pompeio explicatur. Vnde sic etiam Plautinus Amphitryo: Hem quid hoc? quàm validè tonuit: dij obsecro vestram fidem. Sed quod in Sallustiana historia relatum est de Metello Pio, eiusq; in modico luxu atque superbia, dignum sanè visum est, quod hoc loco apponeretur. Is enim Metellus tam elati, atque insolentis animi fuit, vt seipsum, quasi Iouem, coli pateretur, ac ture ad se litatum, accedere. Quin & hoc instituit, vt instrumentis aptè constructis, eius capiti corona cum tonitru superponeretur. Sed hæc Sallustij verbis repetenda sunt, sicuti in cœnis Macrobianis legitur. Metellus (inquit) Pius à C. Vrbino ac cœnam quum esset inuitatus, vltra Romanum ac mortalium etiam morem curabant, exornatis ædibus per Aulea & insignia, scenisq; ad ostentationem histrionum fabricatis, simul croco sparsa humus, & alia in modum templi celeberrimi. Præterea concidenti in transennam demissum

Biblioteca de Galicia

sum Victoriæ simulacrum cùm machinato strepitu & tonitru coronam ei imponebant: tum venienti ture, quasi Deo supplicabatur. Ex his autem considerari potest, qua ratione veteres in scenicis ludis tonitrua simularent. Vnde etiam de Salmoneo Sallustiana quidem imitatione videtur à Vergilio dictum:

Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Iouis, & sonitus imitatur olympi.
Quatuor hic inuectus equis & lampada quassans
Per Graium populos, mediæq; per Elidis Vrbem
Ibat ouans, diuûmq; sibi poscebat honores
Demẽs, qui nimbos, & nõ imitabile fulmen
Aëre, & cornipedum cursu simularat equorum.

Quę causa fuerit vt Mythologi scribãt, gigantum pedes in volumen desinere: & Lampridij verba exposita de Commodi Imperatoris crudelitate. CAP. XI.

Non pauci ex veteribus fuerunt, qui fabularum mysteria, ac reconditam eruditionem perquirentes, libros de illis composuerunt. In quo etiam studio vetustissimi illi apud Græcos (vt inquit Strabo) & maximè Pythagorici elaborarunt: ne populo inuulgarent, quæ animis tantùm initiatis promenda

Biblioteca de Galicia

essent. Quod & Vectius Prætextatus copiosè apud Macrobium demonstrat. Nam & inter alia quum de Hercule & gigantibus loquitur, Non temerè, inquit, factum apud Mythologos, vt gigantum effigiem sic formarent: vt eorum pedes in draconum volumina desinerent: idque ipsum ea ratione factum refert, quò intelligamus, nihil eos rectum, aut sublime cogitasse, aut effecisse, quum detorti eorum gressus ad inferna demergantur. Neque enim quisquam ignorat, nullã aliam ob rem gigantes ipsos cõfictos, quàm vt impij homines, atque insolentes, & quasi ãbeti crederentur. Vnde in fabulis eos voluisse aliquando deos ipsos de cælo depellere, ausósque contra illos pugnare: quod in cœnis, vt dixi, Macrobianis, tum apud Plutarchũ explicatur. Quod & Seruius Grãmaticus intellexit, qui ex Vulcano asserit natum puerum Erichthonium: sed pedibus (vt inquit) draconteis, vti in Vergiliano commentario retulit. Sed illud notandũ est, quod in Aelio Lampridio legitur: quo loco imperatoris Commodi libidinẽ, atque sæuitiam persequitur. Refert enim à Commodo ipso eos homines, qui pedibus debiles forent, nec ambulare admodum possent, in gigantum effigiem formatos, sic vt quasi dracones, inquit, effingerent: ac deinde sagittis eos conficere solebat. Qua in re signasse illud videtur, quod in modum obtorti anguis

desinere

desuere gigantum pedes diximus. Nam & in vetustis adhuc quibusdam monumentis (vt Pomponius Lætus monstrabat) maiores quædam effigies Romæ visuntur, quæ ipsis pedibus obligatos videntur serpentes referre: quod illa tortuosa volumina indicant, ex quibus impietas (vt ait Prætextatus) eleganti figura demonstratur.

Quàm grauiter ac satyricè Ioannes Picus Mirandula contra inertes, & otiosos homines verba habuerit, & quòd Solon in suis legibus damnandos censuit, ac inibi elegantissimi versus positi ex Enniana satyra contra istos otiosè oscitantes.

CAP. XII.

NVper fortè cum Pico Mirãdulano diem consumpsi: qui quum de vita & philosophia permulta grauiter, & copiosè protulisset: illorum maximè ingenium atque animos subinde accusabat, qui segniter admodum degenere otio obliteſcunt. Qua in re, vt fit, quum acrius ac seuerius declamaret, cœpi mox diligentius cõsiderare, factũ ab eo non minus acriter, quã prudenter, vt istiusmodi homines, imò hominum mancipia tam acerbè, tam grauiter, tam satyricè sit insectatus. Nam quid esse in vita nequius aut scelestius potest, quàm tempus ipsum, rem scilicet pretiosissimam, somno, inertiáque turpissimè transigere? Qui enim

Biblioteca de Galicia

desides, ignaui, & oscitantes viuunt, non hercle magis viuunt, quàm stolidæ pecudes, & meræ beluæ: neque viuunt enim, sed spiritum trahunt, sicuti pecudes solent. Quò factum est, vt quidam νομοθέται pœnas quidem acerrimas contra istos desides atque otiosos statuerint: eosq; iure infames dixerint. Siquidem & Solon ipse in suis legibus inertiam hanc, turpemq; ignauiam seuerissimè culpauit. Qui desidiam, inquit sectatus est, is accusantibus esto obnoxius. Vnde illud etiam Q. Ennij non minus equidem discendum censeo, quàm dogmata & præcepta quædam ex philosophia intima eruta: quod idem poëta in tragœdia Iphigenia his versibus contra inertiam posuit: vt Iulius Celsinus apud Frontonem Cornelium retulit:

Otio qui nescit vti, plus negotij habet,
Quàm quum est negotium in negotio.
Nã cui quid agat institutũ est, nullo negotio
Id agit: studet ibi, mentem atque animum delectat suum.
Otioso initio animus nescit quid velit.
Hoc idem est enim: neque domi nunc nos, nec militiæ sumus.
Imus huc, hunc illuc: quum illuc ventum est, ire illinc lubet:
Incertè errat animus, præterpropter vitam viuitur.

Quod

Biblioteca de Galicia

Quod etiam in Atticis lucubrationibus à Gellio refertur.

Quod his maximè verbis Politianus se oblectari dicebat, vt sunt Reciprocicornes Arietes & beſtiæ exungues & excornes, & alia ibidem addita. CAP. XIII.

Dicebat olim Politianus, magna se voluptate affici atque incredibili delectatione teneri in his verbis, quæ sunt Reciprocicornes, & Lanicutes arietes, & item beſtiæ exungues & excornes: quòd eorum compoſitio felix & iocunda ſit: non improbior & putida, ſicut in alijs multis contigit. Arietes autem Reciprocicornes & Lanicutes à Laberio poëta in Mimis dicti ſunt: quem tamen Gellius complura refert admodum licenter confinxiſſe, quod alibi diximus. Beſtias autem exũgues & excornes Tertullianus vocat, pro his, quæ ſine vnguibus & cornibus forent: vt in libro de Pallio habetur: quum Vedij Pollionis crudelitatem inceſſit: vt qui murenis homines etiam ipſos deuorandos conijceret. Theodorus verò Gaza depedes, deplumes, & depiles perelegan ter in vſum Romanum intulit: vir vnus, vt ego exiſtimo, ætate ſuperiori, qui cum omni antiquitate in optimis diſciplinis comparari poſſit.

Biblioteca de Galicia

Disputatio de Repub. habita, ac de Imperio Venetorum, & Apologus elegans de pinu & cucurbita. CAP. XIIII.

IN hortis Oricellarijs cùm nuper aliquot egregiè docti homines conueniſſent, vbi de honeſtis literis, optimiſque diſciplinis ſæpe & copiosè agitur, fortè incidit mentio de veterum inſtitutis, de regenda ciuitate, ac de Venetûm clariſſimo, atque ſummo imperio. Qua in re quũ multi multa (vt fit) diſſeruiſſent: ibidem ſenex quidam in officijs Reipub. homo accuratus & prudens, Volo, inquit, vobis de Venetûm imperio perelegantem referre apologum, quem à Franciſco olim Barbaro audiui: qui noſtra etate magna vir eloquentia & conſilio fuit. Is enim cùm de ſtatu ac dignitate Philippi ducis Mediolanẽſis, & Repub. Veneta augeretur, in hunc modum locutus eſt: Scio ego quantum momenti poſitum ſit in fortunæ viribus, quantum ponderis in ratione & diligentia hominum: nam quò maiora ſunt imperia, eò ſæuiores quandoque caſus atque calamitates habent. Sed apologum audiatis. Sata eſt olim, inquit, cucurbita iuxta arborem pinum, quæ grandis admodum, & ramis patulis extabat: cucurbita verò quũ multis pluuijs atque cæli tẽperamento creuiſſet, laſciuire incipit, & ramulos audacius porrigere: iam ſerpebat in pinum, iam

ſurg

Biblioteca de Galicia

surgere, iam ramos & frondes inuoluere audebat, ampliora folia, candenteis flores, prægrandia poma, & virescentia ostentans. Itaq; tanto fastu atque insolentia intumuit, vt pinũ arborem ausa sit aggredi: & vides, inquit, vt te supero: vt amplius foliis, vt virore præsto, & iamiam ad cacumen prosurgo. Tum pinus, quæ senili prudentia & robore pollebat: nihil mirata est cucurbitæ insolentis audaciam: sed ita ad eam respondit: Ego hic multas hyemes, calores, æstus, variasq; calamitates pernici, & adhuc integra consisto: Tu ad primos rigores minus audaciæ habebis, cùm & folia concident, & viror omnis aberit. Sic & in Italia, inquit Barbarus, permultæ quidem sunt cucurbitæ, quæ pinum aggredi magnopere conantur: sed habent tamen plus animi, quàm roboris. Quocirca breui exarescunt, aut decidunt. Pinus autem vexari atque turbari potest: extirpari autem, aut ciccari, nisi longissimo tempore, nequit.

De oraculo à Maximiano imperatore instructo contra Christianos, & ibidem de constantia Christianorum, quibúsque verbis cõtra Romanos prẽsides vterẽtur.

CAP. XV.

SAtis compertum est ex Annalibus veterum, quantum Romani olim Imperatores

Biblioteca de Galicia

decretis publicis atque edictis, Christianorum religionem repellere, atque extinguere conati sunt: sic vt nullum crudelitatis genus omissum fuerit, in quo Christiani homines vexati, atq; dissecti non fuerint. Sed vt cætera nunc omittantur. Maximinus quidem Cæsar non minore æstu, quàm sæuitia, vsus est in persequendis, lacerandisq; Christianis. Si quidem Iouis simulacrum (quod in vrbe Antiochia celebre fuit) sic instrui curauit, cõmentóque callido aptari, vt in edendis oraculis, quæ tum magno cultu habebantur, responsum de Christianis hoc promeretur: Ne homines Christo dicati degerent in vrbibus: neque vllis locis iuxta vrbes, sed procul, vt noxium genus atque veneficum, fugerentur. Quò factum est, vt vagi, palantésque, & reiecti ab omnibus forent: tametsi pro religionis merito atque maiestate id accidebat, vt quo plures, sæuiorésque forent persecutores, eo maior, & amplior religio haberetur. Nec enim quicquam principum sæuitiam, atque feritatem magis extimulabat, quàm firmitudo illa, & inuicta atque impenetrabilis Christianorum constantia: quæ quamlibet libidinem atque immanitatem longè exuperaret, cùm foret hæc oratio Christianorũ, vt à Septimio Tertulliano scriptum est, O' Romani præsides, cruciate, torquete, damnate, allidite, atterite nos: probatio est nostræ innocentiæ vestra iniquitas.

Qui

Biblioteca de Galicia

Qui Grammatici de origine verborum scripserunt, & vnde hæc verba, Auidus & Inuidus dicta sunt, perelegans & erudita enucleatio. CAP. XVI.

MAgno studio ac diligentia quæsitum est à veteribus Grammaticis de origine ac significatu verborum: qua in re Nigidius, Verrius Flaccus, Pedianus, & M. Varro plurimum operæ posuerunt: quoniam in considerãda atque intelligẽda verborum origine, varia ferè atque diuersa ab autoribus tradita sunt: Quod & Fabius Quintilianus testatur, & Academici probant. Ego autem secreto opere de hoc pluribus disserui: nunc exponendum putamus, vnde originem traxerint hæ voces, Auidus, & Inuidus: quoniam Grammatici quidam iuniores non minori inscitia, quàm improbitate in his aberrant: cùm probi autores tam eleganter, támque eruditè de his egerint. Affirmant enim à videndo deductum esse vtrunque vocabulum: nam auidi à non videndo nominati sunt, propter nimiam cupiditatem: vt Verrius Flaccus existimauit, quod a, litera priuandi vim obtineat: sicuti Amentes dicimus, qui mentem non habent. Inuidos autem & Inuidiam simili ratione inquit Cicero dici: quoniam ex nimia videndi cura lineſcant: quod in tertia (vt puto) Tuscu-lana comperies: ab inuidendo, inquit, rectè

dici

dici potest inuidentia: vt effugiamus ambiguũ nomen inuidiæ: quod verbum dictum est, à nimis intuendo fortunam alterius: quod & poëta Accius in Menalippo testatur:

Florem quisnam liberum inuidit meum.

Qua in re M. Cicero non Accium modò excusat, sed etiam egregiè commendat, quòd inuidere cum accusandi casu protulerit: quoniam ius suum poëta retinuit.

PETRI CRINITI DE HONESTA DISCIPLINA COMMENT.

*

LIBER III.

Quòd Plato philosophus inuidiæ morbo laborauit, & quòd infensus Xenophõti atque Democrito fuerit, cuius etiam libros extingui cupierit. CAP. I.

PERMVLTA *adhuc supersunt indicia ex veterum scriptis, quibus copiosè probari potest, Platonem philosophum æmulationis, ac inuid*

Biblioteca de Galicia

inuidiæ morbo maximè laborasse, aliorúmque laudes iniquo animo accepisse. Siquidem inter eum, ac Xenophontem tacitæ cuiusdam æmulationis liuor extitit: cùm nullibi Plato de ipso Xenophonte tanto viro meminerit: eiusdem verò discipulos ac sectatores loquentes induxerit: quod animi malè affecti, atque insyncери argumentum præbuit, vt Gellius dicebat. De Abderite autem Democrito, qui longè in Physicis præstitit, idem factum est à Platone, sicuti Aristoxenus refert: nam cùm Plato, inquit, locos quosdam tractaret, in quibus contra Democritū sentiebat, prudens tamen ac sciens nusquam illum citauit, etsi alios ferè philosophos nominaret: tum, quod est amplius, idem Plato quæcunque habere potuit Democriti commentaria, traditur collegisse, eaq; cùm cremari voluisset, ab Amyda & Clinia viris Pythagoricis prohibitus est, asserentibus, eos Democriti libros nō posse omnes extingui, cùm apud multos passim exempla eorum seruarentur. Quam rem & Laërtius Diogenes ex veterum commentarijs recenset: nam & Georgius Cretensis, qui Trapezuntius appellari maluit, permulta Platonis philosophi vitia collegit, libris de hoc compositis. Vnde Ioan. Argyriensis ridicula voce illum Cenotimonem, & Erinnym appellat: quod & Nicenus Bessarion alicubi asserit.

Disp

Disputatio habita inter Hieronymum Sauonerolam, & Picum Mirandulam, de philosophia veterũ cum Christiana academia. Et quid itein vetustissimi de ipso Deo senserint, id est Moses, Mercurius, Zoroastres,& Pythagoras. CAP. II.

QVàm vera sit,atque ex re conficta à Luciano eloquentiæ imago apud Celtas populos, nuper equidem consideraui, cùm Ioan. Picus Mirandula meipsum, Laurentianumq; sua oratione quocunque vellet perduceret: tanta enim in eo viro & vocis suauitas, & rerum omnium cognitio adest: vt etiam,sicut ille Luciani ὀχυιὸς Mercurius facilè omneis populos, atque homines suis sermonibus capere, oblectare, atque afficere possit. Nuper autem consedimus in Marciana academia apud Hieronymum Sauonerolam, qui ætate nostra in omni propè philosophia maximè præstat: sed inibi Laurentianus (vt fit) ex veterum philosophia cùm permulta de ipso Deo,ac eius potestate retulisset,ac de animæ viribus:cúmque in hoc nõ re, sed verbis dissentire Christianos affirmaret:modestè (vt solebat) ac placidè Hieronymus, Caue,inquit, Laurentiane,ne verba pro rebus accipias.Nam qui veteres philosophos in academiam pertrahunt, perfacilè quidem vel falluntur ipsi,vel alios fallunt. Plato enim ad animi insolẽtiam,Aristoteles verò ad impietatem

tatem instruit: quò magis te, inquit, Laurentiane hortamur, vt ab ipsis philosophiæ spatijs, atque vmbraculis ad Salomonis porticum deficias, in qua certissima vitæ ratio, atque veritas continetur. Quibus dictis cùm Io. Picus subrisisset, & ad te, inquit, hæc etiam pertinent Crinite, qui tã studiosè, adhuc penè adolescens, tamq; assiduè omnibus propè disciplinis incumbas. Sed ea, inquit, de Deo & animis decreta, cùm diu à me euigilata atque perpensa fuerint, puto me posteris etiam probaturũ, Christi religionem magna ex parte cùm veteri philosophia consentire: modò hæc omnia diligentius, atque probius intelligantur: cùm nulla vnquam religio fuerit, quæ Deum ipsum æternum, rerúmque omnium absolutissimum non dixerit, sicuti & animam quoque immortalem. Sed principes, inquit, in omni mortalium vita extiterunt aliquot & iudicio, & rerũ cognitione maximi, vt Moses, Pythagoras, Mercurius, Zoroastres, Solon, qui omnes pari consensu non modò hæc crediderunt, sed maximè affirmarunt. Nam si quid est antiquitati concedendum, omnis certè illa veterum theologia pari sententia id ipsum asserit. Hermes enim, qui apud Aegyptios floruit, & qui maximus philosophus, maximus sacerdos, & maximus rex fuit, certè cùm Mose ipso consentit, eiúsque opinioni magnopere accedit,

Nam

Nam & Pythagoræ diuina illa philosophia quam Magicen nuncuparunt, magna ex parte ad Mosis disciplinas pertinebat: vt qui ad Hebræos quoque, eorumq; doctrinas in Aegyptū vsque perrexerit, pluráque illorum sacra atque mysteria intellexerit. Nam Platonis etiã eruditio (vt constat) ad Hebraicam veritatẽ ferè accedit: ex quo permulti eũ germanum Mosem dixerunt, sed Græcè loquentem. Zoroastres autem ille, Oromasi filius, cũ Magicẽ quidẽ percoleret, nihil aliud accipiebat, quàm Dei cultum, atq; diuinitatis studium: quo ille occupatus naturæ vires, omnemque potestatẽ egregiè apud Persas perquisiuit, vt sacra illa, & sublimia diuini intellectus arcana cognosceret: quam partem vel Theurgiam multi, vel Cabalã alij, vel Magicẽ etiam dixerũt. Sed enim omnis antiquitas tãtum videtur Hebræis atque Aegyptijs concessisse, vt veritatẽ ab illis acceptã per varias orbis regiones, atque diuersos populos circundere, atque illustrare voluerit. Quòd eo animo à quibusdam effectum est, vt magis addere aliquid, ac inuenire ipsi crederentur, quàm sumpta ab alijs approbare. Quibus relatis Hieronymus Sauonerola Ioan. Picum complexus, & vnus tu, inquit, es Pice ætate nostra, qui omnium veterum philosophiam, ac religionis Christianæ præcepta & leges percalleas: vt hæc tua quidem rerum penè omnium

cog

cognitio, antiquioribus illis Hyeronimo, Augustino, Basilio, Gregorijsq;, ac Dionysius meritò conferri possit. Nam alia ibidē multa Io. Picus de Christo, legibúsque eius, ac religione copiosè disserit, ex Chaldaicis atq; Syriacis thesauris, quod alibi commodius recensui.

Quod apud nostros quatuor idiomatum genera fuisse tradantur, id est priscū Latinum, Romanum, & Mistum, & quo maximè tempore floruerunt, ac de Hetruscis etiam literis nonnihil. CAP. III.

DIgnum observatione visum est, quod in quorundam commentariis legitur de Latina eruditione, & quo maximè idiomate, quibusq; temporibus maiores vsi fuerint. Relatum igitur est, quatuor fuisse apud nostros linguarum proprietates: hoc est Priscam, Latinam, Romanam, Mistam: quod ex Varronis authoritate Grammatici veteres tradunt. Prisca est, qua vetustissimi Italiæ populi sub Iano videlicet, & Saturno regibus vsi sunt: cuiusmodi carmina quædam incondita, parumq; nostris intellecta adhuc supersunt: vt Saliorum et Argeorum sacra de quibus Varro etiā Terentius meminit. Latina verò. quam sub Latino & regibus Tusciæ cæteri quidem populi in ipso Latio loquebantur, quæ tabulæ decemvirales scriptæ sunt, ac sacræ leges, & publica quædā edicta Romana, quæ post exactos

Biblioteca de Galicia

reges Rom. populi gesta complexa est: nam & hanc ipsam inter poëtas M. Plautus, Nævius, Accius, Pacuuius, Ennius, & P. Vergilius maximè coluerunt: ex oratoribus autem & historicis M. Cato, Sisenna, Quadrigarius, Val. Antias, Cæsar, & M. Cicero. Mista verò, quæ aucto Imperio, & libertate amissa, varios populos ac nationes in iura ciuitatis admisit. Quò factum est vt Romana virtus, ac loquẽdi iusta integritas passim cùm moribus degeneraret, ex veteri sententia:

Moribus antiquis res stat Romana virisq;.

Neque autem me latet, Latinam quidem doctrinam ex multiplici, varióq; idiomate constare: si quidem & Osca, & Sabina vocabula à multis olim recepta sunt, vt Punica nunc omittamus. Nam & Q. Ennius Oscè locutus est: tum Hetrusca alij fabulas exposuerunt, sicuti Liuius, & M. Cic. alicubi testantur.

De nominibus Romanorum, & quod à Sabinis prænomen acceperint, ex fœdere cum Romanis facto, tum qua die Romani nomen assumerent. CAP. IIII.

APud Macrobium, & alios veteres, nõ pauca sunt obseruata de potestate & ratione nominum Romanorum. Vnde videlicet assumpta, vel deducta sint. Sed enim Romani homines, non vno tantùm nomine vel cognomine censebantur: sed pluribus etiam quàm

quàm à nostris Grammaticis traditur: sicuti videre quorundam exemplà possumus. Nam sit vtique de Attico leges, eum quidem his appellationibus fuisse vocatum, vt diceretur T. Cæcilius, Satus, Pōponius, Atticus. Solebant enim Romani, vel ab illis cognomen accipere, à quibus hæredes relinquerētur, quod alibi demonstraui. Nec illud ignoramus, tria præsertim nomina Romanorum à poëtis designari. Vnde illud,

Tres equitum turmæ: tria nomina nobiliorū.

Sed hac in re putaui obseruandum, quod ab Eutropio scriptum est in Rom. historia ad Valentem Aug. quod equidem non satis memini, an apud alium autorem legerim. Post multas, inquit, contentiones inter Sabinum populum & Romanum factum est fœdus: ac iure societatis in eandem sententiam conuenére, vt rex T. Tatius simul cum Romulo imperium teneret, Sabinique, & Rom. vnus populus esficeretur. Ex quo adhuc, inquit, confirmandum Rom. tum cœperunt Sabinorum nomina suis præponere, Sabini autem Romanorum, vt nouæ quidem amicitiæ nominum iura adiscerent: quò factum est, vt nemo deinceps Romanorum absque prænomine haberetur. Neque verò illud ignoratur, in veterum commentarijs lustricos dies illos à Romanis dictos, quibus nomina infantibus imponerentur. Nam

Biblioteca de Galicia

& Nundinam deam (vt asserit Vectius Prætextatus) Romani colebant, à die nona appellatam, quo videlicet ipsos infantes lustrarent, ac nomen imponerent: & si octauo die fœminis, maribus autem nono, vt in cœnis Macrobianis legitur.

Qui maximè apud Latinos de Sacris, ac Pontificiis verbis scripserint: & quomodo Reus & Damnatus inter se differunt: tum ex iure ipso Pontificum verba exposita. CAP. V.

QVi apud veteres de iure pōtificio, & antiquis sacris scripserunt per commodè visi sunt, atque egregiè verborum proprietates, ac potestatem explicare: ea cùm primis referentes, quæ ad sacras voces, quæ ad Funerales, & Saliares pertinerent, cuiusmodi authores à Macrobio celebrantur: Vectius Prætextatus ac Flauianus vt Labeonem Antistium & Veranium mittamus, qui libros de Pontificialibus reliquerunt. Sed enim cùm ritus ac cerimonias sacrorum inuestigarent, verborum quoque rationes, atque originem mirifica diligentia conquisierunt: quod in his nuper vocibus obseruauimus, quæ ad Reum & Damnatum pertinent non minùs verò quàm subtili iudicio examinatis: siquidem vtrumque vocabulum in votis nuncupandis, atque persoluendis, frequens in veterum libris compe-

ries

ries. Nam illum propriè Reum dixerunt, qui suscepto voto in sacris sese numini astringit: Damnatum verò dicimus, qui se à promissis eximit, & vota persoluit: quod in Macrobianis quoque cœnis ab Eustathio eleganter disputatur. Vnde illud etiam in veterum legibus legitur:

Qui reus voti est, accedito ad sacra:
Qui damnatus est, sacra ritè persoluito.

Nam & P. Maro, qui ius Pontificium optimè calluit, egregiè id obseruauit: quo loco inquit,

Dij, quibus imperium est pelagi, quorum æquora curro:
Vobis lætus ego hoc candenti in littore taurum
Constituam ante aras voti reus: extaque salsos
Porriciam in fluctus, & vina liquentia fundam.

De viribus atra bilis: ac de Eurylocho, & poëta Malacho: quàm grauiter eo morbo ad insaniam vexarentur. CAP. VI.

QVi de moribus & vita philosophorum scripserunt, Eurylochum tradunt, qui Eliensem Pyrronem audiuit, miris modis atra bile vexatum fuisse: quæ Græcè μελαγχολία dicitur: atque sic percitum eo Morbo, vt cùm in Elide variis & diuersis multorum

Biblioteca de Galicia

quæstionibus ageretur, ac respondendo esset fatigatus, pallium abiecerit, & Alpheum fluuium tranauerit. Illud quoque de eodem Eurylocho eiusque furore traditur, sic aliquando instigatum κατὰ μανίαν, vt sumpto vestitu cum carnibus vsque in forum illum insequeretur. Fuit autem Eurylochus acerrimo quidem ingenio, cuiusmodi ferè hi sunt, qui atra bile sunt affecti: quod ab Aristotele philosopho, atque alijs approbatur. Nam & Phauorinus Academicus qui Pyrrhoniorum libros composuit, heroicam hanc affectionem appellabat dicens εἶναι καθόλου τὸ πάθος τοῦτο ἡρωϊκόν: quando Hercules, Lysander, Aiax, Alcmeon ac Bellerophon, eodem vitio laborârunt: Socratem nunc & Platonem mittamus. Nam Malachus quidem poëta excellens fuit: sed eo tum absoluendo carmine præstantior, cùm mente penitus foret alienatus: sicuti etiam de Bacchis, & Sibyllis (vt appellant) creditum est. Quin & Augustinus copiosè affirmat, poëtas ipsos non proprio, sed alieno ore carmen effundere: quod à Platone probatur in eo libro, cui titulum fecit de Furore poëtico. Sed enim de atra bile cùm plura scribat Aristoteles in problematis: Frigida, inquit, stolidos & ignauos reddit: calida ingenioſos, & amantes: nimia verò attonitos & timidos. Sed hæc alibi commodiùs explicauimus.

Biblioteca de Galicia

Quo habitu & forma esset Romana toga: ac de aliis vestibus, quę cuique populo adscribantur: tum alia inibi non iniuenda addita. CAP. VII.

Scripta sunt à veteribus permulta de vestibus, & eorum genere: sicuti à Suetonio Tranquillo, Cornuto, & aliis, qui diligenter quæsierunt: quibus etiam vocibus apud varios populos signarentur: sicuti Græcorum pallium, Sardorum Mastruga, Etrucchæ Gallorum, Germanorum Rhenones, Romanorum toga: de quibus à me alibi dictum est. Sed hoc loco notandum mihi videtur de Romana toga aliquid: quo habitu quaque ratione accipienda, atque intelligenda sit: cùm nuper de re hac quæstio inter doctores haberetur. Ad hunc igitur modum Romani vestem hanc habuerunt, veluti etiamnum in veterum statuis & marmoribus conspicimus: quæ togatæ ob id imagines appellabantur. Erat autem vestis vsque ad talos: vnde Talares etiam togæ à quibusdam dicuntur. Idque seruatum est Romæ vsque ad ætatẽ Octauij Augusti: quod à Fabio Quintiliano diligenter est obseruatum. Nam deinde breuiores fuerunt, sic vt ad media crura essent demissæ. Rotundam verò & aptè cæsam volebant, ne enormis, vel indecens videretur: si qua ex parte minùs iusta, nec eadem fuisset pro portio. Sinus etiam faciebat

Biblioteca de Galicia

qui cùm altiores cinctura extarent, decenter & honestè in partem sinistram ducerentur. Ita enim desiderat Fabius in oratore. quoniam sedeat aptius. Meritò autem reprehensus est C. Plinius, qui Talarem togam dixerit à Cicerone gestari solitam, vt ea varices velaret: cùm consuetudo tum foret, togas ipsas ad talos vsque demitti: sicuti Græcorum pallium erat. In superiori autem parte humerum operire debebat, iugulum vt attingeret potius, quàm velaret: ne togæ ipsius dignitas & latitudo, quæ in pectore visebatur, in angustum deducta perderetur. Erant & manicæ in toga vsque ad ipsas penè manus: neque tamen ad imos digitos, quarum latitudo æqua & decens, magis decorem, quàm venustatem præferebat: vt cùm brachium in agẽdo tollerẽt: cæteris togæ partibus optimè responderet. Ita enim Romani togam ferè habuerunt: nam in Mena Pompeij liberto togam nimis defluentem atque redundantem, virulento carmine insectatur Horatius: cùm sex vlnarum esset, eáque amictus Menas populo stomachante per sacram viam incederet: neque enim licebat in vrbe, præterquàm libero homini hac veste vti: siquidem & ætatis, & hominum in habitu vestium ratio est à Senatu populóque Rom. seruata. Nam & pueri prætexta toga vsi sunt, sicuti ex his notissimum est, quæ Vectius Prætextatus in Macrobianis cœnis de Prætexta &

Bulla aurea copiosè disseruit. Virili autem toga vti à sextodecimo ætatis anno incipiebant: etsi quidã temerè dissentiunt. Octauius enim Augustus XII. agens annum auiam Iuniam defunctam pro concione laudauit, et quadriennio pòst (vt ait Tranquillus) virilem togam assumpsit. Viri autem Romani, vt est author Gellius, primò quidem sine tunicis toga sola amicti fuerunt: posteà substrictas & breues tunicas citra humerum desinentes habebant. Ex quo Scipio ille Aphricanus Pauli filius, cùm in Gallum Sulpitium esset inuectus, cùm Cleridota illum tunica accubuisse nõ sine stomacho affirmauit. Et re vera facta est aliquãdo mutatio in Rom. ciuitate de indumentis gerendis: si quidem Octauius Augustus, ædilibus demandauit, ne quẽ ciuem in foro aut circo paterentur consistere, nisi positis lacernis togatos: & cùm fortè pro concione vidisset penulatorum turbam, indignabundus & clamitans, En, inquit, Romanos rerum dominos, gentémque togatam.

Quàm iniquo animo Publi. Vergilius fuerit cõtra Grammatistas, atque ineptos literatores: ac eiusdem elegans dictum super illo ænigmate. Treis pateat cœli spatium non amplius vlnas. CAP. VIII.

TRaditum est à multis, P. quidem Vergilium bonis ingeniis ac eruditis, plurimũ

Biblioteca de Galicia

gratiæ & fauoris ostendisse: contra autem literatores, ac malè doctos homines mirum est quàm affecto & infenso animo fuerit: quòd in his maiorem audaciam ac impudẽtiam, quàm maturitatem & iudicium videret: ex quo prolatis etiam versibus hoc totum apertè asseruit: sicut Iunius Philargyrius, & Seruius Honoratus referunt. Sed quod in versiculo Vergiliano acciderit de cœli spacio Grammaticis conquirentibus, dignum sanè videri potest adnotatione. In hoc enim carmine ex Bucolico ludicro:

Treis pateat cœli spacium non amplius vlnas: Cùm Cornificius, & alij quidam Grammatici dubitarent, anxieq; à poëta perquirerent, si quid fortè remotiùs subesset: perlepidè responsum est à Vergilio, se in ea re Grammaticis omnibus crucem fixisse, in qua se assiduè distorquerent: quod ipse etiam Pedianus à Vergilio audiuit, quemadmodum Iunius idem Philargyrius in Vergiliano commentario refert: quì tamen Pedianus respondisse traditur: Mihi certè nullam crucem, non enim sum id anxiè quæsiturus. Quantum verò doctrinæ Vergilianæ ac eius felicissimo ingenio concesserit Pedianus, cùm ex alijs multis declarari potest, tum quòd idem Pedianus librum quoque contra eius obtrectatores composuit: qui P. Vergilio & historiæ falsitatẽ, & furta ex Homero obiiciebãt: cùm in vtroq; non defensionẽ modò,

Biblioteca de Galicia

sed gratiam & laudem singularem meritò inuenerit: quemadmodum Eustathius, ac Eurius Albinus eruditè & copiosè apud Macrobium testantur.

De his hominibus, qui seipsos in puteũ iaciant: & quid in causa: exemplis de Laurentiano, & aliis adductis. CAP. IX.

QVæsitum nuper est à viris prudentioribus, quonam fato acciderit, vt hoc ipso anno in parte Galliæ (quæ à nostris Lugdunensis dicitur) non paucæ quidem fœminæ seipsas in puteos & in vndas coniecerint: etsi nullo (vt apparebat) corporis morbo vexarentur. In quo nihil certum, aut etiam dignum est allatum, præterquàm quòd hoc totum plerique potestate syderum, ac cæli defluxu fieri arbitrati sunt, vnde furore perciti homines, violenta nece occumberent. Nec enim desunt exempla apud veteres, quibus apertè colligitur, plurimos tali morbo affectos se interemisse: quod à veteribus tamen in deorum iram & quasi vltionem refertur. Nam de his, qui grauì morbo, aut peste tenentur, vulgatius est, quàm vt hoc tradendum sit: cùm Galenus quoque, & Hippocrates in medicina præstantes, vinciendos præcipiant ægrotos, sicubi pestilenti, vel grauissima febre infestantur: quod in his maximè accidit, qui pestilentia laborant: vt in celebri illa Athenienſium traditur, in qua permulti se ipsos passim in vndas iacie-

Biblioteca de Galicia

bant: quòd à poëta Lucretio eleganter explicatur:

Multi præcipites lymphis putealibus altè
In fluuios partim gelidos ardentia morbo.
Mẽbra dabãt, nudũ iaciẽtes corp⁹ in vndas.

Testis mihi & Pontanus virginẽ Neeram in Salentinis paucis antè annis sese in puteũ deiecisse. Sed hoc nimia indignatione factum cõstitit, quòd ab eo se repudiatam videret, cui pro coniuge pacta erat. Sedenim quod nuper accidit in Petro Leonio, mirificũ certè visum est: quando is & in philosophia vir excellens, ac prudentia propè egregia, in puteum se Florentino suburbano immersit: quod etiã mox Laurentiano Florentino contigit, cuius ego Academiam aliquando accessi, eiusque disciplinæ auditor interfui: quum Aristotelis atque Hippocratis commentarios magna eruditione exponeret. Sed in obitu hoc Laurentiani consensum est à medicis, fuisse illũ atra bile sic percitum, vt Hippocratis vinculo necesse fuerit illũ alligare: quanquam & hoc ipso anno fœminæ aliquot in Crotoniensi agro idem facitarunt.

De populis, qui humana carne vescantur: & quæ Hieronymus de Scotis gente Britannica scripserit. CAP. X.

Frequens mentio est apud veteres authores de populis Anthropophagis, qui videlicet idcirco sunt à Græcis appellati, quòd humana

carne

carne vescantur. Nam apud Scythas (inquit Plinius) plura genera sunt, quæ humanis corporibus vescuntur, & in medio propè orbe terrarum Sicilia & Italia, gentes fuisse olim huius monstri, Cyclopas & Læstrygonas dictos constat. Sed idem relatũ est etiã ab Hieronymo de Scotis, quòd hi populi ab hominibus estandis non abstinerent: quod hercle mirum est, quum ad ipsam Hieronymi ætatẽ id agerent. Sic enim refert idẽ quo loco varios populorum mores ac ritus percenset. Quid, inquit, loquar de cæteris nationibus, cũ ipse adolescentulus in Gallia viderim Scotos, gentem Britannicam, humanis vesci carnibus, & quum per syluas porcorum greges & armentorum, pecudumque reperiant, pastorum nates, & fœminarum papillas solent abscindere, & has solas ciborum delicias arbitrari. Iidem etiam Scoti, quasi Platonis rempublicam sequentes, nullam propriam habent cõiugem, sed pro libidine, inquit, more pecudum lasciuiunt. Quod à me de Scotis eò libentiùs est obseruatum, quoniam & doctiores quidam opinati sunt, de his quidem populis nullam Romanis Imperatoribus cognitionem fuisse. In qua sententia & Hermolaus Barbarus fuit. Nostra autem ætate complures cum Carolo Francorum rege Italiam inuaserunt, qui sub eius signis militarent: sunt enim in dirigendis maximè sagittis vir-

Biblioteca de Galicia

tis viri acres, atque egregij.

De lapide Caryſtio mirifica obſeruatio: quòd ex eo veſtes contexantur, atque in ignem poſitæ à maculis emundentur.

CAPVT XI.

DE Caryſtiis columnis atque marmoribus complura ab iis traduntur, qui de lapidicinis ſcripſerunt. De illo autem genere lapidis, qui ad Caryſtum celebratur, cùm alij multi, tum præcipuè Strabo miranda quædam deſcribit, cùm netilẽ hunc, atque textilem eſſe referat. Quin ex hoc ipſo lapide mantilia, inquit Strabo, egregiè contexi, atque abſolui: quæ ſi fortè contraxerint ſordes, & in ignem deferantur, facilè quidem emundari, atque omneis maculas tolli, ac ſi in lauacro fuerint. Quod ego ob id obſeruandum exiſtimaui, vt apertiùs intelligamus nihil tam mirum videri in maieſtate naturæ, quin illud ipſum magno conſenſu credi oporteat: etiam ſi malè docti homines, atque antiquitatis imperiti, vel talia imprudenter contemnunt, vel inepto riſu, tanquam mendacia explodunt.

Locus in epiſtola. M. Tullij ad Trebatium expoſitus de Philoctete, quamq; impudenter à quibuſdam deprauetur, ac falſò itidem exponatur. CAP. XII.

MVlti hactenus fuerunt, qui in commentarijs Angeli Politiani, quibus Miſcellanea

Biblioteca de Galicia

lanea titulum fecit complura velut absurda, & imperitè exposita adnotârunt. Nam cuiq; insitum propè est, aliena magis detrahendo reprehendere, quàm sua docendo comprobare. Nos autem eos homines laude dignos, atque commendatione censemus, qui legendo, scribendo atque commentando permultum vigilârũt, etiam si non sunt omnia in bonis disciplinis cõsecuti. Quod ea ratione dictũ volumus, vt eorum insciti am, atque ineptam audaciam reprimamus: qui in hoc literarum certamine vol sellis (vt inquit Varro) non gladiis pugnant. Sed his missis M. Ciceronis locus exponendus est in epistola ad Trebatium iureconsultum, quo loco de Philoctete agitur, cui similem dicit Trebatium in locis variis peragrandis. Deinde quòd in Britannia, inquit, nõ minùs quã Philoctetem te præbuisti, planè non reprehendo. Quibus verbis Cicero significat Trebatium ipsum parum certo loco consistere, sed peregrè vagari, & spectacula complura quæritare, ad exemplum Philoctetis: vt ex græcis quoque fabulis colligimus, in quibus Philoctetes inducitur post acceptam iniuriam per varias vrbes ac regiones deferri. Sed eiusdẽ Ciceronis verba repetenda sunt ex epistola ad Q. Fratrem: vt apertius intelligamus, quàm sit hoc loco absurda mentio de Philotheoro. De republi. inquit, nimium te laborare doleo, & meliorem

ciuem

Biblioteca de Galicia

ciuem esse, quàm Philoctetem, qui accepta iniuria illa spectacula quærebat, quæ tibi acerba esse video. Ex his autem verbis nemo est, qui non videat, Philoctetem esse legendum, non Philotheorum: quando & veteres quoque codices huic sententiæ astipulantur: quod ego cum Politiano retulissem, ingenuè quidem & amicè professus est, non fines modò se hac in re, sed ipsam quoque possessionem concedere.

Veterum cõsuetudo relata de Bactrianis populis, & Atriis in furtis mulctandis, ex autore Bardesane: ac de Ægyptiis etiã, & Lacedæmoniis, qui impunè furta committerent. CAP. XIII.

COmplura passim apud veteres de furtis leguntur, quibus legibus, atque suppliciis mulctari oporteat. Sed illud ex libris Bardesanis de fato opponendum putaui. Apud Bactrianos (inquit) populos, qui pauca furantur, sputis de honestari solẽt, taliq; ignominia dedecorantur. Apud Atrios item, qui minima furantur, lapidibus obruuntur. Quod & Pamphilus Eusebius recenset: quo loco de fato contra Chaldeos & Mathematicos disserit. Lacedæmones autem viri & acres in primis & solerti, patrio iure ac legibus furandi vsum permiserunt. neque id ipsum ob turpiorem quæstum, aut ad sumptum libidini suppeditandum vel opulentiam congerendam: sed pro ipsa

ipsa (vt inquit Gellius) disciplina, & exercitio rei bellicæ: quoniam sedulitas illa, & solertia furandi, ingenia & animos iuuenum acueret, atque ad insidiarum æstus excitaret, & vigilandi tolerantiam obfirmaret. Apud Aegyptios itẽ vetustissimos illos furta omnia fuisse permissa, & impunita traditum est. Qua in re illud M. Catonis, veluti ex Delphico seruatum est, in originibus de furtis: Fures, inquit, priuatorum furtorum in neruo atque compedibus ætatem agunt: fures publici in auro atque purpura.

Triginta millia deorum à poëta Hesiodo celebrari, & à M. Varrone CCC. Ioues: & quàm ridicula foret veterum de Diis opinio. CAP. XIIII.

SCripsit Aenomaus librũ de falsitate oraculorum, in quo flagitia omnia Apollinis, & vatum deceptiones detexit. Quo autem loco refert, imperatum fuisse ab Apolline Mithymnensibus, vt ligneum Dionysij caput colerent, Triginta, inquit, millia deorum in orbe terrarum haberi: idq; ipsum à vate Hesiodo fuisse assertum. Septimius verò Tertullianus in Apologetico contra gentiles, Trecentos inquit Ioues, seu mauis Iupitros à M. Varrone dinumeratos, eosq; sine capitibus introductos. Quocirca non ineptè dictum videtur à

Biblioteca de Galicia

quibusdam philosophis, fuisse eos maximè dementes, atque insanos, qui rebus omnibus & adesse deos putauerint, & varia flagitia, quæq; obscenissima dictu sunt, pro numinibus coluerint: quod ab Augustino etiam, & Firmiano longis voluminibus atque magnis conuitiis incessitur, deridetur, atque exploditur. Itaque otiosum est, inquit Tertullianus per omnia deorum nomina velle decurrere, qui colerentur à veteribus: quum tot, tánque varij, noui, veteres, serui, barbari, Græci, Romani, peregrini, captiui, adoptiui, proprij, communes, masculi, fœminæ, rustici, vrbani, nautici, militares enumerentur.

Qui sint apud Ægyptios Sarabaitæ sacerdotes: ac de eorum moribus, atq; improbissima simulatione, ex Augustino, & Hieronymo autoribus. CAP. XV.

SErmo habitus est in Marciana bibliotheca à Pico Mirandula, & Politiano, de quibusdam hæreticis, eorúmque disciplinis atque opinionibus: tum de Augustini egregia & singulari doctrina, in examinandis, refellendis, atque eiiciendis illorũ erroribus, qui Christianorum mentes, veluti proserpens hedera, facilè implicant. Inter alia verò complura quæsitum est, quinam forent Sarabaitæ sacerdotes, quoniam in Augustini epistola mentio de his obiter facta sit. Qua in re cùm nihil re-

spon-

Biblioteca de Galicia

sponsum fuerit, putaui hoc loco ea subiicienda, quæ de his relata sunt ab eodem Augustino ex Hieronymi traditione. Tales sunt (inquit) Sarabaitæ sacerdotes, vt eorum genus omni affectu, atque studio sit deuitandum: ipsi denique in Aegypto positi sunt, in foraminibus petrarum habitantes induti porcorum & boum pellibus, cincti funibus palmarum, spinas ad calcanea portantes ad cingulum ligatas, discalceati, & sanguine cruentati, cauernis excuntes ad festum Scænophegiæ pergunt Hierosolymam, & Sanctasanctorum intrantes, paupertatem & abstinentiam prædicant à se seruari: tum barbam spectante populo ibidem acriter peruellunt: itaque nummis tali astu & commento adeptis, in suam regionem remeant; & in lætitia, & dapibus epulantur. Hos Sarabaitas, inquit Augustinus, nolite obsecro imitari: quia non beatos illos, sed in magnis suppliciis damnatos meritò esse prædicamus. Videntur enim pro his ab Augustino & Hieronymo accepti, qui cùm multum seueritatis vendicent, atque seueritatem egregiam præ se ferant, in recessu scelera omnia & flagitia retinent. Cuiusmodi homines & à Paulo, & à cæteris magnopere exagitantur: siquidem.

Catones & Curios simulant, (vt inquit ille) viuunt autem Bacchanalia.

Biblioteca de Galicia

PETRI CRINITI DE HONESTA DISCIPLINA COMMENT.

LIBER QVARTVS.

Dignum memoria de rege Pisistrato, quo astu, atque commento contra aduersarios sit vsus pro firmando imperio: tum de eius quoque tyrannide nõnihil ex verbis Solonis. CAP. I.

DIGNVM *obseruatione ac memoria est, quod in historia de rege Pisistrato, & eius dissensione cum filiis notatur: tum quàm callidè ac prudenter (vt homo Græcus) omnem prorsus odij ac simultatis suspicionem apud populum Atheniensem sustulerit. Nam quum fortè idem Pisistratus (qui Athenis imperauit) in dicenda sententia minimè obtinuisset à liberis assensum: ex ea re factum est, vt inter eos orta simultas crederetur, quod æmulis atque aduersantibus (vt fit) maximè gratum pro voto contigerat: sperantibus ob eam fortè sedi-*

tionem, atq; discordiam, futuram in regno nouitatẽ. Verùm Pisistratus comperto æmulantium animo, vt eximia, vir prudentia, ciues omnes conuocauit, atque ad eos in hunc modum verba habuit: Succẽsui equidẽ pro tempore (inquit) ô Atheniẽses meis filiis, quòd ipsi paternæ voluntati, vt par fuit, minus acquieſcerent: ſed viſum mihi deinceps eſt officium eſſe meum, ac pietatis paternæ munus, vt ego ipſe in liberorum ſententiã cõcederẽ. Debetis igitur ſcire ſobolem quidem ac liberos regis cum patre conuenire, & in omnibus eſſe concordes. Quo commento, atque aſtutia effecit, vt omnibus planè Athenienſibus ſpes tolleretur futuræ nouitatis. Idem quoque Piſiſtratus mira quædam arte & ingenio tyrannidem occupauit (ſicuti à Solone, & aliis permultis ſcribitur.) Nam blandè primùm vocare populum, atque illicere cæpit: dein ſibi ipſe vulnera inflixit, & in publicum ſimul progreſſus atque vociferans, ea ſe ab hoſtibus accepiſſe: quadringentos ſibi cuſtodes dari exorauit, iuuenes admodum acres & robuſtos, quibus armatis ſtipatus, Reipubl. Athenienſium ſtatum euertit, ac regiam poteſtatem arripuit.

Quo ſtudio, ac diligentia factum ſit à Romanis, vt libros Magonis de agro colendo in Latinũ conuerterent: tum aliud exemplum de Cor. Taciti hiſtoria: quo

Biblioteca de Galicia

honore à Tacito Imperatore habita, & in bibliothecis locata fuerit. CAP. II.

NOtandum & illud est, quanta cura & studio factũ sit à Romanis, vt ea omnia diligenter obseruarent, quæ ad ipsam vitam, cultumq; & mores hominum pertinerent. Nec enim leges tantùm & sacra quedã ab Atheniensibus per legatos acceperunt: sed commentarios etiã de Agricultura, & eius præceptis, ab ipsis Carthaginiensibus, senatus autoritate, in vsum Romanum trãstulerunt. Nã quum Mago ille Pœnus, qui contra Romanos Imperator excellens fuerit, libros de Re rustica duodetriginta condidisset, decretum est à Romano senatu, vt ea quidem volumina ex Punica lingua in Latinum sermonem conuerterentur, quò maior etiã vtilitas, atque commoditas colendi agri Romanis viris traderetur. Quod ipse C. Plinius ad Vespasianum August. inscribit: qui inter alios quoque Magonian operis interpretes, Decium Syllanum fuisse asserit, cui demandatum fuerit, vt Magonẽ ipsum in Romanam orationem transferret: siquidem non modò nobili genere Syllanus hic fuit, sed etiam sapientiæ, vt inquit Plinius, compositissimæ. Facit ad hoc & aliud exemplum de Tacito Imperatore Romano: Is enim Cor. Taciti viri consularis historiam de Romanis Imperatoribus, non modò in omnibus bibliothecis iussit

iussit collocari: sed etiam edicto cauit, vt decies quotannis ad vsum publicum transcriberetur, atque in bibliothecis pariter poneretur. In quo apertè probatur, non illum modò sui generis, & familiæ, sed etiam historiæ rationem habuisse, quæ rerum omnium memoria & vtilitas ad ipsos posteros propagatur: quod & Flauius Vopiscus ad Bassum retulit.

De Censorum potestate, ac de triplici pœna in Romanos: & qui dicerentur in ærarios relati: ac ibidem subscripta verba ex antiquis legibus de ipsis Censoribus.

CAP. III.

PRudenter à Romanis factum est, in moderando imperio, & moribus corrigendis, vt ea in re magistratus eiusmodi haberentur, qui consilio & diligẽtia singulari hoc officium præstarent: quales in Vrbe Censores fuerunt, quos præter alia multa quæ agerent, ad regendos etiam ciuitatis mores creari mos fuit. Sed in erogandis pœnis, atque mulctandis delictis, quod apud Asconium Pedianum reperio, notandum mihi hoc loco videtur, quòd in quoque ordine Romani ciues pro ipsis meritis cuique condignam pœnam statuissent. Nam qui Senatores essent, iis quidem pœna fuit, vt senatu amoti eiicerentur: qui autem

Biblioteca de Galicia

Romani equites delinquebant, eisdem Censores publicum equum adimebant: sicuti nimis interdum obesis, corpulentísque equitibus, vel quibus malè curati equi strigosioresq; fuissent. Qui verò plebei forent, eorum nomen pro derelicto in Cæritum tabulas Censorum autoritate referebatur: neque amplius in centuria sua albo scribebatur: sed ærarij fiebant, ac pro capite duntaxat tributi nomine æs præbebant. Ex quo permultos legimus in ærarios fuisse relatos: sicuti & apud Liuium, & alios veteres habemus. Quod ego ob id apposui, vt eorum facilius errores à studiosis agnoscantur, qui etiam doctiores haberi solēt. Sed & ipsa verba libet hoc loco adiicere ex antiquis legibus: quò apertius Censorum dignitas, atq; potestas intelligatur. Nam & Cicero hæc eadem refert:

Censores populi, ciuitates, soboles, familias,
Pecuniasq; censento: vrbis templa, vias,
Aquas, ærarium, vectigalia tuento.
Populiq; partes in tribus distribuunto:
Exinde pecunias per ciuitatis ordines partiunto.
Equitum peditumq; prolem distribuunto.
Cælibes esse prohibēto: mores populi regunto:
Probrum in senatu non relinquunto.
Bini sunto: magistratū quinquēnio habēto.
Reliqui magistratus annui sunto:
Ollaq; potestas semper esto.

Quod

Biblioteca de Galicia

Quod à me alibi copiosius scriptum est, quum censorum potestatem, aliosq; magistratus Romanæ ciuitatis diligenter explicaremus.

Quantum bonis præceptoribus discipuli debeant: ac de Alexandro Macedone erga præceptorem Aristotelem: tum de eius quinquaginta libris de Animalibus digna prorsus memoria. CAP. IIII.

QVantum debeant homines, honestis ac eruditis præceptoribus, abundè quidam veteres principes & Romani, & Græci, demonstrarunt: qui suos quidem præceptores non modò summa & egregia obseruatione coluerunt: sed honoribus etiam maximis, atque dignitatibus prosecuti sunt. Nam parentibus, & aliis, & præceptoribus (vt inquit Plato) vix hercle pro merito illud vetus ἀνταπο-δοῦναι obseruari potest, cùm tanto muneri nullæ satis gratiæ referantur. Alexander autẽ Macedo Philippi filius, qui felicissimè imperauit, cùm Aristoteli philosopho debere se ingenij eruditionem intelligeret: non semel quidem suum animum atque obseruantiam præceptori aperuit, ratus suum esse officium ex iure ipso humanitatis tanto præceptori vicem aliquam optimè de se merenti referre. Non enim tantum Aristotelis nomini patriam condidit, ac tantæ rerum claritati benignum (vt inquit

Biblioteca de Galicia

Plinius) animi testimonium miscuit: sed etiam naturæ sacra, & causas perquirenti opem maximam tulit: ne tam diligenti studio, & honestissimæ disciplinæ, sua deessent emolumenta: secuti quum libros illos quinquaginta de Animalibus composuit: quæ à Græcis πολυβίβλια sunt appellata: quoniã octingenta quidem talenta (vt inquit Athenæus) impensa in his sunt. In quo rex maximus apertè demonstrauit, non esse minus posteritatem commentariis instruere, quàm vniuersi orbis populos, atque prouincias deuincere. Sed hoc totum copiosè C. Plin. declarat ad Cæsarem Vespasianum in hunc modum: Alexander, inquit, Magnus quum esset inflammatus mira cupidine animalium naturas noscendi, commentationem hãc Aristoteli delegauit, summo in omni scientia viro: tum aliquot millia hominum in totius Asiæ Græciæq; tractu parere illi iussa sunt: eorum videlicet, quos venatus, aucupia, piscatusq; alebant: quibusq; vinaria, armenta, piscinæ, auiaria, in cura erant: ne quid vsquam gentium à tanto viro posset ignorari. Hos enim omnes percontando quinquaginta fermè volumina illa præclara de Animalibus cõdidit. Hæc Plinius de Alexãdri studio & affectu erga præceptorẽ Aristotelẽ. Quod equidem vel ob eam præcipuè causam putaui obseruandum: quoniam in quorundam com-

men-

Biblioteca de Galicia

mentariis eundem inuenio Alexandrum mutato animo fuisse contra præceptorem: eúmque deinde capitali odio fuisse insectatum. Quod esse verum & illud admodum insinuat, quoniam Alexandri mors ex veneno illo Styxie aquæ non sine infamia Aristotelis excogitata creditur.

De præfectis syluarum apud Romanos: & de maioribus ac minoribus prouinciis: ac inibi illud Vergilij expositum: Si canimus syluas, syluæ sint cõsule dignæ: contra aliorum sententiam. CAP. V.

PVblij Vergilij versus notissimi sunt in poemate Bucolico, quod inscribitur Pollio:

Non omnes arbusta iuuãt, humilesq; myricæ:
Si canimus syluas, syluæ sint consule dignæ.

Quo loco nostri interpretes, vt alia multa, paulò indoctiùs, atque ieiunius hoc ipsum exponunt: dicentes, syluas dignas consule: id est consulari dignitate: vt ad Pollionem consulem referri possit: idq; ipsum nullo prorsus autore scribunt. Sed enim maior subest eruditio, ac sensus remotior, qui ex ipsis Romanorum legibus atque decretis elicitur. Nam cautum fuit apud Romanos, vti Consules quidem ipsi curã collium atque syluarum haberent, vt hac ratione materies non deesset, qua videlicet nauigia publica possent à præfectis fabrûm conflici. Sicuti & seruatũ adhuc in Veneta Repu-

vti

vti præfectos habeant, quibus cura hæc syluarum sit demandata: vt quotannis sata illa & arbores ex decreto publico excindantur, ne materies non copiosa constituendis nauigiis suggeratur. Quin & illud in veterum libris notatum, quòd ipse Ancus Martius, qui Numæ nepos ex filia fuit, primus apud Romanos syluas ad vsum nauium publicauerit, & salinarum vectigal instituerit. Fuit autem consuetudo apud Romanos, vt posteaquam in vrbe consules creati essent, prouincias sortirentur, quas instructis copiis, & parato exercitu deuincerent: quod sicubi hoc casu aliquo defuisset, tum minores obibant. Erant enim aliæ maiores & consulares prouinciæ: aliæ rursus minores, & in queis Consules haud amplã laudem atque dignitatem consequi possent: veluti cum syluarum & collium negotium agerent. Ex quo Tranquillus Suetonius de Cæsaris consulatu: Cum Bibulo, inquit, Consul creatus est, & ob eam causam opera optimatibus data est, vt prouinciæ futuris Consulibus minimi negotij, id est syluæ colles q; decernerentur: qua maximè iniuria Cæsar instructus omnibus officiis Cn. Põpeium affectatus est offensum patribus. Sed hoc idem ex nostris etiam Iurecõsultis edi scitur: qui prouincias minores nominant, & syluarum curã in illis reponunt. Quibus facilè constat, quid ipse poeta Vergilius iuris ciuilis

(vs,

(vt ait Flauianus) doctissimus insinuet. Quæ sententiam & Niger noster Lactetus non improbat, vir ingenio maximè candido, & elegantias veterum probè doctus.

Quòd in solstitiali tempore frondes in quibusdam arboribus cõuertantur: & quæ bruma augeri minuíque sit obseruatum à Stoicis ex lunæ viribus. CAP. VI.

SEruatum est à veteribus, euenire in quibusdam arboribus, vt in solstitiali tempore frondes conuertantur, vel in brumali etiam reuirescant. M. autem Varro in libro ad vxorem Fundaniam, discrimina hæc admiranda appellauit, quibus anni tẽpus discernatur, & ex versura foliorum dies solstitialis fuisse appareat: quod in olea populo alba, & salice accidere testatur. Quæ cùm in aliis autoribus relata essent, putaui ea subiiciẽda, quæ M. Cicero ex Stoicorum obseruationibus recenset: quo loco de extispiciis & diuinationibus agit. Probatum est, inquit, à Stoicis in ipsa bruma musculorum iecuscula augeri: pulegium aridum florescere brumali die. Item inflatas rumpi vesiculas, & semina malorum, quæ in his mediis inclusa sunt, in contrarias partes se vertere. Iam & neruos in fidibus aliis pulsis, resonare alios. Ostreis & Conchyliis omnibus cõtingere, vt cum luna pariter crescant, atque decrescant.

scant. Arbores etiam hyemali tempore simul cum luna consenescunt, & in marinis æstibus accessus & recessus Lunæ motu gubernantur. Plutarchus autem Cheronæus in commentario Hesiodeo, apud Pelusiotas populos retulit minimè cepas esitari, quoniam inter olera id solum contra lunæ aucta, ac damna minuendi vires, & augendi contrarias habeat. C. item Plinius, & A. Gellius similia quædam observarunt: sed hæc etiam in promiscuis quæstionibus exposuimus.

De Philemone poëta comico, eiusq; mirando interitu: ex Luciani historia, & aliorum commentariis. CAP. VII.

LEpida quidem historia est, ac scitu digna, de Philemone comico, eiusq; mirando interitu sicuti in Græcorum commentariis reperitur. Is enim Philemon in scribendis fabulis eleganti ingenio, & peruenusto habitus est: quando in scena ipsa plerisque (vt scribitur) Menandro etiam prælatus est. Sed cùm idem Philemõ ætate iam edita prouectior esset: eique ficus ad cibum paratæ in conspectu forẽt, asello eas comedente puerum aduocauit, vt asinum abigeret. Sed is tardius cùm superuenisset, & comestas omnes videret, vrbanissimè inquit, Et nunc da merum asello, quo audito cæpit adeò poeta Philemon risu & cachino diffluere, vt

Biblioteca de Galicia

re, vt ex eo ibidem statim perierit. Lucianus autem Samosatenus περὶ τῶν μακροβίων, ad hunc modum de Philemone:

Φιλήμων, inquit, ὁ κωμικὸς ὁμοίως τῷ Κρατίνῳ ἐπὶ πολὺ καὶ ἐτῶν ἑκατὸν ἐπὶ τῇ βίβλῳ κατέκειτο μὲν ὅτι κλίνης ἐρημῶν δεκαπέμπτης δὲ ὄντι τὰ παρασκευασθέντα αὐτῷ σύνεφ κατεσθίοντα, ὥρμησε μὲν εἰς γέλωτα, κρίνας δὲ τὸν οἰκέτην, καὶ σὺν πολλῷ καὶ λιγέῳ γέλωτι εἰπεῖν πρὸς ἑαυτὸν ὅτι ἀκμάσαι ῥοφεῖν, ἀποπνιγεὶς ὑπὸ τοῦ γέλωτος ἀπέθανε. *Hoc idem & in Suidæ collectaneis, & apud veteres multos passim repetitur. Neque autem me latet: alios quoque nimio risu periisse: quod alibi commodius diximus. De ipso autē Philemone & in Maximi Valerij exemplis mentio habetur. Etsi poetæ nomen temerè à quibusdam sit depravatum.*

De mulso apud veteres in sacris, ac Titij verba posita de hoc. Tum Romuli Pollionis dictum ad Octauium Augustum, & alia obiter non iniucunda.

CAP. VIII.

DE mulso & eius potione permulta in veterum libris scripta sunt: neque apud eos modò qui de generibus potionum diligenter quæsierūt, sed apud illos etiam autores, qui sacra deorum, & libationes retulerunt: omnes

autem

autem in hoc ferè cõueniunt, Mulsum quidem pro vini genere accipiendum, quòd esset melle commistum. Vnde in sacris Herculis, & Cereris, mulsum hoc præcipuè celebratur, sicuti Festius Prætextatus in cœnis Macrobianis ostẽdit: nam Cereris sacris haud vinum quidem libari fas erat: ex quo iocus ille Plautinus perquã lepidus in Aululari a de Cerealibus nuptiis. Quin & xij. Calend. Ianuarias sacrum Herculi & Cereri fiebat: quod in Romanis etiam fastis apparet, in hunc videlicet modum: Sue prægnante, panibus, & mulso. Hincq; eruditè ac prudenter excusari video P. Vergilium, qui scienter dixerit,

Cui tu lacte fauos, & miti dilue baccho.

Haud enim ignorabat, vir vtriusq; iuris optimè consultus, vinum ipsum mitescere, cùm mulsum fieri occæpisset. C. autẽ Titius, vir doctus & qui Romanos luxus acerrima oratione lacerauit, de hoc etiam mulso mentionem fecit, sicuti Furius Albinus ex oratione illius apud Macrobium recẽset. Vix (inquit) præ vino sustinent palpebras, eunt in cõsilium, ibi hæc oratio, quid mihi negotij est cum istis nugatoribus: potius quàm potamus mulsum mistum vino Græco: edimus turdum pinguem, bonúmque piscem, lupum germanum? Quibus apparet Scipionum ætate (nam tum is Titius vixit) solitos esse Romanos Græcum vinum & mulsum

potita

potitare. Sed et L. Scipio (vt est autor Liuius in bello contra Samnites, discrimine ipso, quo templa diis immortalibus moueri mos erat, voluit Ioui victori, si legiones hostium fudisset, pauxillum mulsi priùs quàm temetum biberet, se facturum: quod ipsis diis cordi fuit. Illud autem mulsi genus pro optimo habitum est, quod ex vetere vino constaret: nam & multi (vt inquit Plinius) longam senectam mulsi tantùm nutritu citra alium cibum toleraúere. Ex quo nobile illud exẽplum de Romulo Pollione, qui supra centum annos vixit. Nam cùm fortè diuus Augustus illum rogaret, quanam ratione vigorem illum, & animi & corporis tam feliciter custodiret: intus mulso respondit, foris oleo. Appellatur et aqua mulsa apud eundem Plinium, aliósque medicos, quæ melle addito diluitur: cuius potus maximè vtilis alsiosis, & iis, qui humilis, exhilisq; animi sunt: quos Græcè τὲς μικροψύχους vocant. Lenit etiã transitum spiritus, & contra tussim valet, aliáque permulta: sicuti eorum tradunt commentaria, qui remedia morbis excogitarunt.

Quid apud veteres sit, Vrbem Romam fuisse ad æquilibrium positam: & quòd æquilibritas vertitur à M. Tullio, quod est Græcè ἰσονομία. Tum nonnihil etiam de differẽtia inter Vrbem & Romam, ex doctrina Iureconsultorum. CAP. IX.

Biblioteca de Galicia

SCriptum est à Iulio Solino de vrbe Roma, eam fuisse primò Quadratam vocatam, quoniam ad æquilibrium esset posita: in quo à viris doctioribus quæsitum est. quid eo loco Solinus intelligat, cùm voce duriuscula situm ac positionem tam augustæ vrbis ad æquilibrium factam retulerit. Sed enim putamus non aliter hoc accipiendum, quàm vt ipsam dicamus Romam ad æqualem regulam, & quasi ἰσογωνιαῖς in quadratam speciem constructam: quod & Sex. Pompeius ex Verrio testatur: ratione loci ac mœnium habita. Vnde Plutarchus etiam, vir in perquirendis Romanis antiquitatibus diligens, Ῥωμυτετράγωνον vocat: nam & in cæteris quoque ædificiis dicimus aliquid ad æquilibrium compositum, quòd æqua ratione absolutum, & vndecunque perfectum appareat: tametsi hanc vocem, quæ est Æquilibrium, ex tabulis decem viralibus scimus profectam, quo loco lex talionis continetur: quando & Sex. Cæcilius pœnam talionis ad æquilibrium factam exposuit, hoc est, πρὸς τὴν ἰσονομίαν, habita iniuriarum ratione: vt ipsam videlicet talionem quasi ad amussim, & libellã æquiparent, atque expendant. Hæc enim verba sunt legis: Si membrum rupit meũ, è pacto talio esto. quod & Gellius vir Romanus ex Phauorini philosophi disputatione recẽsuit. Sed & M. Cicero ἰσονομίαν Latino verbo expo-

bo exponens, æquilibritatem appellat, in libro de Natura deorum: cùm de Atomis illis Democriteis agit. Confugis (inquit) ad æquilibritatem. Sic enim ἰσονομίαν (si placet) appellemus: tametsi sciam in vulgatis quidem codicibus æquabilitatem perperam scriptum. Nostri verò Iureconsulti (vt id etiam referatur) inter Vrbem & Romam differentiam haud inelegantẽ ponunt vt Vrbem videlicet locum duntaxat intra mœnia intelligamus: Romam verò & ipsa etiam suburbia, quæq; iuxta vrbem circumuisantur: eóque id asserunt, vt intelligi facilius possit, quæ aut Romæ, aut in Vrbe iure legationis comprehẽdantur: nequid in erciscunda familia discriminis aut fraudis nasceretur. De Roma autem quadrata eiúsque ratione commodius egimus: ne illud Qu. Ennij carmen minus à nostris intelligatur,

Et quis tum curat Romæ regnare quadratæ.
Cum primo hæc saxo apposita foret in speciem quadratam constituto, vt Pompeius & Dionysius testantur: quod & noster Ber. Oricellarius in suis commentarijs de vrbe Roma diligenter exequitur.

De Pythagorica philosophia, ac de Iani fronte quadruplici, ac de Manasse rege, eiúsq; statua cũ facie quincuplici. CAP. X.

QVi de veterum Theologia commentarios scripserunt, pleraque volunt de dijs, eorumq;

Biblioteca de Galicia

rumque simulacris allegoricè intelligi. Sicuti & Pythagorici philosophi, qui arcana illa cœlestis disciplinæ ac rerum misteria, quodam quasi velamento obduxerunt, ne temere profanum vulgus ad ea accederet. Quod apud nos, Macrobius, & Fabius Placiades demonstrant, vt Græcos mittamus, qui multò copiosiùs hanc partem absoluerunt. Sed libitum mihi ea referre de Iano, eiusq; simulacro, quæ ex Bassianis commentarijs Vectius Prætextatus recenset: qui eum ait appellatum fuisse Bifrontem, quoniam & superum & inferùm Ianitor habeatur: quod in Fastis etiam Ouidianis patet. Sed quadruplici facie eundem finxerunt, & Quadriformem (vt ait Bassus) vocarunt, quòd vniuersa climata sua maiestate complexus est, & in quatuor orbis partes conspicit: sicuti hoc ipsum Iani simulacrum demõstrat: ex quo saliari carmine vt deorum deus celebratur, Augustinus cùm de Romanorum diis disserit, Ianum (inquit) ipsum bifrontem, & quadrifrontem etiam, tanquam geminum fecerunt. Et quoniam plurimi dij selecti erubescenda perpetrando amiserant frontem: quantò iste innocentior esset, tantò frontosior apparet. Manasses quoque rex Hebræorum cùm statuã sibi poneret, quincuplici facie ornatam voluit: quò maior in eo prudentia, & maiestas (vt puto) signaretur: quod Eusebius Pamphili, ex

Maneti

Maneti Annalibus tradit. Nam cùm is prophetam Esaiam interfecisset, statuam sibi posuit quinque facies habentem. quod in sacra etiam historia legitur.

Quomodo accipiendum sit apud Varronem Limbus XII. signorum, & vnde cœlum & mundus dicantur: simulque versus additi ex Varronis Menippeis, quàm venustissimi. CAP. XI.

QVi de cælo & mundo scripserunt, copiosè quidem exponunt, qua origine, quo motu, quibusq; partibus censeri debeant, vt Plato, & Aristoteles. M. quoque Cicero in libro de vniuersitate, quem magna ex parte à Platone in Latinum sermonem transtulit, abundè hoc totum disseruit. Quæ res cùm sæpenumero se ad considerandum offerat, putaui fore non indignum, si M. Varronis versiculos referrem, quos in Menippeis Satyris, seu Gymnicis, non minori elegantia, quàm doctrina inseruit: cùm cælum ipsum, ignémque, & mundum pro eodem habendum tradat. sic enim in Dolio satyra, vt Probus etiam Valerius testatur in Vergilij commentario:

Mũdus (inquit) domus est maxima omniũ,
Quã quinq; altitonæ fragmine zonæ cingũt:
Per quam limbus pictus bis sex signis
Stellimicãtibus, altus in obliquo æthere luna,
Bigas acceptat posthumi: cui seplasia fætet.

Biblioteca de Galicia

Vocatur à cælatura cælum: Græce ab ornatu κόσμος. Latinè à puritia mundus.
In his limbum scribit per orbem cum duodecim stellimicantibus signis deferri: vocat autem Limbum hoc loco Terentius Varro, circulum illum siue partem, quæ Græcè ζωδιακὸς dicitur: qua voce & Plinius vtitur. Quin apud eundem Varronem Cossinius inquit, Capellarum dentes inimici sationis: quas etiam astrologi ita receperunt in cælum, vt extra limbum XII. signorum excluserint. Quòd autem à cælare cælum, & ab ornatu κόσμος Græcè dicatur, cum multi referunt, tum C. Plinius. qui hũc ipsum Varronis locum, vt alia multa secutus, ad hunc modum scribit: Quem κόσμον Græci nom ne ornamenti appellarunt, eum & nos à perfecta absolutáque elegantia mundum, cælúmque haud dubiè cælati argumento diximus: vt interpretatur M. Varro. adiuuat & rerum ordo descripto circulo, qui signifer vocatur in XII. animalium effigies: & per illas Solis cursu congruens tot seculis ratio.

De quibusdam legibus: & eorum præmio, qui hostes multos interemissent: ex libris Aristotelis & quæ Firmianus contra Enniũ & Ciceronẽ protulerit. CAP. XII.

Referuntur ab Aristotele, & alijs permultæ leges, de illorum præmio & dignitate, què

Biblioteca de Galicia

qui certando, ac strenuè dimicando ex hostibus aliquot occidissent: sicuti de Spartanis populis, Persis, Thrascensibusq;, & aliis: sed ea libitū est in præsens annotare, quæ ipse Aristoteles in Politicis prosequitur: de his scilicet ciuitatibus, ac nationibus, quæ suas leges atque instituta ad militarem disciplinam augendam & confirmandam statuerunt: sic vt ex cruore hostium, ac cædibus, maior animi virtus atque dignitas haberetur: Ceu apud persas, inquit, Thraces, Scythas, Macedones, & Gallos complura sunt instituta. Sed enim lex aliquando apud Macedones fuit, qua cautum, eos homines capistro cingi, qui nullum hostem interemissent. Apud Scythas autem & illud decretum est, vt hi tantum in celebri conuiuio circumlatam pateram acceptari essent, qui ex hostibus aliquot occidissent. Iberi autem, gens admodum bellicosa, tot erigere obeliscos circa sepulchrum consueuerunt, quot ex numero hostium necassent. Sed & Carthaginienses pro expeditionum numero, in quibus meruissent, annulorum ornatum retinebant: quò factum est, vt complures tum maximè insignes sint habiti, qui animo acres atque feroces, multos in prælijs cū magna strage obtruncassent. Apud nostros autem Romanos Scipio ille Africanus magnopere apud poetam Ennium gloriatur, quòd per sanguinem hostium, & cædes,

Biblioteca de Galicia

viam sibi ad cælũ aperuit: quod ipse quidem Cælius Firmianus velut impium, ac scelestum facinus vehementer exagitat: Enniúmque & Ciceronem ea in re vanitatis & impudentiæ arguit, cùm in hunc modum se idem Scipio apud Ennium loquatur:

Si fas cædendo cælestia scandere cuiquam,
Mi soli cæli maxima porta patet.

O quantis in tenebris Aphricane (inquit Firmianus) versatus es, vel potius, ô poeta, qui per cædes & sanguinem patere in cælum ascensum putaueris: cui vanitati & Cicero assentit. Est verò, inquit, Aphricane: nam & Herculi eôdem ista via patuit.

Petronij Arbitri carmen appositum: in quo Ciconiam Pietaticultricem & Gracilipedem dixit: tum inibi de alitis eiusdem pietate non indigna relatio.

CAP. XIII.

LEgebamus nuper Venetiis ego & Ioannes Venetus Petronij Arbitri Satyricon opus contra declamatores: in quo cùm alia multa nos magnopere affecerunt, tum illud præcipuè carmen, in quo de Pauone, & Ciconia ludens, illum Babylonico aureo amictum: & ciconiam pietaticultricem, Gracilipedem, Choralistriam & Exulhyemem appellauit. Sed adscribemus eiusdem versus: eoq; libentius id legendum est, quòd in vulgatis ferè codicibus, non

Biblioteca de Galicia

non pauca depravata, atque interlisa diligens lector comperiet.

Tuo palato, inquit, clausus pavo nascitur,
Plumato amictus aureo Babylonico.
Ciconia etiam grata peregrino hospita,
Pietaticultrix, gracilipes, choralistria:
Avis exulhyemis: titulus tepidi temporis,
Nequitiæ nidum in cacabo fecit meo.

Neque desunt apud veteres, qui referant, ipsam quidem Ciconiæ imaginem exculpi olim solitam super sceptris Regum, quò eorum pietas atque iustitia indicaretur. Illud enim vetus ἀντιπελαργεῖν pervulgatum est, de ingenio atque pietate Ciconiæ erga parentes: quod etiam divus Ambrosius confirmat, qui Romanorum inquit usu adhuc hanc pietatis nomine honestatam.

De legatione Gallorum ad regem Alexandrum, ac de illorum congrua & opportuna responsione, contra ambitiosam regis insolentiam. CAP. XIIII.

QVanta celebritate nominis, atque magnitudine imperavit Alexander Philippi filius, vniversa antiquitas memorat: quando nemini par felicitas, & animus in obeundis bellicis rebus, atque superandis periculis contigerit: quò factum est, vt pleræque nationes atque populi, maneribus summis atque honoribus illum decorare, atque augustiorem

Biblioteca de Galicia

reddere conarentur: sed quæ de Gallorum legatis scripta sunt ab autore Strabone, visum mihi est, vt hoc loco adnotarem, Ad hanc enim propè sententiam de Gallis: Alexander (inquit) ille Macedo Philippi filius, in ea nobili expeditione, quam contra populum Thracensem suscepit, cùm Triballorum præterea gentem inuasisset, Gethas ipsos accessit, eorúmque vrbem in suam potestatem redegit. Itaque paulò mox à Syrmo Tirballorum rege, et aliis, permultis munera capiens, ad suos remeauit. Sed interim ad Alexandrum mittuntur amicitiæ eius consequendæ nomine Gallorum legati, qui eam regionem prope Adriam incolebãt. Eos verò Alexander pro regis dignitate cùm comiter atque amicè accepisset, in celebri (vt fit) conuiuio legatos rogauit, quid illud præcipuè foret, quod illi præ cæteris extimescerent, (Putauit enim de seipso responsuros.) Qua in re Galli (vt homines sunt ingenio simplici, atque barbaro) nil aliud (respondernnt) ô rex: quàm ne cælum supra nos corruat. In quo delusa est insolescentis regis ambitio, & importuna interrogatio.

Poëtæ Vergilij versus appositi de Numa rege, quod canus in adolescentia fuerit: & quòd Strabo idipsum de L. Tarquinio rege retulerit.

CAP. XV.

Pub

PVb. Vergilij versus sunt in libro Aen. VI.

Quis procul ille autem ramis insignis oliuæ
Sacra ferens-nosco crines, incanáq; menta
Regis Romani: primus qui legibus Vrbem
Fundauit, Curibus paruis, & paupere terra
Missus in imperium.

Quo loco de Pompilio Numa intelligẽdum est. quoniam sic ipse autor Vergilius videtur sensisse: itaque Honoratus Seruius canum fuisse Numam à prima ætate asserit: eóque nomine dictum à poeta Vergilio, incanáque menta: quod equidem non recolo me vnquam legisse apud alium quenquam ex veteribus. Strabo autem autor grauissimus, & in priscis monumentis diligens, Tarquinium refert fuisse à pueritia canescentem Vrbes, inquit, XII. conditæ sunt à rege Tarquinio, in quo tam egregia floruit sapientia, vt ab ineunte pueritia canum fuisse referant. Neque autem me latet periphrasticos posse accipi canos in homine, pro senili prudentia: & in iuuene canitiem pro sapientia. Sed vtcunque sit, minimè hoc præteundum existimaui: quod in hac re obseruatum est à Strabone de rege Tarquinio: cùm præsertim Vergilius idem Numæ tribuerit.

PET

PETRI CRINITI DE HONESTA DISCIPLINA

LIBER QVINTVS.

Quàm multiplici doctrina præstet Io. Picus Mirandula: & iudicium ab eo egregiè factum de Hebræis, Græcis, atq; Latinis doctrinis, earumque differentia.

CAP. I.

EGIMVS *nuper ego, & Laurentianus, cum Io. Pico Mirandula: qui vt homo in optimis quibusq; disciplinis maximè occupatus, complura doctè et copiosè retulit de principiis, ac varietate scientiarum: tum de multiplici philosophiæ cognitione, & autoribus, apud diuersos populos atque regiones. Sed inter alia multa de Hebræis, Græcis, ac Romanis quantum equidem memoria possum repetere, in hunc modum disseruit. In Hebræorum, inquit, philosophia omnia sunt velut quodam numine*

numine ſacra, & in maieſtate veritatis abdita: ceu prodigia quædam, & arcana myſteria. In Græcorum verò diſciplinis, ingenium, acumen, & omnigena eruditio appæret: vt nulla vnquam gens fuerit, quæ dicendi copia, & ingenij elegantia cũ illis poſſit conferri. In Romana verò academia ea ferè omnia, quæ ad ciuitatem, & vitæ mores pertinent grauiter & copiosè ſunt explicata, ac magnificè dicta. Sic, vt grauitas maximè Romanis, & imperij maieſtas: Græcis ingenium & acumẽ, Hebræis doctrina ſecretior, & quaſi diuinitas (vt Picus dicebat) adſcribi poſſit. Quod ipſa Moſis volumina, & vaticinia illa prophetarum magnopere probant. Ad hanc igitur ſententiam noſter Picus de veterum diſciplinis, atque ingeniis diſſerebat. Sedenim M. quoque Cicero de Græcis ipſis eleganter quidẽ hæc protulit in oratione pro L. Flacco: Hoc ego dicã de toto Græcorum genere: tribuo illis literas, omnium artium diſciplinam, non adimo ſermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam, denique etiam ſi qua ſibi alia ſumunt, non repugno: teſtimoniorũ religionem & fidẽ nunquam iſta natio coluit. Quin & Iamblicus inter Platonicos nobilis, Græcos ipſos leuitatis atque inconſtãtiæ accuſat: cũ Aegyptios vel Hebræos (quos appellat barbaros) in deorũ cultu atque obſeruantia conſtantes atque egregios

gios asserat. Sed eius verba subscribã, cum grauiter & copiosè hoc totum in suis mysteriis expresserit: Par est, inquit, in deorum cultu ritus veteres, tanquam sacros & optimos, semper custodire, eósque intactos & inuiolatos seruare, ne quid omnino addatur, aut etiã adimatur. Hinc enim factum est, inquit, vt numina ipsa & vota, comminuta ac debilitata appareant, quod ex ipsa quidem præuaricatione, ac nouandæ religionis studio permulta immutata sint, & in dies magis immutentur. Nam & Græci ipsi suopte ingenio rerum nouarum studiosi, in quãlibet partem facilè ad quæque momenta vertuntur: vt qui leues sint, & instar nauis, in qua nihil sabuli insederit, nihil omnino seruant, quod à maioribus acceperint: sed immutantes subinde omnia, vetera eiiciunt: & ex ingenita leuitate alia atque alia commutant, in re nulla constantes. Barbari autem, inquit, vt moribus firmi atque integri sunt, sic etiam in iisdem sermonibus atque sententiis maxima constantia perseuerant: quò fit, vt ipsis diis meritò supra alios insederint, & orationes offerant illis maximè acceptas, quæ nulla ratione ab aliis possint immutari.

Creditũ esse ad gratiam & formã conferre cibum ex lepore: tum lepida historia de Alexandro Seuero Imperat. additis verbis non inuenustis. CAP. II.

Factum

Biblioteca de Galicia

FActum prudenter est à Constantio Augusto imperatore, qui principum Romanorum mores, ac vitam, describi curauerit: eoq; studio & affectu res eorum gestas legebat, vt nihil ad imperium Romanum, eiusq; maiestatem seruandam magis pertinere iudicaret. Siquidem non gesta modò principũ in his debent explicare, sed etiam mores, ac dicta copiosè referri: ne quid à posteris desideretur. quod ipsam humanitatem, eiúsque cultum instruere, atque communire possit. Illud autem de Alexandro nuper Seuero Imperatore libenter legi, qui Leptitanus fuit, elegantijsq;, poeticis, & omni eruditione plurimùm delectatus, quod in vrbe olim de forma eius, ac decore, dicterio non illepido circumlatum est. Sed enim ex veterum iocis, cum hi homines formosi, ac venusti per septem dies credantur, qui leporem comedant, ac idem Seuerus Alexander quotidie lepusculos esitaret, iocus emersit in vulgus, Imperatorem ex cibo leporum formam sibi & gratiam aucupari. Sed apponemus ipsos versiculos, quò facilius rei festiuitas, atque Imperatoris responsum appareat: in quibus non carminis probitatem, sed vrbanitatem potiùs vir mediocriter doctus agnoscet:

Pulchrum quod vides esse nostrum regem,
Quem Syrum sua detulit propago:
Venatus facit, & lepus comesus,

Ex qua

Ex quo continuum capit leporem.

Quibus Alexander eleganti responso talionem retulit, & quidem Græcis versiculis: sed Latini tantum reperiuntur, quod equidem scia in hunc modum.

Pulchrum quod putas esse vestrum regem,
Vulgari miserande de fabella:
Si verum putas esse, non irascor.
Tantum tu comedas velim lepusculos,
Vt fias, animi malis repulsis,
Pulcher: ne inuideas liuore mentis.

Valerius autẽ Martialis, vt homo Hispanus, eleganti hoc epigrammate Galliæ deformitati illusit, cùm formam de leporis cibo vendicaret:

Cùm leporem mittis: semper mihi Gellia mandas,
Septem formosus Marce diebus eris.
Si verum dicis, si verum Gellia mandas,
Edisti nunquam Gellia tu leporem.

C. quoque Plinius, quo loco de remediis morborum agit, ex diuersis animantibus, de lepore inquit ex Catonis sententia, eius assumpto cibo fieri somnios: tum vulgo etiam persuasum, conciliari ex eo corpori gratiam, etsi perquam friuolo (vt inquit) ioco receptum id esse putauerit.

Quod optimi oratores in dicendo exciderint, tum de Francisco Barbaro, & Sothino Senensi iureconsulto, qui & apud

Pontifi

Biblioteca de Galicia

Pontificem maximum, & apud Venetũ principem dicturus obticuerit. CAP. III.

NOtum est omnibus, quantum & Demosthenes, & Thophrastus ingenio, & eloquentia apud Græcos præstiterint, vt in totâ penè Græcia vix vnus aut alter pari iure cum illis conferri posſit: sed hi tamen (vt veteres memorant) dum verba aliquando facturi essent, subito pauore affecti, à sermone defecerunt. Nam Theophrastus apud populũ Athenienſium dicturus, præ pudore (vt creditur) obticuit. Idem quoque Demosthenes apud Philippum regem Amyntæ filium fecit. Quod & noſtra ætate aliquando accidit: Nam viri aliquot & doctrina, & in rebus gerendis prudentia non vulgari, inter orandum exciderunt: ſicuti ex populo Senenſi Barth. nuper Sothinus iuris cùm ciuilis, tum pontificij conſultiſſimus, qui Alexandro Pontifici maximo ſuæ ciuitatis nomine gratulaturus, in media propè oratione excidit, quam illi Ang. Politianus dictauerat. Quin idem pòſt Sothinus anno ſuperiore (cum Venetiis agerem) apud Auguſtinum Barbadicum Venetæ reipublic. principem dicturus, cæpit orationem, ſed nihil tamen exprimere potuit. Franciſcus autem Barbarus, vir & conſilio, & eloquẽtia maximus, apud Philippum Mediolani ducem verba facturus, cùm in hunc modum cæpiſſet:

Biblioteca de Galicia

Magnum est nomen tuum Princeps maximè in vniuersa terra: ac paulo mox orationis oblitus quàm didicerat, cœpit à capite repetere: & cùm deturbatus ægrè consisteret, interim dux Philippus, vt homo sapiens, & modestia singulari, quasi eum interpellaret, apprehensa Barbari manu familiarius aliud, atque aliud ab eo cœpit percontari, quousque illum animo labentem firmauit, & ad capita orationis deduxit: qua in re non minus apparuit ducis maximi modestia, quàm Veneti oratoris verecundia.

Quòd Roman. homines initio imperij cõtempserint meliores disciplinas. & quã do ipsa poetice in vrbem accessit, tum fuisse grassatores dictos Romanis poetas: & Horatij versus expositi. CAP. XIII.

RElata sunt in Romanis Annalibus Senat. Cons. contra Rhetores, tum edicta etiam contra philosophos, quibus cautum, ne in vrbe eiusmodi homines agerent: quoniam putabant surgente imperio eorum animos molescere, & quasi corrumpi, qui ad otium magis, & animi quietem diuerterent, quàm qui armis & in bello assiduos, ac strenuos, se demonstrarent. Nam Ro. tum popu. eum virum præcipuè laudabat, cùm bonum colonum, & strenuum militem vocabat. Sed eos quoque homines improbatos primò à Romanis comperio,

Biblioteca de Galicia

rio, qui carmen scriberent, ac poeticæ facultati incumberent. Quod ob eam maximè causam putaui obseruandum, quòd in quorundam libris legitur, Romanos quidem ipsos maximum honorem semper habuisse professioni poeticæ, próque summa dignitate accepisse, si sua gesta à poetis describerentur: quam rem & M. Cicero alicubi asserit: sed exempla quædam, ac meliorum autoritas tradit, contrà accidisse. Siquidem anno urbis conditæ circiter XX. & DC. in Vrbem est inuectum hoc ipsum poetices studium: quo videlicet tempore secundum bellum contra Pœnos à Romanis inceptum est: quod idem M. Cicero, atque alij complures referunt. Ex quo Licinij Porci carmen hoc est, quod à Gellio quoq; affertur:

Punico bello secundo Musa pennato gradu
Intulit sese bellicosam in Romuli gentem feram.

Quo loco Licinius poeticam ipsam inuasisse Vrbem significat: quòd eiusmodi tum poetæ audacius atque improbius mores Romanos notarent: cuiusmodi Næuius fuit, atque Lucilius: quod ab Horatio Flacco perelegantèr assertum est his versibus:

Libertasq; recurrentes accepta per annos
Lusit amabiliter, donec iam sæuus apertam
In rabiem verti cœpit iocus, & per honestas

Biblioteca de Galicia

Ire domos impunè minax: doluêre cruento
Dente lacessiti &c.

Sed & M. Cicero scribit, datum fuisse vitio M. Nobiliori à Catone, quòd is Q. Ennium poetam, cùm consul foret, in Aetoliam prouinciam secum duxisset. Nam & idem Cato, qui Censorius dictus est, in libro quem de moribus fecit, multò explicatiùs, atque apertiùs docet, nullum fuisse honorem poetis: cuius verba subiiciam, sicuti à Gellio etiam in Atticis adducuntur. Romani, inquit, nostri equos cariùs, quàm coquos emebant: poeticæ artis honos non erat: si quis in ea studebat, aut sese ad conuiuia applicabat, grassator vocabatur. Ex quibus apertè constat, non modò poetas ipsos primò in Vrbe pro ineptis reiectos, sed etiam grassatores vocatos. vnde illud Horatianum:

Græcia capta ferum victorem cepit, & artes
Intulit agresti Latio: sic horridus ille
Defluxit numerus Saturnius.

Qui maximè Dij extra Vrbem Romã templa habuerunt, & qua ratione, tum & iidem Romani ex Solonis legibus sepulcra extra Vrbem haberi voluerunt.

CAP. V.

IN eorum libris, qui de Diis ac religionibus scripserunt, compertum est, Aegyptios quidem populos Saturni ac Serapis templa extra vrbem

Biblioteca de Galicia

urbem habuisse, cùm aliorum tamen Deorum permulta in urbibus & oppidis viserentur: cuius rei causam hanc referunt, quòd his videlicet tantum duobus Diis sanguine & victimis litarent: cæteris verò omnibus ture, & precibus: quod Horus Aegyptius apud Macrobium etiã testatur. Neq; enim pertinere ad urbis fortunas & dignitatem visum est, eius numinis templum intra mœnia conspici, cui sanguine litarent. Rom. autem popu. ratione propè consimili quosdã Deos censuit extra Vrbem statuendos, illisq; templa extra pomœrium facta sunt: sicuti Aesculapio, Vulcano, & aliis: ne videlicet pestis, vel incendia urbẽ ingrederentur, eámque malè afficerent. Ex quo Deos quidẽ ipsos coluerunt, sed extra urbẽ tamẽ excluserunt: quod à Plutarcho in Romanis quæstionibus explicatur: nam Romulus primò Vulcani tẽplum procul ab urbe cõstituit. Aristoteles verò in omni doctrina excellens, templa quædam deorum intra mœnia habenda existimat, alia porrò extra mœnia: sicuti & in media (inquit) urbe templum Gratiarum: quò omnes intelligerent, quantum ad officia humanitatis pertineat, gratiam bene merenti aliquam referre. Sed & sepulcra item, quæ sacra ferè habita sunt, S. P. Q. R. extra urbem diu habuit: quod ipsæ xij. tabulæ demonstrant, quibus cautũ est, ne intra pomœriũ

Biblioteca de Galicia

cuiusquam sepulcra forent. In quo secuti videntur Atheniensium leges, & instituta: qui pari credo ratione nullum prorsus sepulcrum in vrbem admiserunt, quod ipsum ex lege Solonis decretum est, quæ in hunc modum præcipit: Ne sepulcra in vrbe sunto. In tabulis autem nostris decemviralibus ita scriptum: In vrbe ne sepelito, neue vrito. Quod & M. Cicero in suis legibus copiosè prosequitur: vt in epistolicis etiam scripsimus.

De Traiano Aug. cum præfecto militum, eiusq; sermone ad eũ, ac de eiusdem Imperatoris gestis, ac victoriis maximis.

CAP. VI.

DE Traiano imperatore, eiusq; rebus gestis permulta quidem memoria digna ab antiquis scribuntur. Nam & hic Plutarchum philosophum præceptorem habuit, cuius disciplinis ingenij cultum, moresque honestissimos est adeptus: vt à Sen. P. Q. R. tanto imperio dignissimus haberetur. Sed illud interim de Traiano libitum referre, quod in Suidæ collectaneis obseruatum est. Cùm is igitur corã Romanis magistratibus aliquando adesset, gladium, quem gestabat, è vagina eduxit, nudumq; τῷ ὑπάρχῳ exhibuit dicens: En accipe gladium: quòd si hic quidem principe dignus est, vtere pro me. Sed ipsa Græca nescio quo pa-

cto

cto cultius atque grauius rem exprimunt: δίξαι τὸ ξίφος τοῦτο, καὶ εἰ μὴ καλὸς ὑπάρχοι, ὑπὲρ ἐμοῦ, εἰ δὲ μὴ καλ' ἐμοῦ χρῆσαι. *Tam acceptum verò eius imperium militibus fuit, ac tãto amore, & affectu semper habitum, vt fines Romani imperij longè lateq; diffuderit: quod apud Græcos multi, & Eutropius apud nos in Romanis annalibus ad Valentẽ Aug. refert: nec enim Daciam modò prouinciam, Decibalo victo, subegit, quæ decies cẽtena millia passuum in circuitu continebat: sed Armeniam quoque recepit, & Assiriam, Mesopotamiã, & Arabiam in prouinciæ formam redegit: vt Indiam deinde inuaderet, cùm Seleuciam, Ctesiphonẽ, ac Babylonem clarissimas vrbes occupasset, regibus partim interemptis. Vnde Traiano imperante vetus dignitas, ac illa quasi maiestas Romani fastigij ad Augustum decus aucta est. Nã & illud passim ab omnibus probatum est: ipsum quidem Traianum militarem gloriã ciuilitate animi ac singulari modestia superauisse. Ex quo illud celebre dictum, Ne sis Traiano melior, Augusto felicior.*

Cautum ex XII. tabulis contra eos, qui alienas segetes excantare, & pellicere tentassent. Et Plinij verba notata, & exposita: inibique prodigium maximum adscriptũ de agris Vectianis. CAP. VII.

Biblioteca de Galicia

IN decemuiralibus tabulis notatũ fuit apud veteres, eos quidem capiti obnoxios iudicari, qui alienas segetes excantassent, aut vllis veneficiis & carminibus pellicere ausi essent. In quo etsi video reprehendi Saſernas, atque alios autores, quòd in eorum libris incãtationes quasdam retulerint: videtur tamen haud quaquam fuisse indignum obseruatione: cùm Romana illa seueritas de re hac in duodecim cauisset: ita enim in his relatum, sicuti & C. Plinij testimonio probatum:

Ne pelliciunto alienas segetes excantando:
Ne incantanto: ne agrum defrudanto:
Ne frugem aratro quæsitam nox furtim depascunto.
Puberes si secanto, Cereri eos suspendunto.
Impubes arbitratu prætoris verberanto:
Ac noxam dupliorem decernunto.

Quod ego vel ob id afferendum putaui, vt eiusdẽ Plinij verba facilius intelligãtur: qui cùm de incantamentis agat, & verborum viribus: In XII. inquit, tabulis etiam scriptum, qui fruges excantassent, & qui malum carmen incantassent. Ex his enim apertè cognoscimus: Excantare segetes atque Pellicere, sacra esse vocabula, & eiusmodi incantationibus propria: sicuti Porricere exta, Procurare fulmina, Legere ossa, & alia eius generis permulta, de quibus suo loco diximus. Putamus enim maximè

ximè ad honestam eruditionem pertinere, non modò vires, ac potestatem rerum, verborúmque cognosse: sed & etymon, & proprietatem: quod & Fabius in primis Quintilianus præcipit. Nam & poetæ interdum veteres sic ea suis carminibus inserunt, quæ ad sacra vitusq; pertinent, vt neque sensus alicubi, nec eruditio admodum deprehendatur. Sed libet etiam (quoniam de incãtamentis & veneficiis egimus) portẽtum adiicere, quod à Plinio ipso notatum est de agris Vectianis ætate Imper. Neronis permutatis. Prodigium, inquit, super omnia, quæ vnquam audita sunt, videri hoc debet: cũ in agro Marrucino Vectij Marcelli, qui eques Romanus fuit, & Neronis procurator, vniuersum alnetum viam publicam transgressum sit, atque ipsa prædia ex loco in contrarias sedes profecta sunt. Quod in gestis etiam Neronis idẽ se Plinius exposuisse profitetur: etsi verecundia ipsa minus ad fidem tam prodigiosi ac inauditi portenti inclinauerit.

Quantum pro veritate inuigilandum, ac de Indorum philosophis, eorúmque studio pro veritate, ac pœna perpetui silentij contra mendaces. CAP. VIII.

PLatonis sententia est, Nihil magis spectare ad officiũ philosophi, quàm cæteris omissis veritati assiduè incumbere: quoniam hæc tã alte posita est, tamque in tenebris obuoluta,

Biblioteca de Galicia

atque recondita, vt nihil sit æquè difficilè, quã eam indagando perueſtigare, ac perueſtigatam cognoſce. Ex quo, vt in aliis permultis, in hoc etiam cum veteribus philoſophis placita Chriſtianorum conſentiunt, aſſerentiam, Nihil in tota vita aut eſſe amplius, aut melius, quàm diuinæ veritatis patrocinium ſubire, & in eius maieſtate conquieſcere. Sed in Chaldæorum doctrinis, atque Gymnoſophiſtarum diſciplinis, tam celebre atque excultum eius ſtudium fuit, vt eorum dogmata & leges huiuſmodi homines maximè obnoxios facerent, qui in aliquo eſſent mendacio deprehenſi. Nam in Republica ipſa Indorum, primus quidem ordo ac dignitas eorum cenſebatur (ſicuti à Diodoro, & aliis traditur) qui philoſophiæ ſacris occupati, optimis quidem diſciplinis incumberent. Hi autem ab omni prorſus ſeruitio ac imperio alieni erant, & quaſi Diis accepti defunctorum iuſta curabant: tum rerum cauſas perquirentes, ſingulis anni principiis conueniebant, pluuias & ventos, calores, & frigora, morbosque futuri anni prædicentes, vniuerſo populo in communem vſum conſulebant. Quòd ſi quis falſa prænuntiaſſet, haud id quidem impunè faciebat, ſed perpetui ſilentij pœna mulctabatur, ſic vt per totam vitam nihil omnino proloqui liceret. Nam & Socrates apertè dicebat: verùm quidẽ hominẽ præter cætera omnia mendacij oſorẽ eſſe

esse. Quin in Symandij regis monumento, iudicum quoque imagines sculptæ fuerunt, quibus ab ipso collo, veritatis effigies pendebat, oculisq; penè clausis, ac libris circumpositis conspicuè. de qua re commodè aliàs scripsimus, cũ de Hieroglyphicis Aegyptiorum ageremus.

Quòd eruditè Pythagoras hominum ætatem in quatuor partes diuisit: atq; inibi etiã de Seruio Tullio, qui Ro. ciuium treis ætates notauerit, ex Tuberone & Gellio. CAP. IX.

EGregiè profectò & eruditè factum est à philosopho Pythagora in distinguenda, annotandaq; hominum ætate. In quatuor enim partes vitam ipsam distribuit hoc modo: παῖδες ἔτη κ, μειράκιοι ἔτη κ, νέοι ἔτη κ, γέροντες ἔτη κ. Has autem ætates idem Pythagoras quatuor anni temporibus condigna similitudine comparabat: videlicet verno tempori pueros, æstati adolescentes, autumno iuuenes, hyemi senes. Accipit autem adolescẽtes puberes, sicuti etiam iuuenes viros: quam rem & Diogenes Laertius in libris de vitis philosophorum recenset. Seruius autem Tullius, qui Rom. populi rex prudentissimus est habitus, cùm censum vrbis constitueret, ac illas classes pro ætate ordinaret, in treis quidem partes ciues suos diuisit, vt essent ad annum vsque XVIII. pueri, & inde ad annos XLVI. iunior

iuniores: supra illam verò ætatẽ seniores: quod ipsum à Tuberone in Romana historia notatũ est, sicuti & Gellius quoque in Atticis retulit. Var. autẽ Terẽtius, qui est habitus togatorum doctissimus, quinque partes hominum vitæ attribuit: itaque omnem gradum, præter extremum in annos xv. diuidit. Primò enim ad vnum xv. Pueros appellat, quòd impubes, & pueri sunt. Secundò ad xxx. annum Adolescentes tradit, ab adolescendo nominatos. Tertio Iuuenes dictos ad annum vsque xlv. eò quòd Rempub. quidem domi & foris egregiè possent iuuare. Quarto Seniores: quòd ea maximè ætate senescere corpus hominũ incipiat: indeq; in exitum vsque vitæ Senectus dicitur, quòd eò maximè tempore hominum corpus senio laboret. De quo Censorinus vir Romanus copiosè ad Cerellium scribit: quo loco Hippocratis etiam medici, Solonis, & Stasea opinionẽ retulit in hominum ætate signanda, atque definienda: quæ apud autores facilè diligentiores comperient.

Quo commento, atque sçuitia Iulianus Imperator contra Christianos desçuierit: ac de eius libris contra Christum, & qui maximè illis responderunt. CAP. X.

EVsebius Pamphili, Augustinus, & alij copiosè memorant, qui potissimùm Romani principes, & qua sæuitia Christianos,

eorum

eorumq; religionem sunt infectati. Non enim ferebat S.P.Q.Rom. aduſq; Constantinos Imperatores, Christianum nomen surgere, aut amplius euagari. Verùm de Iuliano Imperat. qui Byzantius fuit, mirificum prorsus commẽtum, atque adeò callidũ traditur, quo Christianos populos ab instituto, atque inœpto suæ religionis depelleret. Non enim vi, nõ cædibus, non tormentis, (sicuti permulti fecerunt Imperatores, sæuissimi quidem, atque sanguinarij) sed alia ratione aggressus est, vt eos ad veterẽ Romanamq; religionẽ conuerteret. Nam prolatis præmijs, ac dignitatibus, tum blandimentis etiam, atque persuasionibus sic effecit, vt is multò plures occupauerit, quàm qui crudeliter eos, atque immaniter persequendo attriuerit, quòd & Rufinus etiam ad Chromatium scribit. Idemq; tamen Iulianus Augustus edicto cauit, ne Christiani homines prouinciarũ procurationes haberent, neque ius dicerent: quod ipsa (vt dicebat) Christianorum lex vti gladio prohiberet. Quin & cingulum militiæ neminì prorsus concessit, qui Romanis Diis ac numinibus nõ immolasset. Nam sacra illa Romana tam reuerenter, ac religiosè coluit, vt valgò etiam Vicliuarius diceretur. Sed & pari edicto constituit, ne Christiani ipsi gentilium scholas, atque gymnasia adire possent: quò minus in bonis studijs atque disciplinis

Biblioteca de Galicia

proficerẽt: quod ab ipso etiã Marcellino Ammiano refertur, vt Augustinũ, Hieronymum ac Rufinum mittamus. Ammianus enim etsi sub ipso Imperatore Iuliano meruit, atque in acie versatus est: nescio tamen quo pacto de Christianis ipsis modestius multò, quã aut Zosimus, aut Cor. Tacitus loquitur. Illud quoque notandum est, de eodem Iuliano, fuisse illum Græcè ac Latinè apprimè doctum: tum inter alia multa libros vij. verbis petulantissimis contra Christum effudisse, cùm Parthicam expeditionem vrgeret: quibus (vt est autor Hieronymus) fortissimè responderunt, Methodius, Eusebius, atque Apollinaris: sed hæc alibi copiosè disserui.

Quàm egregiè doctus in omni philosophia Vergilius fuerit: & quo modo ea quę de inferis, & cãpis Elysiis scribat, ex Gobria mago trãstulerit. apud Academicum Xenocratem. CAP. XI.

PRo cõperto apud omnes est. P. Vergiliũ omniũ philosophorũ decreta atq; opiniones egregiè calluisse: quod ipsum cũ locis multis probauit, tum in libro maximè Aeneidos VI. in quo satis, abũdeq; videtur asseruisse, quãtũ videlicet humanas omneis, atq; diuinas disciplinas didicerit. Sed quæ de Cocyto, & Acherõte fluuiis retulit, tũ de Minoe, ac Radamantho, qui (vt appellat) quæstores apud inferos sint, ac de cam-

cãpis Elysiis, vbi beatorũ animæ sempiterno æuo fruantur, ea quidem omnia ex ipsis philosophiæ penetralibus eruta sunt, à media Academia assumpta: etsi grammatici nostri ex græcorum fabulis, atq; poeticis cõmentis accepta dicũt: nihil præterea aliud quærentes, nisi quod obuium, dicantatum, atque expositum sit. Nos autem apud Xenocratem Academicum, qui Platonem audiuit, relata hæc à Socrate legimus. Is enim ex Gobria magno de animæ pœnis, atq; beatitudine, hoc idem se accepisse tradit. Sed apponamus Vergilij carmen, vt facilius intelligatur, quàm Gobriæ relationi accedat:

Hic locꝰ est partis vbi se via findit in ambas:
Dextera, quæ Ditis magni sub mœnia tẽdit:
Hac inter Elysium nobis: at læua malorum.
Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit.

Et paulò mox,

Respicit Æneas subito, & sub rupe sinistra
Mœnia lata videt, triplici circũdata muro:
Quæ rapidis flãmis ambit torrentibus amnis
Tartareus Phlegetõ: torquetq; sonãtia saxa.
Porta aduersa ingens solidoq; adamante columnæ
Vis vt nulla virũm, non ipsi excindere ferro
Cælicolæ valeãt: stat ferrea turris ad auras:
Tisiphoneq; sedens, palla succincta cruenta,
Vestibulum ex somnis seruat noctesq; diesq;.
Hinc exaudiri gemitus, & sæua sonare

Ver-

Verbera: tum stridor ferri, tractæque catenæ. Sed nunc ea apponamus, quæ sapiens Gobrias apud Xenocratem referat ex æneis tabulis cũ Xerxis ætate insulam Delon custodiret. Didici (inquit Gobrias) ex tabulis æneis, mortalium animas (vbi corpus exuant) in occultiorem locum sub terram demigrare. In quo Iunonis regia est (quàm poeta noster Vergilius infernam vocat). Si quidem (inquit Gobrias) cum terræ ipsius elementum mediam orbis partem teneat, cælum verò in specie orbis sit: eius quidẽ mediam partem Dij cælites nacti sunt: alteram verò inferiorem, partim fratres cælicolarum, partim nepotes. Vestibula autem ipsa eius regionis, quæ Plutonis est, claustris æneisq; catenis vndique vincuntur: eos verò qui prætermeant, fluuius Acheron primò, & mox Cocytus excipit. Deinde autẽ ad Minoem & Rhadamanthum ducuntur, in eam videlicet regionem, quæ veritatis titulum præfert: ibi enim assident iudices cuiusque vitam examinantes, vbi neutiquam locus est mendacio relictus: sedenim quibuscunque boni dæmones in vita ipsa aspirauerint, ad Elysios cãpos, id est, piorum locum se omnes recipiunt: vbi ver quidẽ assiduum, variis omnigenisq; fructibus viget: ibidemq; læti fontes prænitentibus vndis blanditer obmurmurãt: & prata virẽtibus herbis, variis depicta coloribus. Neque desunt philo-

sophant

sophantium cœtus poetarúmque & Musarum chori suauissimè concinentes: iucunda & grata conuiuia: tum potantium venusti ac hilares cœtus: lætitia verò inuiolabilis, & vitæ suauitas maxima. Nec enim frigoris illic aut æstus nimium, sed cæli perfectio: salubritate aeris, & caiore solis omnia æquè amæna. atq; temperata. Et hæc est beatorum sedes, vbi ex pietatis animis diuina semper mysteria celebrantur. Ac deinceps eorum præterea (inquit) animos lustrari conuenit, qui circa Herculem & Dionysium accedunt: tum ex Cereris cultu atque studio spém quidem felicis itineris concipere: qui verò in flagitiis, atque sceleribus fœdè vixerint, statim à Furiis per ipsum tartarum raptantur in Erebum & Chaos, vbi impiorum regio est, Danaidumque puellarum irritus labor: ad explenda aquis cribra nequicquam nitentium: ibidémque Tantali sitis, Titij viscera, Sisyphi saxum perpetim quidem reuolubile: iam & feræ truces sæuientesq; se vltrò corporibus circumplicant: accensæ ibidem faces, quæ igne perpeti carnes oburunt: hominésque impij & scelesti omnigenis pœnis ac supplicijs assiduè discruciati vexãtur. Atque hæc hactenus Platonicus Xenocrates ex Gobria retulit: vt manifestò ex his cõstet, verã esse Macrobij sentẽtiã, qui P. quidẽ Vergilium dixerit, omnis prorsus philosophiæ fuisse cõsultissimum.

Biblioteca de Galicia

Qui sint apud M. Ciceronem Pentelici hermæ, ac de Pentelicis columnis, atque lapidicinis diligenter exposita. CAP. XII.

VIdeo & illud in quæstione apud doctiores, quomodo accipienda atque intelligenda sunt verba hæc M. Tullij in epistola ad Pomponium Atticum: Hermæ illi tui Pẽtelici cum capitibus æneis me maximè delectãt. In quibus exponendis non pauci admodum imperitissimè incurrunt. Ego autem Pentelicos Hermas ita existimo accipiendos hoc loco, vti Mercuriolos lapideos intelligamus, ex marmore videlicet Pentelico: quoniam eiusmodi sigilla Cicero in Gymnasio (vt inquit) ac Xystis collocare cupiebat: vt qui talibus monumentis, atque antiquitatum laütitijs miro studio teneretur. Lapis verò Pẽtelicus ex lapidicinis Pentelicorum eruebatur: de quibus non Plinius modò & Strabo, sed etiam Theophrastus in libro de lapidibus disserit: quo loco celebres tradit lapidicinas illas, quæ Thebaicæ, Chiæ, Pariæ, ac Pentelicæ nominentur. Sed & Pausanias Pentelicas lapidicinas in Atride cõstituit, quæ forent magno pretio Plutarchus autem Chæroneus cum Capitolij magnitudinem, atque ingentes illas extructiones describit: Columnas inquit illuc ex vrbe Athenarum deuectas, quæ Pentelico lapide constarent: quas ipse columnas (vt inquit) Athenis conspexe-

rat

Biblioteca de Galicia

rat. Sed imperàte Cæsare Domitiano ad vsum atque ornamentum Iouis Capitolini in vrbem delatæ sunt. Is enim Domitianus incredibili sumptu atque magnificentia Capitolium instaurauit, cum memorabili illo incendio magna ex parte fuisset concrematum. De Mercuriis verò, qui Hermæ à Græcis dicantur, quàm frequentissimè apud Græcos autores mentionem comperias: vt Plutarchum, Tucydidem, & Pausaniam, qui ab Athenienſibus refert primum fuisse institutum Mercurios ipsos inter ornamenta exculpere.

Quam docile animal ac placidum sit Elephas: & quod per funes incidere discat: tum de Funambulis ac Funerepis hominibus. CAP. XIII.

DE Elephantis, eorumque viribus ingenio. & doctitate, cum multa à veteribus producta sint, nonnulla (vt fit) quibusdam audientibus retulimus: quòd ea videlicet animantia inter cætera bruta ferè obsequio, & docilitate præstent: sic vt ad magistri imperium scribere, & per funes ambulare traditum sit: quam rem velut incredendam, & fabulosam non sine risu quidem exceperunt, maioribusq; sibilis contempserunt. Quod ego apud ignaros homines sordidisq;, & vilissimis officijs occupatos pro tempore dissimulandum existimaui. Sed in tanta rerum, animantiúmque

Biblioteca de Galicia

varietate, nihil tam summum, aut tam mirum videri debet, quin & esse id possit, & credi iure optimo oporteat (vt est autor Aristoteles) pro merifica & singulari naturæ maiestate: quod in his præsertim accidere par est, quæ optimis quidem autoribus, ac honestis testimoniis nituntur. Nam quòd elephantes ipsi per funes incedere, atque ambulare discant, non aliis quidem verbis à nobis probari debet, quàm Annei Senecæ, qui ad hunc modum in epistolis, Leonibus (inquit) manus magister inserit, osculatur Tigrim suus custos, elephantem minus Aethiops iubet subsidere in genua, & ambulare per funem. C. verò Plinius & aduersis fumibus eos subire testatur, & regredi magis pronis. Sed & Mutianus autor summus affirmauit, elephantem fuisse, qui ductus Græcarum literarum didicerit, solitum perscribere Græcis verbis, Ipse Ego hæc scripsi, & spolia Celtica dicaui. Mitem Cicero nullum esse animal refert, quod & magnitudine sua, & docilitate præstet elephantis. Eos verò homines, qui per funes ambulare soliti sunt, Græci χοιροβάτας vocarunt: à nostris autem Funambuli, seu Funerepi dicuntur: qua voce apud Latinos Terētius poeta, & Messala vsi traduntur: vt Apuleium mittamus, qui funerepos homines appellat in oratione ad Seuerianum proconsulem Carthaginis.

De

De Mythra Deo, qui pro sole apud Persas colitur: déque illius simulacro, ac de Mythriacis sacris copiosè explicatum.

CAP. XIIII.

LEgebatur nuper in ortis Oricellarijs historia de Commodo Antonino Imperatore, qui inter alia scelera atque flagitia (vt traditur) etiam Mythriaca sacra homicidio polluit. Quo loco dubitatum est à quibusdam non indoctis viris qui aderant, quænam sacra hæc forent, aut cui potissimum numini dicata, quod à nobis exponendum est paulò copiosius pro nostro studio, atque diligentia in veterum disciplinis: & primò quidem referemus de ipso Apolline, qui Mythra dictus est apud Persas, ac paulò post de sacris Mythriacis. Persæ igitur (vt à multis refertur) summo cultu atque honore solem habuerunt, quem Mythram vocarunt, quod & Strabo in Persis, & Herodotus, aliíq; complures testantur. Simulacrum verò eius in hunc propè modum finxerunt: vt effigies foret leonis vultum proferens, tiaráque prisco habitu gestans, quæ vtrisque manibus cornua bubula comprimeret. Cuius rei sensus atque interpretatio ab iis ferè explicatur, qui mythologica prosequuntur. Neque illud abre videri potest, quod à Papinio poeta in Thebaide scribitur, cùm solis potestatem atque nomina refert.

Biblioteca de Galicia

Adsis memor hospitij: Iunoniaq; arua
Dexter ames: seu te roseum Titana vocari
Gētis Achæmeniæ ritu seu præstat Osyrim
Frugiferum, seu Persei sub rupibus antri
Indignata sequi torquentem cornua Mytrā.

Sed & Capella Minus, in Philologiæ nuptijs, Mythræ nomen repetit his versibus:

Te Phœbū perhibēt prodentē occulta futuri.
Vel quia dissolubis nocturna admissa Isæum.
Te Serapim Nilus, Memphis veneratur Osyrim,
Dissona sacra Mythram.

Mythriaca verò sacra ita ferè habita sunt: vt in sacrum antrum sacerdotes conuenirent, atque Appollinē magna veneratione prosequētes, Mythram appellarent: tum bouem ex antro correptis cornibus educerent, eúmque sacerdote veluti Mythræ victimam immolarent: simul & hymnos aliaq; cantica decantarent: de quo & Suydas in collectaneis, & Placidus etiam Grammaticus pluribus dissertarunt.

* *
*

PET

PETRI CRINITI DE HONESTA DISCIPLINA COMMENT.

LIBER SEXTVS.

De Beliſarij principis epiſtola ad regem Totylam, cùm is de vrbe Roma diruenda cogitaret: quibúſq; verbis ab infando conſilio deuaſtandæ Vrbis cum deflexerit.

CAPVT I.

DE BELISARIO *principe, eiúſque imperio, & geſtis, copiosè alibi ſcripſimus: cùm tam egregia facinora geſſerit, ac tam multiplici, tamq; varia fortuna vixerit ſicuti in Romanis annalibus, & Procopij hiſtoria legitur. Sed hoc loco viſum mihi eſt, non ingratum fore legentibus, ſi eiuſdem epiſtolam ſubijciã, quam ipſe Beliſarius, Græcè ſcriptam ad imperatorem Totylam miſit, cùm is in vrbẽ victor cum exercitu eſſet ingreſſurus, ac non paruam mœnium partem tum diruiſſet: nam & pulcherrima quidem ædificia, & quæ digniſſima in*

Biblioteca de Galicia

vrbe forent, incendi volebat: Romamq; ipsam μηλόβοτον (vt inquit Procopius) efficere. nitan tum facinus suis literis Belisarius inhibuisset. ad regem Totylam Græcè scriptis in hunc modum: Prudentis viri officium est, vrbes augere, vacuasq; ornamentis implere. Quod ipsum ad eum maximè spectat, qui probo ciuiliq; animo agere consueuit. Si qua verò sit vrbs, quæ summo ornatu, eximiaq; pulchritudine polleat, sicuti Roma nunc est: nónne id ingenij perditissimi, atque obnoxij dixeris, sicubi diruere illam conetur: sedenim Roma ipsa omnium quidem vrbium, quæ sub cælo sunt, maxima & memoratu dignissima, non viri vnius opere, non breui momento ad id magnitudinis, atque pulchritudinis excreuit: sed regum plurimorum, virorúmque clarissimorum virtutibus, longo tempore, summa diuitiarum copia, artificióque incredibili. Nec enim breui huiusmodi vrbem (quam nunc vides) Romani extruxerunt, monumentum sanè cunctis posteris eximiæ virtutis. Cæterum cùm ita se res habeat, illud scire debes, quòd alterum necessariò sequitur: aut enim hoc in bello victus succumbes, aut annuente fortuna superabis. Quòd si ad te victoria ipsa declinarit, Romámque deleueris, haud rem alienam, sed tuam propriámque ô Totyla, perditum ibis. Sin autem eam seruaris, regiam certè omnium pulcherrimam, atque ditissimam

possede

Biblioteca de Galicia

possederis. Si verò à nobis deuictus fueris, seruata vrbe atque incolumi, gratias immortales à victore debes expectare: sed diruta nulla prorsus humanitate contra te agetur. Vtcunque autem hac in re te gesseris, statim fama subsequetur, quam scias quidem eiusmodi futuram qualem tu ipse, vel opera tua portabunt. Vale. Hactenus Belisarius. Qua in re illud notandum, quod ipse quidem Totylas (vt inquit Procopius) cùm epistolam hanc sæpius perlegisset, ac æquo animo eiusmodi admonitionem accepisset, ab incepto opere diruendæ vrbis destitit: neq; mox quicquã cõtra vrbẽ molitus est: quod abundè in historia ipsa Procopij scriptum est.

Quàm sit cautum loquẽdum apud principes: tum de rege Persarum Cambyse & Traxaspe nobile exemplum: & quomodo præstant apud Persas qui amplissimè bibunt.

CAP. II.

NVper habitus sermo inter doctiores, quantùm in vitæ officiis proloqui, & quo tempore deceat: quoniam nihil ferè magis in vita noxium, atque perniciosum est, quàm intempestiuè aliquid proferre: præsertim apud principes, à quibus id totum facile potest effici, quod libitum illis sit. Ad hoc autem exempla aliquot in medium pro re sunt allata ex Græcis atque Romanis Historiis: vt de Callisthene philosopho, & poeta Philoxeno, aliisq; cõplu-

Biblioteca de Galicia

ribus. Sed exemplum de rege Persarum Cambyse, ac Traxaspe, visum profectò est dignum ingenio barbaro, atque truculento: cuiusmodi Cambyses fuerit, regum quidem Persarum sæuissimus. Nam cum is Traxaspes, qui regi charissimus erat, nimium vini auidum regem, & vsque ad ebrietatem perfundi videret, eum liberius summonuit, vt parcius mero indulgeret: parum dignum referens in rege accusari ebrietatem: quem videlicet oculi hominum atque aures sequerentur. Quibus verbis iratus Cambyses, Et ostendam, inquit, tibi ex ipso vino regem haud sibi excidere, neque mente labi. aut oculis caligare: sed & manu. & oculis suis probè officium suum præstare: & simul cœpit liberius bibere, atque capacioribus poculis seipsum proluere. Ac iã factus vinolẽtus, Huc, inquit, ô Traxaspes filius tuus procedat: tũ iubet adolescentẽ sublata super caput sinistra manu, procul consistere, & interim capit arcum rex, intendensq; illum, Probabo nunc, inquit, falsum esse quod obiurgas: & in cor ipsum adolescentis aciem simul ac spiculũ direxit. Cumq; illud pro libidine fixisset, propè accessit, ac discisso adolescẽtis pectore, Spiculũ, inquit (vt dixerã) in cor ipsũ aspicis. nũquid ô pater mihi excido? aut in ictu aberro? Pater autẽ Traxaspes factus iã suo malo in loquẽdo prudẽtior fortunæq; regiæ, & sæuitiæ obsequẽs, Nec ipse, inq;

Apollo

Apollo certius atque aptius arcum intendisset Quam rem non Herodotus modò Halicarnassæus in Persica historia, sed Anneus etiã Seneca retulit. Consuetudo autem apud Persarũ populus fuit, vt hi nobiliores crederentur, atque in agendis officijs aptiores, qui cum se vino admodum prolucrent, mẽte ipsa consisterent: neque à ratione discederent. Ex quo Cyrus regis Darij filius, cùm ad Lacones epistolam de se scriberet, non modò seipsum in magica disciplina præstare fratri Artaxerxi asseruit: sed in potando mero adeò excelluisse, vt cùm cæteris foret bibacior, mente tamen consisteret. quod à Plutarcho etiam Chæroneo traditur.

Non esse populo inuulganda, quæ arcana in sacris sunt: ac Vergilij carmen expositum ex Eleusinis sacris Proculò procul este profani: & item de Numenij somnio digna obseruatione historia.

CAP. III.

EGregiè Plato & prudenter alicubi docet, non esse illa populo aperienda, & inuulganda, quæ sacra & arcana in mysterijs sunt: quoniam indignum prorsus, ac fœdum sit, ab eiusmodi hominibus ea illotis manibus tractari, quæ initiatis duntaxat animis, ac expiatis patere debent. Ex quo meritò laudati sunt Pythagorici philosophi, qui propria dogmata & præcepta inter suos tantum seruantes, nemini alteri indicabant: quod He-

Biblioteca de Galicia

brœi etiam in sacris legibus diligentissimè obseruarunt. P. autem Vergilius, qui mores varios, ritusq;, ac religiones optimè tenuit, non temerè illud ad Sibyllæ nomen retulit:

Aduĕtāte Dea procul, ô procul este profani,
Conclamat vates, totoq; absistite loco.

Id enim ex Eleusinæ Cereris initiis assumptum à poeta est: in quibus (vt veterum probat autoritas) eos duntaxat admittebant, qui forent initiati: quod ab ipso præcone agebatur, procul esse profanum vulgus acclamante. Vnde illud Flacci perelegans: Odi profanum vulgus & arceo. Quando & Valerius Soranus non aliam ob causam dicitur obiisse, quàm quòd patrios deos, eorumq; nomen contra ius Romanæ religionis inuestigauerit. Qua in re libet etiam Numenij Pythagorici somnium apponere, quò facilius intelligatur, nihil fœdius, aut scelestius habendum, quàm mysteria occulta religionis in vulgus prodere. Sed enim Numenius ipse, quanquam in philosophia vir excellens: in eo tamen offensam numinum subiuit, quòd Eleusina videlicet sacra interpretari, ac vulgo promere ausus sit. Quò factum est, vt in somnio Deas quidem Eleusinas viderit forma & habitu meretricio ante apertum lupanar prostantes: cumq; huius rei causam diligenter Numenius quæreret, cum bile admodum, & irata fronte illi respon-

rẽſponderunt, ab adyto ſe veteris pudicitiæ ab eo abſtractas, ſeq; omnibus paſſim proſtitutas. Itaque facilè mox Numenius culpam agnouit: cùm nihil eſſe petulantius diceret, quàm de rebus diuinis ac religionis arcanis citra verecundiam agere. Habes hoc & in primo Macrobij commentario ad Euſtathium filium, in quo de Republ. Marci Tullij diſputat.

De Gallonij ſumptu & dapibus, verba in oratione Ciceronis expoſita: atq; ibidem Luciliani verſus appoſiti: cum Horatiana imitatione de Gallonij acipẽſere.

CAP. IIII.

LEgebatur nuper oratio M. Tulij pro P. Quintio: & cùm quidam benè literati, atque eruditi, adeſſent: orta eſt addubitatio de hiſtoria Gallonij, & eius luxu, in his verbis: Non vt dominentur illis, qui relicta virorum bonorum diſciplina, & quæſtum, & ſumptum Gallonij ſequi maluerunt. Quis igitur hic Gallonius apud M. Ciceronem ſit, facilius dubitatur ab eruditis, quàm explicatur: nos autem in Lucilianis verſibus priden leginus, Publium hunc Galloniam fuiſſe poſtremæ gulæ hominem, & in cupediis, & lautioribus cibis aſſiduè verſatum. Vnde ob eam rem à Lælio viro ſapienti Gurges eſt appellatus. Nam & Flaccus Horatius eundẽ Gallonium

Biblioteca de Galicia

Iouium fuisse præconem aliquando testatur, atque eius mensam accipensere magno infamē: quod ex Lucilij poëte satyra, mutuatus est. Versus autem Lucilianos, quoniam lepidissimi sunt libitū est adijcere: sicuti & M. Cicero in libro de Finibus refert ex satyra ad Lapathū:

Lælius præclarè & rectè Sophos, illeq; verè
O Publi gurges Galloni ex homo miser inquit.
Cœnasti in vita nunquā bene, cū oīa in isto
consumis squilla, atque accipensere cum decumano.

Sed & Florēs Tertullianus Curij aleam, Apitij gulam, & Gallonij sumptum, & Antonij ebrietatem inesse, vt ex his omnibus facilè quisquam intelligat, quid in oratione M. Tulij Gallonij sumptus significet: quin Romæ etiam inspeximus hanc de C. Gallonio & vxore inscriptionem in marmoreo lapide:

D. M. GALLONIAE. C.F.QVAE
EPICHARIS. C. GALLONIVS.
C.F.VIP. MARITIMOS ET PA-
TER FECIT.

Quibus verbis Caracalla Imper. cum Iulia nouerca, pudore vendito, sit congressus: quantúmque flagitij & malorum ex nimia imperandi licentia oriatur.

CAP. V.

Notum

Biblioteca de Galicia

NOtum carmen est, & apud veteres olim in vrae celebratum: (licet.

Cui plus licet, quàm par est: plus vult, quàm Hoc enim in vita mortalium ferè accidit, vt cum imperio ipso, licentia maior in dies fiat. Vnde omnia propè scelera ac flagitia, reiectis legibus oriuntur. Quod ipsum infinita quidem exempla testantur, quæ in græcis ac Romanis annalibus passim leguntur. Sed illud visum mihi est dignũ relatu de Antonino Augusto Caracalla, eiusq; coniugio. Nam cum Iuliam nouercam haberet: eaq; egregia forma & eleganti præstaret: fortè accidit, vt corporis partẽ præsente Antonino Imperatore paulò incautius nudaret: qua conspecta, cúm in eam proclinius exerstisset Antoninus, velim, inquit, si liceret. Iulia verò (vt ingenia mulierum sunt) arrepta statim occasione, Si libet, licet, respondit: Leges dat Imperator, non accipit. Quibus auditis, Antoninus idem Caracalla ad obeũdum scælus audacior factus est, ac nuptias cũ nouerca Iulia celebrauit, & ad parricidium (vt inquit Spartianus) adiunxit incestum: siquidẽ Iuliam duxit vxorẽ, cuius filium paulò antè occiderat. Ex quo perlepido scommate Helij Pertinacis illusus est, cùm eundem non Parthicum modo, Alamannicum, & Arabicũ Imperat. sed Geticum etiam appellauerit.

Neq; autẽ adhuc Mario Maximo assentimus

mus qui eam meliorem esse rẽp. atque tutiorẽ dicit, in qua Princeps ipse malus est quã in qua sint amici principis mali: nam facilius est (vt apparet) à bono principe malos corrigi, quàm malum principẽ à bonis superari: etsi huic sententiæ Iulius quoq; Capitolinus parum accedat, sumpto de imperio Domitiani Augusti exemplo: quod alibi etiam latius exqlicauimus.

De studio Philosophi Euclidis in bonis disciplinis: ac de Hieronymo etiã, quàm vehementer & assiduè inuigilaret: tum quibus præceptoribus atque vrbibus doctrinam acceperit. CAP. VI.

PRobè factum est à veteribus, qui Euclidis philosophi studium atque eruditionẽ summis laudibus sunt prosecuti. Præter enim assiduam eius diligentiam, atque labores maximos in percipiẽdis disciplinis, in audiendo etiã Socrate promptum & alacrem animum probauit: sicuti philosophus Taurus retulit, vir inter Academicos Hadriani ætate excellẽs. Nam cùm ipse Euclides, propter Atheniensium decretum contra Megarenses, non posset Athenas se conferre, ad audiendum Socratẽ: quoniam capitale foret, si quisquam Megarensium ab Atheniensibus esset comprehensus: non tamen putauit magis periculi rationem habendam: quàm studiorum: sed muliebri veste indutus, & pallio (vt inquit Gellius,) versicolo

Biblioteca de Galicia

ſicolore amictus, capitéque obtectus ſub ipſam noctẽ à Megaris Athenas itabat: vt per noctem ſaltem audire Socratẽ, atque aliquid diſcere liceret. Tum etiam ſub lucẽ eadem veſte intectus in patriam Megarã remeabat Hieronymus autem noſter in omnibus propè diſciplinis vir ſummus, non minore ſtudio ac diligentia honeſtis artibus incubuit. Nã & Romæ priùs, & in Byzantio mox, atque Antiochia, demumq; apud Solymas plures ac varios præceptores audiuit. Sed cùm Iudæi ipſi ex veteri lege neminem poſſent Chriſtianum edocere: impetratum eſt tandem à Hieronymo, vt Hebræam eruditionem horis ſaltem nocturnis liceret adire: eoq; nomine Barbanum quendam audiuit: qui ſiquando à cæteris Iudæis deprehendi metueret, Nicodemum alium, & ipſum Iudæum, in præceptoris officio ſubſtituebat: tantumq; adeo & vigilando aſſidueq; componendo conſecutus eſt Hieronymus, vt plura quidem idiomata egregiè didicerit. Quod ipſe etiam Auguſtinus in libro ad Cyrillũ de Hieronymo teſtatur: qui eum ſcribit non Hebraicam modò, Græcamq; & Chaldaicã ſed Latinam, Perſicam, Arabam, ac Medam percepiſſe: etſi plerique affirmãt, hunc ipſum librum minimè Auguſtino adſcribendum. Illud certè notiſſimũ, quòd idem quidem Hieronymus in humanioribus literis Aeliũ Donatũ atque

Biblioteca de Galicia

Victorinum audiuit. In sacris verò Gregorium Nazianzenum. Apollinarẽ Antiochenũ, & Didymum Alexandrinum: sicuti ex Iudæis Barbanum quem diximus: hunc enim Hieronimus nocturnum præceptorem appellat. Sed hoc totum copiosè Hieronymus refert in epistola ad Pammachium & Oceanum: modestè tamen. vt hominem decuit, posteritatis causam, atque religionis agentem.

De XVI. cœli regionibus, & quæ nomina sint adscripta ex Mineo Capella relatum & alia obiter addita. CAP. VII.

DE veterum Diis atque numinibus complura quidem & Latinè & Græcè scripta leguntur: nec enim defuerunt qui libros integros huic operi dicauerint. Nos autem ea nunc obseruanda putauimus, quæ cœli regiones designarunt, quibúsque locis propria numina sunt attributa, sicuti prisca illa theologia existimauit. Vniuersum igitur cœlum in regiones XVI. signarunt: vt quaternario numero quamlibet partem absoluerent. Primo enim ipse Iupiter optimus maximus collocatur: quem à iuuando patrem genitorémque omnium dixerunt: cui collegas XI. faciunt, vt à Q. Ennio scriptum est. Qui verò subsequuntur Dii à Capella Mineo Iouis milites appellantur: nam post ipsum Iouem Dii Consentes, Penates, qui & Patrii & Genethlii.

Salus

Biblioteca de Galicia

Salus, ac Lares, Ianus etiam, & Nocturnus. & Opertanei. Tertio loco Prædiatus, Quirinus, Mars, Lares militares, Iuno, Fons & Lymphæ, dyq; Nouensiles. Sequuntur deinde Iupiter Secundanus, Opulentia, & Minerua, quibus Discordiam, Seditionem ac Plutonem addunt. Mox autem Lympha syluestris, Lar cœlestis, Mulciber, & militaris Fauor. Sexto loco Ceros, Tellus, Terræq; pater, Vulcanus, Genius, & Iouis filij Pales, Fauor, & Solis filia Celeritas, Septimo Fraus ipsa, quæ Mercurio solet in rebus omnibus obsecundare. In octauo Ver, & Venuleia, vt apud Verrium notatum. Nono verò Iuno hospita, & Genius. In decimo Neptunus, Neurita, & Lis, In XI. Consus, vnde Consualia Romæ celebrata, & Consiara nobilis. In XII. Fortuna, Valetudo, Pauor, & Manes. In XIII. Sancus deus: vnde quidam sancire, & sagmina deduxerunt. In XIIII. Fata, seu Parcæ: hoc est, Decima, Nona & Morta, vt Cesellius tradit: siue, vt alij volunt, Clotho, Lachesis & Atropos: quæ Iouis maximi sententias excipiunt. In XV. autem sede Saturnus, Iuno cœlestis, Veiouis, ac Dij publici. Et in vltimo Nocturnus, & Ianitores terrestres, quod ipsum, cùm ab alijs, tum à Mineo Capella seruatum est, in Mercurij atq; Philologiæ nuptiis. Néq; de multiplici, varioq; Iouis nomine differen-

Biblioteca de Galicia

dum est: cùm vel trecentos quidem Ioues M. Varro enumerauerit: vt autor est Florens Septimius. M. autem Cicero in XVI. partes cælum ipsum scribit diuisum. Quod ex Hetruscis commentariis sumptum est, quorum videlicet disciplina diligenti cura examinabat, quamaxima cæli parte fulmina ipsa & tonitrua mitterentur: quod Anneus item Seneca, & C. Plinius testantur, sicuti copiosè in epistolicis exposui.

De literarum notis in veterum causis, tum de silentio in iudiciis: & Plautinus locus expositus. CAP. VIII.

MOris fuit apud veteres, vt in quæstionibus & causis peragendis iudices ipsi quibusdam literis rem denotarent. Siqui enim absoluebantur, aut condemnabantur, notas ad id proprias apponebant, veluti etiam in causæ ampliatione: quod à Pediano Asconio diligenter obseruatum est. Nam siquis fortè à iudicibus damnatus erat, id ipsum K. litera notabatur: sin erat absolutus, A. apponebatur, signum verò ampliationis, cùm res ipsa in tempus diffinderetur, N.L. adiiciebãt: quòd ex eo non liquere signabatur: eóque modo causæ ampliationem nasci asserebant. Quid autem interfit inter Comperendinationem & Ampliationẽ egregiè idem Pedianus explicat, qui legem quoque Glauciam ob id la-

tam

Biblioteca de Galicia

tam scribit de ipsa comperẽdinatione: vt sententia diceretur, si esset absoluendus reus: vel amplius pronuntiaretur, si videretur damnandus: cùm causæ obscuritas foret: quod & M. Cicero locis pluribus insinuat. De silentio autem in causis pauri ex veteribus meminerunt, & si apud comicos facilius id comperias: vnde iocus ille maximè Plautinus à Blepharone prolatus de gemino Amphitryone:

Dextro eodem in loco: signo eodem: apparet
probè (rida:
Vt primum tonuit, cicatrix ruffula, subluIacẽt rationes, silet iudiciũ: quid dicã nescio.

Hinc etiam (vt dixi) silentia in iudiciis, cùm nihil vtique appareat, quòd ex re vel coniectura aliqua indicari possit. De his verò literarum notis agitur etiam in Probi Valerij commentario, quem de notis, earúmque ratione composuit.

De mollitie Hortensij oratoris, ac Demosthenis: tũ perlepida historia de Hortensij munditia, qui diem collegæ dixit, quòd illi togæ structuram deturbauit.

CAP. IX.

SCriptum est ab his, qui oratorum mores & vitam explicarunt, fuisse Demosthenem in vestitu cultuq; corporis nimium affectata venustatis, atque elegantiæ: quòd illi etiam

Biblioteca de Galicia

probro, & quasi dedecori ab inimicis est obiectum. Verum de Q. Hortensio paria admodum referuntur, quòd is quidem vel apud Romanos ipsos tã accurato, & molli habitu, & vestibus uteretur, ut risu dignũ sit, ne stomacho dicam, tãta illũ mollitie, luxuq; penè fæmineo vixisse, in ea præsertim ciuitate, quæ vitæ grauitatem, ac modestiã egregiè supra cæteras coluit. Mitto enim quòd idem Hortensius frequens ad speculum accederet, faciemq; ex eo quæritaret, ne toga ulla parte non bellè posita viseretur: & fluentes sinus molliter agens, qui lateris modum elegantius, quàm Romanum virum deceret, ambirent. Sed illud certè dignum obseruatione, eundem quidem Hortensium sic ex professo venustatem coluisse, ut cùm ad speciem mũditiemq; cultior & ornatior aliquãdo incederet, diem collegæ dixerit de acceptis iniurijs, quòd is in locum angustiorẽ illi obuius, togæ structuram offensu fortuito destruxerat, eámque de loco deturbauerat. Quod in suo quidem collega (ut ait Macrobius) velut capitale est insectatus: adeò se Hortensius ad omnẽ venustatis mollitiem de industria componebat, ne dicam effœminabat. Ex quo L. etiam Torquatus in quadam causa apud iudices Dionysiam illum saltatriculam, & Histrionẽ appellauit: quòd inter agendum argutijs, & manuum gesticulationibus præcipuis uteretur: quam rem co-

piosè

pioè alibi enarrauimus.

De sæuitia L. Syllæ, & Vedij Pollionis, qui seruos in piscinas coniiceret ad Murenam, & de Octauij Augusti animo contra eam feritatem. CAP. X.

SCriptum est in veterum commentarijs de sæuitia & crudelitate L. Syllæ, ac Vedij Pollionis, quòd is quidem L. Sylla tanta animi crudelitate æstuauit, támque auidè humanum sanguinẽ (vt ait Seneca) bibit, vt septẽ millia Romanorũ ciuium interimi, atq; contrucidari iusserit: sicuti Appianus, aliiq; permulti referũt. Sed illud de Pollione Vedio nimiũ quã inusitatæ, ac prodigiosæ feritatis iudicari potest: Is enim Vedius, cùm piscinas magno studio ac diligẽtia haberet, solitus est seruos suos occidere, eosq; piscibus vorandos præbere, vt hominũ cruore pastos comesset. Quod hercle in Romana quidẽ ciuitate non sceleſtũ modò, sed in primis nefariũ haberi debet, Octauio præsertim imperãte, De qua re Septimius Tertullianus copiosè scribit, in libro quẽ de Pallio fecit. Anneus verò Seneca cũ Cæs. Neronẽ ad clementiã instrueret, sic inclamat: O Vediũ mille mortibus dignũ, qui deuorãdos seruos murenis obiiciat, quas erat esurus. Qua in re illud etiam accidit dignũ Octauij Augusti prudẽtia, & mãsuetudine: Nã cùm is apud eundẽ fortè Vediũ cœnaret, ac puer qui ministrabat, crystallinum

Biblioteca de Galicia

fregisset, statim Vedius interimi illum, muræniſq; obiici iusserat: sed cùm ad Augusti pedes confugisset, auxilium & opem implorans, absolutus est. Quam rem libitum est Annei verbis repetere, ex libro quem de ira scripsit ad Nouatum. Cùm diuus, inquit, Augustus apud Vedium Pollionem cænaret, fregit vnus è sermis crystallinum: ex quo rapi eum ad mortem Vedius iussit: nec vulgarem quidem, nam murenis obiici iubebatur, quas ingens piscina continebat. Quis non putaret hoc illum causa luxuriæ facere? sæuitia erat: sed euasit è manibus puer, & ad Cæsaris pedes confugit: nihil aliud petiturus, quàm vt aliter periret, ne esca piscium fieret. In quo adeò motus est nouitate crudelitatis Cæsar, vt illum quidem dimitti, & crystallina potiùs omnia perfringi iuberet, piscinamq; compleri. Hinc etiã C. Plinius tradit fuisse à Vedio Pollione in murenis sæuitiæ documẽta excogitata qui eques Romanus fuit, cũ in earũ viuariis damnata mancipia immergeret.

De Lecanomantia veterum, quomodo & quibus sacris fieri consueuit: ac de voce & natura dęmonũ, & alia itidem ex Ioanne Zeze repetita. CAP. XI.

INter genera & potestates diuinationum, quas veteres coluerunt, pars etiam illa reponitur, quæ fieri per peluim solebat, aut per solium, (vt quidam dixerunt) Graci eam frequentì

Biblioteca de Galicia

quenti vocabulo Lecanomantiam appellant, de qua & C. Plinius alicubi disserit, sed paulo tamen pressius: vt eam reprehendere potiùs, quàm explicare voluerit. In Græcis verò commentariis permulta comperies, in quibus hanc ipsam Lecanomantiam illi præcipuè exponunt, qui Academiæ dogmata sectati sunt: quoniã de Genijs ferè Dæmonibusq; & diuinandi ratione, supra cæteros philosophos diligenter & accuratè disputant: cuiusmodi sunt illæ quæ à Michaele Psello de natura & viribus dæmonum ex Marci disciplinis referuntur. Fit etiã, inquit, vaticinatio per peluim, quæ Lecanomantia dicitur qua & rustici sæpe vtuntur, quemadmodum per aerem quoque, & per frondes rerum prædictiones fieri solent: sic ipsa quidem diuinatio per peluim censetur, maximæq; apud Assyrios populos in pretio est, siquidem magna ex parte cum dæmonibus conuenit, qui à tali materia haud prorsus abhorrent. Vaticinantes igitur peluim aqua plenã accipiunt, quam cùm dæmones irrepserint, leniter primò illapsi residunt, sic vt subsilire quidam spiritus videatur. Nam etsi aqua ipsa in peluim fusa, secundùm eius substantiam à cæteris aquis minimè differat: adhibitis tamẽ quibusdam carminibus, ex eorum potestate maximè præcellit, vt aptior multò sit ad illum fatidicum spiritum excipiendum. Id autẽ est dæmonum proprium,

Biblioteca de Galicia

vt cùm attracti aut illecti in peluim sunt, ex eo quidem lapsu perexiguus sonus, ac significationis expers audiatur: deinde in ipsa vnda oberrans, & quasi lusitans, exilem sibilũ insusurrat, quo futura prænosci possint. Is enim spiritus vocem prætenuẽ emittit, quò ipsi demones minus intelligantur, & obscuritate rei facilius hominum votis imponãt. Et reuera perexilis vocula dæmonum & exigua est: quòd olim noster quoq; Venetus Hermolaus dicebat, vocẽ se dæmonis prætenuẽ, & penè subsibilantẽ audisse, qua ille de Aristotelis fortè entelechia interrogatus sibỹpsi, & Georgio Placentino, respõsitauit. Ioãnes autẽ Zezes vir doctrina multiplici, totiúsque antiquitatis curiosus, de ipsa vaticinãdi parte in Homericæ Iliadis cõmentario scribit, ea referens, quæ ad istiusmodi vaticinationes cõueniant: Nam & veterẽ & nouã Lecanomantiã tradit, & in quibus potissimũ differãt, Vetus enim qualis illa Vlyssis: noua autẽ, quæ ex aqua ἐν λεκάνῃ, & in qua aurũ, argentũ, electrum, æra & lapides, aliaq; id genus veniebãt. Nullæverò adesse mulieres, aut aliqui cum mulieribus coinquinati poterant. Sed & vestes, & cætera ad id instrumenta ab eodem Zeze referuntur, sicuti alibi dictum est.

Qui

Quibus elemẽtis, atque initiis animantia dicantur constare: ac de Quinta essentia ad vniuersum orbem disponendum, atque absoluendum. Ibidemq; Mercurij verba relata, & Vergilij carmen expositum.

CAP. XII.

QVi de elementis animalium, atque principiis diligenter scripserunt, omnia quidem animantia tradunt ex quatuor elementis constare: hominem verò ex ijsdem, ac diuino etiã spiritu, quem alij Quintam essentiam, seu Perfectionem, vel Harmoniam dixerunt: quæ per vniuersum decurrere, atque transmeare facillimè posset. Dicunt igitur ab ipsa terra carnem haberi, ab aqua humorem, ab aere anhelitum, ab igne feruorem, à diuino spiritu ingenium, seu mauis rationem: quod ipsum & philosophi aliquot asserunt. Romani autem Theologi, vt Val. Soranus, Var. Terentius, & Figulus, sub nominibus deorum hoc totum intellexerunt: quos geniales vel patrios vocarunt: quoniam sunt hæc omnium quidem rerum semina, atque principia, quæ Græci τὰ στοιχεῖα appellant: tametsi Lunam quoque & Solem (vt est autor Festus) cum reliquis signis inter geniales deos conscripserunt. Poëta autem Vergilius, vt in omni philosophia egregiè doctus, ad hunc modum id exequitur sub Anchisæ persona:

Prin-

Principio cælum, ac terras, campósque liquentes.
Lucentemq; globum Lunæ, Titaniaq; astra
Spiritus intus alit: totamq; infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.
Inde hominum, pecudúmque genus: vitæq; volantum,
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus.
Igneus est ollis vigor, & cæleſtis origo
Seminibus, quantùm non noxia corpora tardant.

Quam rem noſter Vergilius ex adytis videtur Academiæ (vt alia permulta) tranſtuliſſe: ſiquidẽ à Platone philoſopho aſſertum eſt, Deum ipſum, cùm molem hanc totius orbis conſtruere atque diſponere decreuiſſet, animam quandam, ſeu ſpiritum vel rationem excogitaſſe, cuius ſapientia vniuerſus ferè orbis aptiſſimè componi, atque adornari poſſet, & ad rerum ordinem, & ad ſingularem decorem. In qua ſententia & Mercurius Aegyptius fuit, qui diu ante Platonis ætatẽ floruit: cuius verba hoc loco ſubiiciemus, quò cumulatius hoc totum percipiatur. Animantium, inquit, corpus ex quatuor elementis cõſtitutum eſt à Deo: habet enim aliquid in ſe ignis, aliquid aeris, aliquid aquæ aliquid terræ: neque tamen ignis eſt, neque aër, neque

Biblioteca de Galicia

neque aqua, neq; terra. Quæ facilè probari possunt: nam terræ ratio in carne est, humoris in sanguine, aeris in spiritu, ignis in calore vitali. Sed neque sanguis à corpore secerni potest, sicut humor à terra: neque calor vitalis à spiritu, sicut ignis ab aere: adeò rerum omnium duo sola reperiuntur elementa, quorum omnis ratio in nostri corporis fictione concluſa est. Itaque ex rebus diuersis ac repugnantibus homo factus est, sicuti & mundus ipse ex luce ac tenebris, ex vita & morte. Quæ duo inter se & in homine pugnant: vt si anima superior euaserit, quæ ex Deo trahit originem, sit immortalis, & in clara perpetuaq; luce versetur: sin corpus euicerit animam, suoq; imperio subiecerit, in tenebris sempiternis, atque in obitu deliteſcat. Idipsum & Brachmanæ asserunt, vt copiosè probatur eorum decretis. Sed hæc de altioribus disciplinis theoremata, maiorem sibi curam, atque otium requirunt: quæ secreto operi explicãda reseruamus.

Relatum de Carmanis populis, quàm mirifica sit eorum consuetudo in suspendendis occisorum hostium capitibus, & eorum linguis esitandis. CAP. XIII.

INter alia, quæ de Carmanis populis memorantur, illud etiam visum mihi est admodum mirificum, neque indignum, quod à nobis repetatur.

Biblioteca de Galicia

tatur, qui ex eorum numero sumus (vt inquit eleganter Augustinus) qui scribendo proficimus, & proficiendo scribimus. Relatum est igitur, neminem apud Carmaniæ populos vxorẽ posse ducere, nisi caput occisi hostis ad ipsum regem detulerit. Rex autem craneum seu caluarias (vt Celsus appellat) occisorum in regia statuit: linguam verò è faucibus auulsam minutatim concidit, paneq; permistam illi degustandam porrigit, qui ad regem caput amputatum pertulit: tum suis familiaribus atque aulicis seu sapidissimum cibum edendum præbet. Quin apud eosdem ille rex haberi solet celebratior, atque præclarior, ad quem plura occisorum capita deuehantur. Quod cùm alij, tum Strabo in geographia testatur, vir in omni antiquitate perquirenda solertiæ singularis.

PETRI

PETRI CRINITI DE HONESTA DISCIPLINA COMMENT.

*

LIBER SEPTIMVS.

De ingenio & eruditione Gregorij Naziãzeni & Basilij: & quo affectu ac studio simul ab humanis literis ad sacras & diuinas concesserint. CAP. I.

QVANTVM *naturæ similitudo, & studiorum ratio in conciliandis hominum animis atque coniungendis possit, satis testantur philosophorum libri: in quibus exempla etiam non pauca referuntur, tum Græcorum hominum, tum Latinorum. Sed cùm fortè eorum mores atque vitam considerarem, qui in Academia Christiana maximè præstiterint, dignum memoria putaui, quod à Rufino Aquilegiensi (qui Didymum Alexandrinum habuit præceptorem) scribitur de Basilio, & Gregorio*

gorio Nazianzeno, eorumq; singulari inter se affectu, & diligentia. Sedenim Gregorius idē (qui ex Nazianzo oppido fuit) cùm præclara eloquentia foret, atque Basiliū egregio affectu coleret, tantùm confisus est eius animo, atque amicitia (nam simul rhetoricam docebant) vt sedentē illum, ac rhetorica præcepta exhibentē, de officio (vt inquit Rufinus) disserendi deponeret: atque iniecta manu ad Academiā Christi perduceret: in qua altioribus disciplinis, ac diuinis mysterijs studio indefesso, & solertia singulari, per annos tredecim incubuerunt, quò veritatis arcana generi humano vberius atque cumulatius explicarēt. Sic enim de vtroq; idē Rufinus ad Chromatiū scribit: Gregorius & Basilius episcopi, ambo nobiles, ambo Athenis eruditi, ambo collegæ, ambo de auditorio egressi ad rhetoricam profitendam imperante Theodosio Augusto rogabantur. Nam & Hieronymus hunc ipsum Gregorium non modò vt optimum præceptorem in optimis disciplinis agnoscit: sed & eloquentissimum virum meritò appellat. Sequutus autem in ipso dicendi stylo Polemonem Laodiceum traditur: ac inter alia permulta contra Iulianum Imperatorē librum pro re Christiana egregiè scripsisse: quòd ille cōtra Christum impudentissimè libros aliquot in expeditione illa Parthica effuderit: quod ab eodem Hieronymo locis pluribus relatum est.

De

De Hieroglyphicis Ægiptiorum literis: ac de vulture, & ape, eorumque Symbolo: tum de cruce etiam ipsa nobilis consideratio. CAP. II.

DE literis Aegiptiorum, quæ hieroglyphicæ appellantur, cùm apud veteres autores mentio est, tum in obeliscis etiam nunc considerari hoc potest: in quibus figuræ illæ, & effigies animantum diuersorum herbarúmque, fluuiorum & arborum, scultæ eius gentis philosophiam designant: sicuti Strabo & C. Plinius grauissimi autores testantur. Nam in obeliscis regum Sesotidis atque Sennosornei, qui ex Aegypto in Vrbem deuecti sunt, per eiusmodi Symbola & Hieroglyphicas notas, rerum naturis interpretatio adnotata est: ita enim Aegiptiorũ philosophia creditur primò illustrata, quod ab eodem Plinio & alijs traditur. Inter alias verò effigies scarabeos apes fluuios, boues, vultures, aliasq; id genus notare cõsueuerunt. Porrò ex ipsa effigie apis, symbolum regis stingabatur: quòd is in obeundis vitæ officijs, non minus iustitiæ, quàm dulcem mellis clæmentiam habere debeat. In vulture autem naturæ genium, ac maiestatem indicabant: quòd inter has volucres fœminæ duntaxat inueniantur. De quo & Marcellinus Amnianus in Romana historia scribit, et Plutarchus item Gharoneus. Quem illud etiam multò ma-

Biblioteca de Galicia

gis considerandum est, de signo ipsius crucis. Volebant enim Aegiptij sacerdotes, ac philosophi per eius effigiem spem venturæ salutis intelligi: quod & Rufinus autor diligens in sacra historia refert, inter sacerdotales literas dicens relatam crucem, quæ vitam venturam allegoricè designabat. sed hanc partem ἀφὶ τῆς ἐγγλυφικῆς τῆς Λιγύπτου copiosè explicauimus in epistolicis: ea ferè omnia referentes, quæ arcana ista Aegiptiorum sacra denotarent.

Factum memorabile Octauij Romani oratoris cum rege Antiocho: & de sagminibus legatorum, quæ in clarigatione gestabãt: ex Iureconsultis & aliis. CAP. III.

NOtatum est in Roma. exẽplis de C. Octauio. & eius ingenti animo, quem in legatione ad regem Anthiocum egregiè probauit. vt hominem decuit Romanum & in omnibus vitæ officijs maximè præstantem. Nam cùm fortè rex Antiochus dilaturum se responsum diceret, neque tum aliquid Romano oratori respondendum putaret, Octauius inibi virga (quam manu tenebat) locum circunscripsit, & prius, inquit, ô rex quam hoc ipso circulo agrediare, responsum dabis. Qua in re miratus hunc animum rex Antiochus in Rom. ciue, pro tempore dedit responsum. Sed in ea mox legatione idem, C. Octauius interfectus fuit: quò factum est, vt S. P. Q. R. statuam illi (vt

(vt inquit Plinius) in rostris loco quidem ocu latißimo, poni inſerit. Neque illud ignorandum eſt quòd ipſe legati virgam geſtare apud veteres conſueuerunt, ſicuti etiam ſagmina, & verbenas ſi quò clarigatum accederent, id eſt ad ea clara voce repetenda, quæ ad ius Romani populi pertinerent. Vnde Martianus etiam Iureconſultus (qui à Pidio Iuliano iuſſus eſt occidi) ſanctum refert à ſagminibus dictum: ſicut in Pandectis habetur: Sanctum eſt, inquit, quod ab iniuria hominum defenſum atque munitum eſt. Sanctum autem dictum à ſagminibus: ſunt enim Sagmina, inquit, herba quædam, quas legati Popu. Rom. ferre ſolent, ne quis eos violaret, ſicuti & Græcorum legatis accidit. Quin & Sextus Pompeius de verborum ſignificationibus lib. XXII. Pro verbenis, inquit, ſagmina accipit, quod ex loco ſancto à conſule Prætoréve, legatis proficiſcentibus ad fœdus bellúmque indicendum, traderentur: vnde illud Næuianum,

Ius ſacratum Iouis iurandum ſagmine.

Mittimus autem quæ Liuius & cæteri de hoc ſcripſerint ne ſtudio magis ambitionis, quàm veritatis indultum videri poßit.

Qui de ingenio dæmonum ſcripſerint, ac de Gnoſticis & Euchetis, quibuſq; ſacris dæmonem ſe concipere putarent. digna memoria obſeruatio. CAP. IIII.

Biblioteca de Galicia

INter philosophos veteres, qui & ingenio clari, & doctrina præstiterunt, maximè quidem Academici numerantur. Hi autem de Genijs multa ac Dæmonibus scribentes, diligenter obseruauerunt, quo habitu sint, quáque potestate polleant: nam habere illos vires maximas & in quaque re mira quædam efficere pro comperto affirmant. Quod & Christiani philosophi pari consensu asserunt, vt Psellus, Origines Adamantius, & Augustinus in eo præsertim libro quem de potestate dæmonum composuit. Sed quo pacto quibúsque sacris Eucheta & Gnostici dæmonem se olim cõcipere dicerent, dignum profectò memoria est: cum inter alia quoque portenta, ac prodigia magicæ vanitatis, idipsum meritò referri possit. Nam diuinationis genus, quæ Necromantia dicitur, in hunc modum fieri solutum ab ipsis quidem Gnosticis inuenio, qui alio verbo Βορβορῆται vocantur. x. Calendas. April. quo die IESVS Christus à Iudeo populo cruci affixus est, conuenire hi solent cum puellis sibi notis, qui Gnostici dicuntur: tum peractis quibusdam sacris, atque luminibus extinctis, simul coitum ineunt vel cum sorore, vel cum filia, nec vllam prorsus rationem habent affinitatis. deinde autem nono mense in eundem locum redeunt, puellásque aduocant, & natos infantes ab illis accipiunt, eorúmque corpus circun-

circuncidunt: tum effluente vndique cruore phialas implent, & puerorum simul corpora cremantes, cinerémque accipientes, cruori commiscent, atque eo condimento epulas & pocula clàm vbicunque incedant condiunt: tum his quidem sacris & alimentis diuinos quasi characteres in illis imprimi, atque infundi existimant: ac ipsa etiam dæmonia liberius concipi & felicius retineri. Sed ijdem præterea Gnostici dogma proprium ab insano quodam (vt inquit Psellus) acceperunt: quorum opinio sit, vt vnus omnino Pater credatur, cui filios duos adscribunt, antiquiorem primum, alterum verò iuniorem: Principia autem tria: nam patri supercælestia tantum, iuniori autem filio cælestia, seniori subcælestia gubernari referunt: quod ipsum dogma, nihil fere (vt inquit Psellus) á poëticis fabulis, anilibùsque ineptijs abhorret. Quæ res non ab Augustino ac Eusebio tantum ridetur, sed à cæteris quoque sacris authoribus, qui pro veritate ipsa, & religione summis quidem laboribus atque diligentia excubantes euigilarunt.

De Maximiani Imperatoris sæuitia in Christianos, & quod affectus morbo animum commutarit: tum eiusdem edictum positum pro religione ipsa Christianorum:

CAPVT. V.

Biblioteca de Galicia

INter alios plureis qui Christianam religionem crudeliter persecuti sunt. Valerius Maximianus numeratur: qui variis tormentorum, ac pœnarum generibus Christianos ipsos pessimè affecit: quod ab Augustino, Eusebio. alijsque copiosè exponitur. Sed is tamen Maximianus cùm in tabificum morbum, atque pestilentem incidisset, ac illi à medicis relatum foret, non aliter posse illum morbum curari, nisi à Christianorum sanguine & cædibus abstineret. Quibus auditis Imperator Maximianus edicto cauit, vt quicunque essent Christiani suum numen ac Deos extra omnem iniuriam colerent: ac ritè in religione præstarent. Sed libitum mihi est hoc ipsum edictum Maximiani Impera. & Constantini Augusti referre, in quo apertè constabit, quantum Christianæ religioni Maximianus cõcesserit, homo alioqui sæuissimus, & Imperator orbis terrarum, & qui annos plures Christianos ipsos crudelissime fuisset insectatus. Nam idem Maximianus natura quidem atrox, atque sanguinarius fuit: quo etiam (vt à quibusdam traditur) nullum propè animal in tota vita crudelius habitum est. Edictum hoc est, quod per omneis ferè vrbis pro decreto Imperatoris dicitur publicatum. Imp. Cæs. Maximianus inuictissimus Augustus, pontifex Maximus, Germanicus, Aegyptiacus, Trebaicus, Sarmaticus

ens' V. Persicus. II. Carpicus. VI. Armenicus, Medorum & Adiabenorum victor, Trib. pontifex. XX. Imper. XIX. cos. VIII. pat. pat. proc. & Imper. Cæs. Flauius. Val. Cõstantinus Pius, felix, inuictus, Augustus pont. Impe. V. cons. IIII. pat. pat. proc. Inter cætera, quæ ad vsum reipu. decernimus, primò quidem volueramus, secundum antiquas leges, & publicam Romanæ obseruantiæ disciplinam omnia moderari: inter quæ etiam hoc addere, vt Christiani, qui paternam religionem reliquerant, ad eam rursum reuerterentur. Sed quoniam suo quodam iudicio tanta eos obstinatio huiusce rei habuit, vt nullo modo ad cultum antiquæ religionis redire vellent, quæ à maioribus nostris fuerat instituta: sed eò magis pro voluntate sua vnusquisque legem sibiipsi constituit, & in locis diuersis plebs diuersa concurrit: cumq; his propositum à nobis edictum fuisset, vt ad patrias leges redirent, & veterum autoritate constitutas: plerique illorum magis se periculis subiicere, cædesq; innumeras perferre, quàm præceptis talibus obedire maluerunt. Quoniámque in eadem adhuc sententia permulti obstinatius agunt, vt nec diis Romanis honorem vllum redderent, neque suæ religioni satisfacerent: pro nostra clementia atque mansuetudine, quam omnibus exhibemus, etiam nunc erga Christianos putauimus probandã:

Biblioteca de Galicia

vt rursus Christiani sint, & cœtus habeant, & conuenticula, in quibus orare consueuerunt, construere, atque ædificare possint: ita tamen, vt nihil contra publicam disciplinam faciant. Alijs verò locis, atque epistolis, satis indicauimus, quid eos oporteat obseruare. Vnde hac nostra indulgentia illis concessa, suum Deum exorare debent pro salute nostra, & pro Reipublicæ statu, vt ea integra atque incolumi, ipsi etiam securi agere in propriis laboribus possint. Hoc autem edictũ ex Romano sermone Pamphilus Eusebius in Græcam linguam conuertit: cui ab Imperatore Constantino concessum est, vt Annales, ac gesta Cæsarum euoluere, ac pro arbitrio legere posset: vnde sacram historiam pari studio atque doctrina conscripsit, quam deinceps Turrantius Ruffinus, vir magna doctrina & lectione multiplici, in Latinum sermonem transtulit.

De municipibus Ro. Pop. & quid apud Horatium sit, Digni cærite cæra, expositum eius carmen: tum quibus causis atq; rationibus municipes Romani essent, copiosè explicatum. CAP. VI.

IN iureciuili Romano permultæ quidem rationes afferũtur, quibus S. P. Q. R. quosdam populos atque municipes non tantum iure Quiritum donauerit, sed multis etiam oneribus, atque damnis exemerit: cuiusmodi nominan-

tur

tur, Atellani Cærites, Prænestini, & eiusmodi alij. Primi autem omnium facti sunt popu. Ro. municipes Cærites: & hi quidē (vt est autor diligens Gellius) sine vllo iuris suffragio: quoniam bello Gallico sacra Romana recepissent, eaq; diligentia singulari custodissent. Vnde etiam tabulæ Cærites appellatæ sunt, in quibus Censorum potestas, eorum nomen referebat, qui nota aliqua vel ignominia forent insignes. Ex quo eruditè Flaccus in epistola ad Numicium, Dignos cærite cæra appellat Romanos, quoniam luxu, atque voluptatibus turpissimis tenerentur: quem tamen locum Horatiani interpretes ineptissimè (vt alia permulta) exposuerunt. Hirpiorum verò familiæ, qui in Phaliscorum agro essent, ob mirificam quidem causam ab omni militia & munerum cura vacationem habuerunt, quòd hæ quidem nudatis pedibus impunè super ignem sacris quibusdam incederent: quod vt facilius probari possit, C. Plinij verba subscribemus. Haud procul Vrbe Roma (inquit) in Phaliscorum agro familiæ sunt paucæ, quæ vocantur Hirpiæ quæ sacrificio annuo, quod fit ad montem Soractem Apollini super ambustam ligni struem ambulantes, non aduruntur, & ob id perpetuo senatusconsulto militiæ, omniumq; aliorum munerum vacationem habent. Prænestini autem populi, cùm in ius Coloniæ relati essent, ob eam

Biblioteca de Galicia

causam à Tiberio Imper. municipes facti sunt, quòd in Prænestinis finibus iuxta oppidum ex capitali ac sontico morbo Cæs. Tiberius conualuisset: eoque nomine municipij gratia illos donauit: quod Hadrianus Imperat. in oratione de Italicensibus retulit. In hoc tamen Municipes à Rom. ciuibus differebant, quòd neque magistratus capere, neque ius suffragandi habere poterant, sed munerum tantum ciuilium atque militarium erant participes: sicuti à Verrio Flacco, & Festo scriptum est: nam & Gellius inquit municipes ipsos honorarij quidem muneris cum popul. Rom. fuisse participes. Festus verò Pompeius eruditè ac prudenter refert triplici modo municipia intelligi. Sicuti cum pars aliqua ciuitatis in Vrbem iure municipali commigraret: quales Fundani, Formiani, Cumani, Acerani, Lanuuini, Tusculani: qui paucos post annos iure Quiritum donati sunt. Secundo modo cum vniuersa ciuitas in Vrbem cõflueret: vt Aricini, Carites, Agnanini. Tertio eorum dicitur, qui in ea lege ad Vrbem accederent: vt suæ cuiusque ciuitatis municipia & Coloniæ forẽt: veluti Tiburtes Prænestini, Pisani, Vrbinates, Nolani, Bobutinenses, Placentini, Nepesini, Sutrini, & Lucenses, de qua re non modò Iureconsulti diligenter scribunt: sed & A. Gellius, & ex Verrio Flacco Pompeius.

Quo

Biblioteca de Galicia

Quo animo Cæsar Anticatones libros scripserit: & quantum Catoni inuitus concesserit, cùm eius ebrietatem reprehenderet: aliáq; non. contemnēda de Ciceronis inconstantia adscripta. CAP. VII.

DIgnum memoria est quod à Iulio Cæsare scriptum fuit de M. Catone viro prætorio: qui ex obitu dictus est Vticensis: nam cùm M. Cicero cuius vitam egregiosq; mores pluribus laudibus extulisset, parum æquo animo tulit Cæsar, eum ipsum Catonem tantopere, à Tullio in primis commendatum: ex quo duos libros contra eum scripsit, qui ex re Anticatones dicerentur: in quibus omnia propè M. Catonis vitia (si qua erant) collegit: sed inter alia ebrietatem illi velut maximum probatum, obiecit: quòd à Cæsare tamen ita relatum est, vt laudasse magis hoc tantum virum, quàm reprehendisse visus fuerit. Nam cùm ipse Cato plurimo vino incaluisset, & antelucanis officijs esset occupatus, forte quosdam habuit obuios, qui (vt inquit Cæsar) cùm eius viri caput retexissent, admodum erubuit: sed ita factum adiecit, vt non Catonem putares ab illis, sed eos à Carone deprehensos. Qua in re (vt apparet) Catonem etiam ebrium adeò reueritus est, vt vel in ipsa ebrietate videatur illam veræ virtutis imaginem retinuisse: quod & Plinius Nepos testatus est: qui, haud plus.

Biblioteca de Galicia

plus inquit, honoris à Cæsare vel authoritatis tribui Catoni potuit, quàm si ebrius quoque tam venerabilis erat, Quod autem mox idem Cicero Anticatones Cæsaris laudarit, plurimumq; extulerit, hoc totum vel ex eius constantia, vel adulationis vitio accidit: vt qui fortunæ obsequi: ac tempori, inuitus mallet, quàm constãter succumbere. Ex quo ea, inquit laudatio tota κολακεία fuit, sicuti ad Pomponium Atticum scribit. & diu sanè inimicitiæ inter Cæsarem, & Catonem viguerunt: quod & Plutarchus alicubi, & Atteius Capito indicauit. Nam in libro, quem scripsit de officio Senatoris, apertè explicat, quo tempore Cæs. consulatum obijt, nihil eum dubitasse viatorem vocare, vt Cato ipse adhuc loquens in carcerem duceretur: in quo tamen non modò excusatum Catonem constat, sed etiam Senatu approbante absolutum.

De impositione nominum apud Comicos poëtas: & quid inter se differant Cylones: & chilones, ac ibidem Cice. verbum explicatum contra quorundã sententiam.

CAP. VIII.

QVi de origine nominum atque viribus scripserunt, permulta quidem afferunt de his nominibus, quæ ex forma ipsa & habitu corporis deducta sunt, quod in Scenicis maximè fabulis apparet. Nam poeta Comici habitum figurámque hominum diligenter conside-

Biblioteca de Galicia

rantes, ex re plerunque personas denominant: cuiusmodi sunt qui Græca voce appellantur Cephali, Cylones, Phalacri, Blepharones, & alia generis eiusdem. Sicut à nostris etiam Tuditani, Frontones, Lõguri, Capitones, Cossi, Labeones, Venulei, de quibus diligenter alibi scripsimus. Qui autem dicantur Chilones, vel Cylones, & quo pacto inter se differant, libitum mihi est paucis hoc etiã loco adnotare: sicuti & Sextus Põpeius ex Verrianis cõmentarijs refert. Chilones enim inquit eiusmodi homines appellari, qui maioribus labris sunt: hoc est, qui Labeones, aut Labieni, à nostris dici possunt. T. autẽ Lucretius Labrosos nominat, vnde illud,

Simula Silena Satyraſt labrosa philema.

Cylones verò sine vlla quidem aspiratione idẽ Pompeius eos appellat, qui fronte prominentiori sunt, & quasi extante: nam Cillones duplici ll, aliud omnino significat: etsi ridiculè quidam in hoc aberrant. Cũ enim Crispũ Sallustium Cicero in gregem cillonum, sacrilegorum, atq; impudicorum cõnumeret: nihil aliud intellexit, quàm cynædum hominem, at turpiter cuentẽ Quoniam Cillere apud veteres motitare atque agitare est: quod & Seruius atq; Higinius testantur: vnde Cillones dicti, qui pudore vendito ceuentes se effœminant. Nam & Leneus Pompey libertus, cùm satyras contra eundem Sallustium scriberet, non modò illum

Popiu

Popinonem ac Lurconem satyricè appellauit: sed etiam λάϛαυρον, quasi meretriculam, & scortum, vt in Suida collectaneis exponitur: quod à me obseruandum fuit, ne tam impudenter quidam deprauare, atque peruertere bonos codices audeant.

De spatio humanæ vitæ: & adnotanda obseruatio de pondere humani cordis, quo modo crescat & descrescat: ex anatomica Ægiptiorũ obseruatione. CAP. IX.

DE vita hominis, & qua fine, armorúmque spatio censeri debeat, permulti quidem apud veteres tradiderunt: nec illi tantum, qui naturæ vires, ac decreta obseruarunt. Quain re cùm inter se dissentiant autores plerique tamen centum annorum spatium vita hominum concedunt: idque ipsum vulgato magis, quàm intellecto nomine Seculum appellarunt: quod apud nos cùm alij permulti, tum ipse Censorinus ad Q. Cerellium copiosè explicat. Sed à Terentio Varrone traditum est, ex Dio scoridis autoritate, qui siderum scientiam calluit, Aegiptios quidem ipsos (quibus seruandi medicata cadauera cura fuit) subtili admodum & argutia ratione deprehendisse: quo maximè vitæ spatio ætas hominis estimari debeat, sumpta ex pondere humani cordis coniectura. Itaque affirmarunt ijdem Aegiptij, centum omnino annis hominum vit

Biblioteca de Galicia

vitam definiri: quòd eorum cor, qui sine vlla corporis tabe perierint, hoc ipsum declaret: quoniam cum ætate (si expendatur) aucta atque damna referat. Anniculi enim pondere duarum drachmarum, bimi quatuor, & sic in singulis annis vsque ad quinquagesimum binas accedere, vt centum drachmis existat quinquagenarij hominis cor. Ex eo deinde numero, vnoquoque anno binas detrahi, ac minui: quò perspicuum est, ab anno centesimo ad primam sui ponderis redire, neque longius posse proferri. Quod ego tamen acutius quidem existimo, quàm verius: quanquam in his libris, qui περὶ ἀιχτομικῶν prosecuti sunt, mira prorsus atque incredenda explicentur. Quod alicubi & Claudius Galenus affirmat. Sed & C. Plinius idipsum de hominis corde ad Vespasianum Augustum resensuit, & si breuiter quidem, cùm dixerit creditum ferè ab Aegiptijs, ex defectu humani cordis non vltra centesimum annum posse homines viuere.

Quomodo a mathematicis vitæ hominum finis asseratur: ac de ætate Mosis, ex Trebellio Pollione, ac de Xenophilo musici nonnihil. CAP X.

QVod in capite superiore diximus de humanæ vitæ spatio, ac hominum legitimo obitu, monuit, me veterum autoritas, qui ab ista Aegiptiorum sententia prolatis quidem

dem exemplis longè dissentiant: sed ea tantummodo referemus, quæ Trebellius Pollio ad Constantium Imper. scribit in hunc modum: doctissimi (inquit) mathematicorum centum viginti annos homini ad viuendum datos indicant, neque amplius cuiquam concessum dicunt: illud etiam adjcientes, Mosen ipsum (vt indeorum libri testantur) Dei familiarem, XXV. ac centum annos vixisse. Qui cùm interitum hunc vt immutatum fortè quæreretur ferunt illi ab incerto numine responsum, Neminem deinceps amplius esse victurum. Sed in sacris etiam historijs finem homini veteres tribuunt XX. annos supra centesimum: quod & Iosephus ipse, Firmianúsque, & alij referunt: quanquam Romani quidem autores de annis Aegyptiorum, eorúmque spatio aliter sentiant: in quo temerè ab indoctis Varro incessitur, vt suo loco à nobis expositum. Inter alios verò complureis, qui annos aliquot supra centum vixerint, vnus quidem Xenophilus musicæ disciplinæ peritus, in tota mortalium vita repertus est, qui centum & quinque annos sine vllo corporis incommodo vixerit: quod ipse C. Plinius tradit, vir vnus apud latinos (quantum equidem iudicio possum consequi) in obseruandis inuestigandísque naturæ arcanis, diligens, & accuratus.

Quan

Quantum Publius Vergilius & à M. Tullio laudatus fuerit. & quo honore ab vniuerso Romano populo habitus, cùm carmen in theatro recitaret. CAP. XI.

ET in epistolis M. Tullij ad T. Pomponiũ, & in Seruianis commentarijs abundè relatum est, quantum M. Cicero P. Vergilij ingenio ac versibus detulerit, cùm seipsum continere nequierit, quo minus audiẽte Rom. populo Latinæ doctrinæ illum appellarit. Nam cum fortè Vergilij carmen ex Bucolico poemate Cic. audiuisset, miratus eruditionem & elegantiam, iterum (vt scribit Seruius) recitari illud voluit: adeóque traditur in eo audiendo affectus, atque oblectatus, vt apertè de autore Vergilio dixerit, Magnæ spes altera Romæ. Quod hemistichiõ poeta mox in suum Aeneam detorsit his versibus:

Hinc pater Aeneas Romanæ stirpis origo
Sydera flagrans clypeo & celestibus armis
Et iuxta Ascanius, magnæ spes altera
Romæ.

Quin & illud notandum maximè est, quod à Materno refertur de eodem Vergilio, vt à Cor. Tacito scriptum est: tantum enim laudis, tantum honoris nomini Vergiliano habitum Romæ est à Sen. P. Q. R. vt recitanti suũ carmen in theatro, perinde vniuersus populus assurrexerit, atque Octauio Augusto. Imper sic.

Biblioteca de Galicia

sic enim Tacitus ex Materni persona in libro ad Fabium Iustum, Testis, inquit, Ro. popu. qui auditis in Theatro Vergilij versibus: surrexit vniuersus: ac præsentem spectantemque Vergilium Veneratus est, sic quasi Augustum; Ex quibus minimè mirum est, si & epistolis & carmine Augustus etiam Octauius totius orbis terrarum Imperator Pub. Vergilio poetarum principi tantum concesserit.

De historia T. Liuij, quòd in libros ab autore diuisa fuerit, non in decades, contra aliorum opinionem, tum quibus id autoribus comprobetur. CAP. XIII.

FAlsò receptum est, ac doctioribus etiam persuasum, fuisse in Decades, diuisum T. Liuio suum opus de Romanorum gestis, quæ singulæ decem voluminibus explicantur, quod ipsum de autore Liuio neutiquam apud veteres comperias. Nam & Priscianus vir diligens, alijq; Grammatici, sicubi Liuium citant, librorum numerum adscribunt, neque Decades nominant. Itaque & XVI. librum & XXXIIII, & CLXVI. videmus adiudicari ab antiquis autoribus. Cui sententia & Frãc. Petrarcha astipulatur, vt qui asserat in epistola ad Ioannem Beccatium, iguauia legentium contigisse, vti Liuiana historia sic in Decades distributa. In partes (inquit) quas Decades vocant, non ipse qui scripsit, sed fastidiosa

Biblioteca de Galicia

CAP. XIIII.

Biblioteca de Galicia

fores

Biblioteca de Galicia

fores ac limina contererent: diuites autem minimè id agant. Quoniam philosophi (inquit) probè intelligunt, quæ desint diuitibus, & quibus maximè egeant: diuites autem hoc nesciunt. Quocirca pereleganter Picus noster Mirandula dicebat, nullum se animal videre in omni vita mortalium stultius, atque insolentius quàm diuitem hominem, qui bonarum disciplinarum sit imperitus, à studijsq; liberalibus abhorreat: quoniam diuitiæ illæ impudicis voluptatibus atque desidiæ paratæ sunt, neque in vsum hominum, aut aliquam vitæ vtilitatem erogantur. Itaque minimè mirum esse Alexandrini reges, atque cæteri principes, tam summis studij, támque accurata diligentia doctiorum hominum familiaritates, atque sermones conquisierunt. Quam rem epistolæ Græcorum principum, ac Romanorum abundè indicant: vnde illud pernulgatum Σοφοὶ τύραννοι περὶ σοφῶν συνουσίαι.

Biblioteca de Galicia

PETRI CRINITI DE HONESTA DISCIPLINA COMMENT.

LIBER VIII.

De Simone Samarite, qui Magus dicitur, & quomodo in vrbe pro Deo habitus sit, & quo cultu atq; honore fuerit, ex Tertulliani Apologetico, & aliis autoribus.

CAPVT I.

NON *dixerim qua voluptate ac studio sacris autoribus incumbamus eorumq; lectionibus delectemur: sicuti celebres sunt qui Græcè scripserunt, Origenes Adamãtius, Clemẽs. Eusebius Pãphylus, Iustinus martyr, Basilius, Io. Chrysostomus, Gregorius Nazianzenus, Epiphanius, qui cognomento παντάρχης est nuncupatus, aliique cõplures: ac ex nostris etiã Tertullianus, Hilarius, Cyprianus, Augustinus, Hieronymus, Rufinus, Ambrõsius, Gaudentius. Nam horum quidẽ commentary perinde mihi atque thesauri videri solent, in quibus*

bus tam varia, tam multiplex doctrinæ, rerumq; omniũ cognitio est, vt vniuersam propè antiquitatem, legésque omneis, & philosophiæ placita contineãt. Quod ego nuper sum expertus in Eusebij ac Tertulliani commentarijs legendis, qui ambo & ingenio & doctrina summa præstiterunt. Sed quod in Apologetico de historia Simonis Magi insinuat, apponendum putaui, quo loco de veterum dijs agit. Cũ Laurentiam (inquit) publicum scortum colitis, velim saltem Laidam, aut Phrymen inter Iunones, & Cereres, ac Dianas adoretis: cùm Simonem etiam magum statua & inscriptione sancti Dei inauguratus. Quòd autem statuam Tertullianus Simonis Dei nominet scribenda hic sunt, quæ Iustinus martyr ad Augustum Antoniũ scribit, nã & hoc Pãphilus Eusebius recenset. Post dominum (inquit) IESVM, Simon quidam Samareus ex vico, qui dicitur Gyttho, Claudio Cæs. imperante, magicis artibus, & ope dæmonum suffultus, in vrbe nostra (quæ omnium tenet Imperium) quàm plurimis deceptis Deus est decretus, & apud nos simulacri honore donatus, quod in ipso Tyberis flumine inter duos pontes collocatum est, addito etiam hoc titulo, Latinis literis perscripto, SIMONI DEO SANCTO. Nam & eumdem omnes propè Samaritæ, ac nonnulli ex cæteris populis, perinde ac summum Deum &

Biblioteca de Galicia

adorant, & confitentur. Mitto autẽ quæ Hieronimus de eodem scribit, ne plura consectari curiosus videar: cùm fugisse illũ ex vrbe asserat, aliáq; fecisse prodigiorum insignia. Origenes verò Adamantius ab his videtur dissentire, qui Simonem ipsum dicit, eiusq; disciplinã minus celebrẽ fuisse. Ita enim refert cõtra Celsi Philatethẽ: Voluit & Simõ Somareus magnus sua arte & commẽtis nõ paucos è medio tollere: multos enĩ suis (vt puto) præstigijs fallebat: nunc verò ex omnibus, qui vbique gentium agunt, ne ad x x x. quidem comperias, qui illum sectentur: & ij prorsus circa Palestinam sunt: in reliquis verò orbis terrarum prouincijs nec Simonis nomẽ auditũ est, cùm ipse laudis & gloriæ auidus hoc maximè percuperet. Quòd si qua eius nominis famæ extitit, ea quidem ex Apostolorũ historia immotuit. Hæc Adamantius. Sed enim quæ in Egesippi historia de hoc ipso Simone adscribuntur, minus adhuc recepta sunt: sed cõficta omnia, & à vero aliena prudẽtiores existimarũt, quòd aspiciẽte videlicet Imperatore Nerone deuolauerit, nõ enim Lucas hoc Antiochenus omisisset, præsertim cùm referatur à nostris, eundem quidẽ præ cæteris apostolorum decidisse, ac iuxta Ariciam crus alterum infregisse.

De Aegyp

De Ægyptiorum antiquitate, eorumq; vrbibus, ex pomponij Commentario: ac de aliis etiam regionibus nonnihil obseruatum. CAP. 11.

TRaditum est in veterum commentarijs, Aegyptios quidē populos haberi omniū vetustissimos, tum rerum disciplinarumq; compluriū fuisse inuētores, ex quo terrārum parens Agyptus adpellata est: quod & Strabo philosophus, & Appion polyhistor. alijq; fatentur. Sed illud in primis memoria dignum, ac mirificum putaui, quod à Mela Pomponio scriptū est de ijsdē Aegyptijs, in hūc modū: Agiptij, inquit, homines vetustissimi sunt trecētos enim & XXX. reges ante Amasium, ac supra XII. millium annorum ætates certis annalibus referunt: mandatumque literis seruant, dum Aegyptij sunt, quater suos cursus vertisse sidera, ac solem bis iam occidisse, vnde nunc oritur. Quin & xx. inquit, millia vrbium regnante Amasi habitarunt: tum sua ætate clarissimas dicit, quæ procul à mari sint, Sain, Memphim, Syenem, Bubastē, Elephantim, ac thebas, quas vel ipse Homerus poetarum maximus centū habere portas testatus est. Quod autem in Aegypto x. millia vrbium Mela cōstituit, id ego legentium iudicio æstimandum relinquo, ne probare illa nunc videar, quæ portenta à pleriſq;

risque, ac prodigia nuncupentur. Nam qui de vrbibus scripserunt, persæpe inter se dissentiunt, quod aliàs demõstraui. Sed enim in Bactrianis mille vrbes fuerunt, in Italia septingentæ, in Creta XC. vt à probis autoribus traditur. Sed hanc partem de vrbibus secreto opere, dijs volentibus, explicabimus.

De triplici dicendi genere apud veteres, & quo maximè stylo vsi sunt Romani, Hispani, & Punici autores, ex Mirandulæ sententia. CAP. III.

VErsatus sum nuper cum Pico Mirandula, viro & ingenio magno, & doctrina multiplici, cum quo non dixerim quanta animi voluptate de literis & honestis disciplinis agamus: veluti cum nuper de antiquis scriptoribus iudicium faceret, adeo vt nihil dici verius aut prudentius posset: Sunt (inquit) apud Latinos plura scribendi genera: sunt qui delectent, sunt qui doceant, qui & afficiant, & qui moueant: sunt etiam qui plura ex his, & qui pauciora consequantur. Sed enim fuerunt, inquit, non pauci, in quibus Romana & elegans elocutio: alij rursus veluti municipes, & agrestes, quasi sub alio cælo sermonem didicerint. Roma. omnes in suo genere pressi, elegantes & proprij: vt Iulius Cæsar, M. Cicero, Sallustius, Q. Curtius, Liuius, Iunius Columella, &

Biblioteca de Galicia

la, & Corn. Tacitus, Hispani autem florentes, acuti, & qui ad peregrinum inclinent: sicuti Fab. Quintilianus, Hilarius, & Annæus Seneca. Suetonium his, & Plinios addebat, quòd essent in scribendo similes, figuris que & Græcis vocibus cupidius, ac insolenter vterentur: quod & maximè Hispanis ingenijs propriũ. Punici & Carthaginienses, duri, audaces, improbi: vt Florens Tertullianus, Apuleius, Cyprianus, & Capella. Priores (inquit) Romanũ ius seruarunt, ac nulla prorsus vitia in sermone admiserunt sequentes ab his declinarunt: tertij palam aberrantes, virtuti vitium prætulerunt. De Gallicis, inquit Picus, ingenijs non loquendum: vt de Cassiodoro, Apollinare, Fulgentio, qui mythologica lusit: de Enodio item ac cæteris, quorum commentarij aspiciendi sunt, non probandi. Hæc mecũ Mirandula in Marciana bibliotheca Florentiæ disseruit.

De falsitate oraculorum, quòd ad principum nutũ ferebãtur, exemplo Philippi Macedonis, vt Demosthenes & alij probarunt. CAP. IIII.

FActus est liber à Plutarcho philosopho de falsitate oraculorum, quòd ea videlicet non modo ficta ac falsa forent, sed interdum etiam ridicula, hominúmque commentis temerè comprobata. Demosthenes autem vir ingenio acri

&

Biblioteca de Galicia

& callido prudenter dicebat, cum fraudes ac deceptiones oraculorum videret, Pythiã quidẽ suo tempore εἰλωπίζειν, quod ea scilicet imperio ac nutu Philippi regis à sacerdotibus Delphicis promerentur, quæ cum eiusdem animo ac libidine cõgruerent. In quo facilè possumus cognosse, antiquiores illos, præsertimq; doctrinis & prudẽtia exultos: neutiquã istis deceptionibus fidem habuisse. Nam & illud quoq; respõsum ex Delphico (vt aiunt) de rege Pyrrho.

Aio te Aeacida Romanos vincere posse:

Falsum omnino M. Cic. affirmauit, adhibitis etiam rationibus, cur ita demũ referret. Primò, inquit, nunquã est Appollo Latinè locutus, Deinde etiã sors hæc Græcis quidẽ inaudita est: sed & Pyrrhi tẽpore Appollo ipse versus facere desierat, hactenus Cicero. Sed enim potius id poëta Ennius pro tẽpore confinxit: quoniam sit poëtis ipsis cõcessum, nõ modò fingere aliquid sed mentiri etiã, & falsa dicere. Iaque meritò ab eodẽ Cicerone dictũ est, Apertè quidẽ cõuincitur cætera omnia Delphica parum syncera fuisse: quòd itidem à plerisque philosophorum copiosè scimus assertũ vt diligenter Pamphilꝰ Eusebius ad episcopum Theodorum demõstrat.

Annei Senecæ locus in epistolis expositus de meta sudante in vrbe Roma: ac de Pub. Victore qui de regionibus Vrbis scripsit.

CAP. V.

In-

Biblioteca de Galicia

IN epistolio Annei Senecæ ad Lucilium verba hæc sunt: Essedas transcurrentes pono & fabrum inquilinum, & ferrarium vicinum, aut hunc qui ad metam sudantem tubas experitur & tibias, neque cantat, sed exclamant. Quo loco quid intelligamus Metam sudantem, viri olim doctiores quæsierunt: sed nihil tum inuentum est, aut prolatum, quod hoc ipsum satis exponeret. Sciendum autem locum ipsum in Romana vrbe fuisse, ita in re appellatum: nam Meta quidem in vrbe & Meiula (vt Grammatici probant) lapides erãt, quasi coni extantes, (ita enim Græcè possunt appellari) quoniam meta est perinde ac turbo inuersus; cuiusmodi effigies adhuc in compitis spectantur, quæ ad instar cylindri propemodum sunt. Erat autem locus hic, quem Metam sudantem Seneca vocat, in regione Vrbis quarta in qua templum Pacis Iuburra itidem, Sandalariũ, & horrea castanearia, sicuti à Pub. Victore traditum est: qui in XIX. Vrbis regionibus ea propè omnia refert, quæ scitu digna, & memoria viderentur: etsi magis hæc ipsa Victor nominat, quàm explicat: sic vt breuiarium Rom. Vrbis & quasi locorum [illegible] videatur: quod & Bern. noster Oricellarius putat, qui Pub. ipsum non modò assidua obseruatione exponit. sed Vrbis totius ambitum, situm, magnitudinem, ac partes pari diligentia

&

& studio exequitur, collectis ferè his omnibus. quæ ad hoc absoluendum pertinerent.

De Milonis Crotoniensis robore ex Pausania, ac de Maximino & Firmo Roma. Imperatoribus, quo robore, & qua forma fuerint. CAP. VI.

COmplura passim leguntur in antiquorum monumentis de Milone Crotoniensi, & eius clarissimis gestis & robore: sed apud vnum tantùm Pausaniam ea referuntur in Heliacis. quæ mirificam sanè penèq; prodigiosam viri fortitudinem arguant quod ego subiciendũ putaui. Is igitur Milo ex opido Crotone fuit, & in athetica præstitit: ita malum Punicum tenebat, vt nemo illi è manu extorqueret, aut digitum corrigèret, quum is tamen nullibi malum læderet. Idem disco vncto incidens à nullo distrahi poterat. Vnde & C. Plin. inquit, quòd is cum semel constituisset. nemo eum è vestigio educebat: sed & chordam fronti veluti coronã alligans retento spiritu, venis plenis firmabat. Itaque Maximinum Cæs. Aug. qui trax fuit, Milonem Crotoniatem vulgo appellarunt: quòd is manibus hamaxas traheret, rhedã onustam propelleret, aliáq; supra fidem permulta efficeret. De quibus & Iunius Codrus, & Capitalinus scripserunt. Firmus verò (quem Cæs.

Biblioteca de Galicia

Cæs. Aurelianus latronem Aegyptium vocabat) vt Vopiscus tradit ad Bassum, statura fuit ingenti, oculis promicantibus, capillo crispo fronte vulnerata, vultu fusco, reliquum corpus pilosus & hispidus, ita vt cyclops vulgò diceretur: robore sic insignis atque egregius, vt triarium vinceret. Nam & incudem pectori superpositam, tandentibus alijs, constanter pertulit, cum ipse resupinus & in manus curuatus pendere potius, quàm iacere videretur.

De iis qui fœcundiores fuerint ad prolem procreandam, ac Proculi Augu. verba de ingenti sua libidine. CAP. VII.

MIrum est quod ab antiquis traditur de quorundam multiplici & numerosa sobole, in quorum numero etiam reponitur Artaxerxes ille Persarum Rex. Is enim CXV. *filios habuit: ex quibus quinquaginta in eius necem conspirantes, eum occiderunt: vt minus id referendum videatur: cùm ex tanto numero, nullus (vt inquit Trogus) repertus sit, quem à tam impio ac nefando scelere patris maiestas, aut pietas reuocarit. Quin & Eutyche* XXX. *quidem peperit filios, sicuti à veteribus scriptum est. Nam Cn. Pompeius in theatri ornamentis, quam mirabiles rerum hominumque effigies poneret, Eutyches simulacrũ constituit,*

Hac

Biblioteca de Galicia

Hæc enim à X X. *liberis in rogum est illata, si cuti C. Plin. ad Vespasianum Augustum refert. Proculus autem Cæs. centum Sarmatas virgines, quæ in bello captæ sunt, intra dies* XV. *(vt ipse gloriabatur) grauidas reddidit. Adeo libidini atque nequitiæ deditus fuit: quod etiã Flauius Vopiscus detestatur. Sed opponã verba eiusdem Proculi Imperatoris ad Metianũ: Centum, inquit, ex Sarmacia virgines cepi: ex his vna nocte decem iniui: omnes tamen, quod in me erat, intra dies* X V. *mulieres reddidi.*

De XII. Romanis Diis, & eorum nominibus, qui singulis mensibus apud veteres præponerentur, ex antiquo marmore, ac Ennij carmen additum. CAP. VIII.

INeidi nuper in monimenta quædam Romanæ vetustatis, in quibus & ratio & ordo Romani anni deprehenditur: quibus videlicet feriis, aut etiam Dijs sacra essent peragenda. Sed quod in primis me tenuit, repertum ibidem est singulis quidem mensibus suos quasi Deos, ac numina assignari, in quorum tutelam referrentur. Ex quo persæpe etiam legitur XII. *dijs aras fuisse in vrbe constructas, quod alibi copiosè disserui. Nunc verò eum subyciam ordinem, qualis in his fastorum monimentis reperitur: quæ vel Pomponius Letus, vir antiquitatis studiosus ad Laurentium Medicem Florentiam misit. Ianuarius in tutela Iunonis:*

Febr

Biblioteca de Galicia

Februarius, Neptuni: Martius, Mineruæ: Aprilis, Veneris: Maius, Apollinis: Iunius, Mercurij: Iulius, Iouis: Augustus, Cereris: September, Vulcani: October, Martis: Nouẽber, Dianæ: December, Vestæ. Quæ obseruatio ad eorum quoque commentarios pertinet, qui fastorum, & annalium historiam explicant. Q. verò Ennius poeta districho etiam nobili XII. *deos complexus est, quos alij patrios & penates, Varro, vrbanos appellat: quorum imagines ad forum (vt inquit) dicatæ viserentur: sex mares, & fœminæ totidem: vt à Capella Martiano, & L. Apuleio refertur.*

Iuno, Vesta, Minerua, Ceréſque, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Iouis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Veterum poëtarum carmen, relatum contra Chaldæos & Ariolos: & qua ratione minimè sit illis adhibenda fides, ex sententia philosophi Phauorini. CAP. IX.

Libitum mihi in otio agenti veterum poetarum carmen referre contra diuinaculos, & ariolos istos, qui & Chaldæi à Romanis, & Planetarij vocantur: vt intelligamus fuisse istiusmodi homines ab antiquis maximè derisos, atque explosos. Subijciam verò senarios aliquot ex Accij, Ennij, & Pacuuij fabulis, cùm quia vemusti admodum & elegan-

Biblioteca de Galicia

tes sunt: tum quòd in his alicubi deprauatæ voces, ac perperam collocatæ sensum deturbant: vt non cuiusque sit eorum elegantias ac festiuitates percipere, nisi paulò attentius perlegantur. In libris igitur M. Ciceronis (qui de diuinatione inscribuntur) Pacuuianum hoc ex tragœdia Chrysippo inuenies.

Nam istos, qui linguam auium intelligunt,
Plusq; ex alieno iecore sapiunt, quàm suo,
Magis audiendum, quàm auscultãdũ cẽseo.

Quin & ipse Q. Ennius, vt apud eundem Ciceronem sic eorum improbitatem detexit:

Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant vitam:
Quibus diuitias pollicentur, ab his drachmam ipsi petunt:
De his diuitijs sibi deducant drachmam, reddant cætera.

Neque minus eleganter Accius poëta in scribẽdis tragœdijs summus, vt in Atticis legitur

Nihil (inquit) credo auguribus, qui aures verbis diuinant
Alienas: suas vt auro locupletent domos

Etenim Phauotinus philosophus, qui Pyrrhoniorum libros plures composuit, contra istos quidem Chaldæos in hunc modum lepidè concludebat: Aut aduersa inquit, euentura dicunt, aut prospera: si prospera, & fallunt, miser fias frustra expectando: si aduersa dicant, & mentiantur

tiantur, miser fias frustra timendo: si verare-
spondent, eaq; sunt non prospera, iam inde ex
animo miser fies, antequàm è fato fias: si feli-
cia promittunt, eáque ventura sunt, tum planè
duo erunt incommoda, & expectatio te spei su-
spensum fatigabit, & futurum gaudij fructum
spes tibi iam defloruerit. Nullo igitur pacto
vtendum esse dicebat istiusmodi hominibus,
qui vanis præstigijs ac sycophantijs imponunt,
atque decipiunt: quos etiam Gellius vir gra-
ui consilio in rebus humanis Aeruscatores im-
probos & Sycophantas appellat. Ex quo Ly-
cus illè Plautinus in Pœnulo comœdia quàm
lepidissimè inquit.

Heu heu quàm ego habui ariolos, aruspices,
Qui si quid boni promittũt, pro spisso euenit
Id quod mali promittunt, præsentaneum est.

De crimine Scopelismi in Arabia. & locus apud Iureconsultos emendatus, ac leges item contra eos, qui limites ac terminos extrahunt. CAP. X.

IN libris Digestorum, seu Pandectarum ver
ba hæc Vlpiani sunt. in quibus mentio habe-
tur criminis, quod in Arabia prouincia Scope
lismus vocitatur: sed hoc ipsum verbum ex codi
cibus istis vulgatioribus sublatum est, ac pro
eo etiam, quod est minus ferendum, adulteri-
nam quoque vocem supposuerunt: ita vt spa-
tium interdictum inseruerint, ratione tam

Biblioteca de Galicia

inepta, quàm impudenti. Sed libitum est locum hunc restituere, ne quantum in me sit, nostris Iureconsultis non satisfaciam: quanquam sunt adeò quidem à bonis literis alieni, adeo literatis omnibus male affecti, vt si qui maiorem elegantiam profitentur in Romanis disciplinis, ingenioque non vulgari sunt, insectentur eos atque dictis contumacibus accusent, Sed nos eorum, quod ait Plancus, orationes præterfluere, sinemus: neque enim tales sunt, vt in professione hac meliorum literarum admodum profecerint: itaque si quando in aciem veniunt, aut tumultuantur quidem, aut relicto præsidio fugæ capessunt. Verùm de his alias. In Pandectis igitur illis archetypis, quæ Florentiæ asseruantur in Palatina curia, sic legitur: Sunt quædam, quæ more prouinciarum coercitionem solent admittere, vt puta in prouincia Arabia σποπελισμὸν crimen appellant, cuius rei admissum tale est: Plerique inimicorum solent prædium inimici σποπελίζειν, id est, lapides ponere, indicio futuros, quod is qui eum agrum coluisset, malo leto periturus esset insidijs eorum qui scopulos posuissent. Quæ res tantum habet timoris, vt nemo ad eum agrum accedere auderet, crudelitatem timens eorum, qui scopelisinon fecerint. Hanc rem præsides exequi solent grauiter vsque ad pœnam capitis: quia & ipsa res mortem comminatur. Sed enim

nim Romani quoque illi vetustiores, quos Ennius poeta Cascos appellauit, acerrimus pœnis contra eos vindicabant, qui agrorum fines ac terminos exemissent, aut loco mutassent: quod in primis Numæ regis instituta & leges probant, In quidus vir egregiè prudens statuit, Licere omnibus tanquàm sacrilegum eum occidere, qui violare ius termini ausus esset. Quod & Dionysius Halicaruassæus in historia Romana antiquitatis copiosè explicat. Vnde etiam versus ex antiquis legibus:

Qui secus faxit, & terminum exarassit,
Ipsus & boues sacri sunto.

De autoritate maxima imperij Romani, & epistola Belsolis regis adscripta de Valeriano Cæsare Augusto capto.

CAP. XI.

HAud alienum mihi visum est, si ex Belsolis regis epistola exponamus, quàm sancta olim, quanq; inuiolabilis Romani imperij dignitas censerentur, apud externos etiam principes cùm vel capto Cæs. Valeriano. Romanum tamen nomen maximis regibus & venerationi æquè & terrori fuerit. Probant hoc ipsum cùm alia complura, quæ in veterum historijs continentur, tum illud, quod est in Belsolis regis epistola de Valeriano imperatore, quem Sapor Persarum rex tum fortè pro victoriæ iure inter captiuos retinebat: sed ad-

Biblioteca de Galicia

scribemus epistolam ipsam Belsolis, vt apud Trebellium Pollionem habetur in libro ad Imperatorem Constantinum Belsolis rex regum Sapori regi S. Si Scirem posse Romanos aliquā do penitus vinci, plurimum tibi gratularer de victoria, quam proferres, Sed quia vel fato, vel virtute gens illa plurimum potest: vide, ne quòd senem Imperatorem cepisti, & id quidem fraude, malè tibi cedat. Illud prætereà cogita, quantas gentes Romani ex tuis hostib⁹, suas fecerint á quibus sæpe victi sunt. Audiuimus certè, quòd Galli eos vicerunt, & ingentem illam vrbē incēderūt: certè Galli Romanis seruiunt. Quid Aphri? eos nonne vicerunt? certè seruiūt Romanis: De lōgioribus exē plis. & remotioribus nihil dico. Mithridates Ponticus totā Asiam tenuit: certè victus est: certè Asia Romanorum est. Si meum cōsiliū requiris, vtere occasione pacis, & Valerianum sais redde. Ego gratulor felicitati tuæ: si tamē illa vti tu scias. Quin & Arthabesdis literæ extant regis Armenicorum, quibus Romanū quoque Imperium sic visus est defendere, vt Imperatorem Valeriani à Sapore captū liberius repeteret. Ita enim in extrema epistola scriptū est: Vnum cepisti senem, & omnes gentes orbis terrarum infectissimas tibi fecisti. Ad hunc propè modum & rex Caduseorum ad Saporem scripsit, vt apertissimè constare posquàm summa in veneratione vbique

Biblioteca de Galicia

gentium haberetur Romana illa maiestas, vel in maximis rerum atque fortunæ periculis.

De fulminitis & Fulguritis arboribus, ac de Ioue Fulguratore, & Tonitruali in libris Aruspicum: aliáq; ibidem addita de fulminibus. CAP. XII.

FVlminitæ & Fulguritæ arbores in Aruspicum libris appellatæ sunt, quòd essent fulmine ictæ. Quocirca Fulminitum (inquit Festus) eum locum dixerunt, qui religione sacer haberetur: quoniam dicasse illum Iupiter Fulminator sibi videatur. Ad hæc enim locæ hi accedebant, quibusdam sacris adhibitis, qui Fulguratores, hoc est, fulminum procuratores vocabantur. Hinc illud in Satyris Persianis:

Triste iaces lucis, euitándúmque bidental.

De his verò sacris, quæ ad arbores fulguritas fierent, nonnihil comperias in Festi commentarijs. Sed & citantur à nostris Grammaticis libri de fulguritis arboribus, qui cum Martijs atque Sibyllinis seruarentur in templo Apollinis. De Ioue autem fulminatore & fulguratore (vt alia mittamus) sic L. Apuleius in libro de mundo ad Faustinum: Quum sit vnus Deus, idémque numen, pluribus quidem nominibus propter specierum multitudinem, quarum diuersitate fit multiformis: nam à iuuando Iupiter dicitur: quem ζωὰ Græci, quòd vita nostra autor sit, rectissimè appellant. Idem

Biblioteca de Galicia

Fulgurator & Tonitrualis, & Fulminator, ac Serenator dicitur: plures Frugiferum vocant, multi Vrbis custodem, alij Hospitalem, Amicalemq; vt apud Aruspices & Romanos veteres inuenies. Ex his facilè intelligitur fuisse in Hetruscorum commentarijs Fulguratorem Iouem, ac Tonitrualem celebratum, vt alibi diximus. C. quoque Plin. vir in considerandis atque cognoscendis naturæ viribus præcipuè accuratus, vulnera tradit fulminatorum frigidiora esse reliquo corpore: & apud Ro. religione cautum fuisse, vti cadauera fulmine icta humo iniecta conderentur, quod ea cremari nefas haberetur.

Quæ sit lex Annaria in veterum scriptis & quid hoc verbum Aeuitas significet in XII. Tabulis. CAP. XIII.

LEgem Annalem, & Annariam, veteres iccirco appellarunt, quod ea cautum foret de æuitate, ac de annis, hoc est, qua ætate, quibusque temporibus capiendi magistratus, atque habendi potestas foret. Qualis illa traditur de senatoribus, vt ab omni senatus munere vacarent, qui annum vitæ sexagesimum absoluissent. Item de militibus, ne supra quinquagesimum annum militiæ sacramento tenerentur. Sic enim apud Iureconsultos habetur. De hac lege Annaria & in collectaneis. Sex. Pompeij mentio habetur, In capiendis verò mag-

Biblioteca de Galicia

rò magistratibus decennium ex lege interpositum erat, ne cuiquam eadem dignitas traderetur siquidem ad hunc modum in antiquissimis legibus seruatum est:

Aeuitatem annali lege seruanto.

Eundem magistratum, ni interfuerint decem anni nequis capito.

Vocabulum hoc, quod est Aeuitas, pro senio exponendum est, quum iam prouectiores homines sunt: & quasi capulares, vt verbo vtamur Plautino. Est autem ex XII. tabulis acceptum, vt in ea lege continetur, qua de iumento & acerra agebatur.

Si in ius vocat (inquit) si morbus, aeuitásve vitium est,

Qui in ius vocassit, iumentum dato. Si volet acerram insternito.

De qua lege plura disserit Sex. Caecilius Iureconsultus, qui Hadriani aetate vixit in summa nominis celebritate.

PETRI CRINITI DE HONESTA DISCIPLINA COMMENT.

LIBER IX.

De Magia Dardani, eiúſque libris è ſepulcro à Democrito erutis: ac de Græcis Philoſophis qui ad Ægyptios perrexerũt.

CAPVT I.

NOTVM eſt, regem Numam, qui leges Romanis condidit, lib. XII. ſcripſiſſe, partim Græcè, (vt traditur) partim Latinè, in quibus Pythagorica ſacra & Pontificalia continerentur: eóſque voluiſſe in monumento etiam ſuo recondi, ne in vulgus (credo) & propalam, quæ arcana, & ſacra erant, deuenirent. Qua in re Pythagoræ ſecutus eſt diſciplinam, quæ profanum vulgus longe arceret. Sed exemplo ſimili relatum de Dardano eſt, qui cùm egregie in magicis artibus præſtaret, libros à ſe conſcriptos in ſepulcro fertur conſtituiſſe: quos Abderites Democritus, vir ſagacis ingenij in perſcrutandis naturæ viribus, diligentiſſimè requiſiuit

quisiuit.tum commentarijs editis illustrauit. disciplinamq; ex illis reconditam, atque multiplicem accepit:quod & C.Plin.ad Cæsa.Vespasianum testatur.Nemo enim ignorat. Græcos aliquot ipsos etiam Aegyptios adiisse, vt Magicam ediscerent : in quorum numero eadem propè ætate fuerunt Agrigentinus Empedocles,Democritus & Pythagoras, quod & Pamphilus Eusebius,Philostratus,& Diodorus. alijq; permulti referunt : susceptis verius (vt ait Pli.) exilijs,quàm peregrinationibus Sed hoc multò copiosius in epistolicis scripsimus

De Bonoso imperatore, & eius vinolẽtia:ac ioculari dicto in eius obitu. pendere amphoram:tum de lege Symposiaca in potationibus. CAP. II.

AVreliani Imperatoris dictum de Bonoso celebrabatur,natum fuisse illum, nõ vt viuat,sed vt bibat.Hic igitur Bonosus, cùm Romanorum dignitas in dies magis amitteretur,Imperatoris nomen occupauit : sed quum bello superatus foret à Probo , seipsum laqueo suspendit.Erat autem Bonosus ex eo genere hominum qui inter pocula, & potationes vitam consummunt.Si quidem potator fuit egregius: ex quo in eius obitu ioculare dictum inualuit, Amphoram pendere , non hominem : quòd instar amphoræ pensilis præ vino videretur , quòd affatim ingurgitauerat. Onesius tamen

Biblioteca de Galicia

tamen Græcus autor, eundem tradit Bonosum vel in vino fuisse prudentiorem, tametsi bibendi modum longè excederet: quod & Flauius Vopiscus recenset. Lex autem Symposiaca hæc est, vt obiter hoc addatur, sicuti à veteribus definitum, vt prima videlicet cratera faciant ad sitim, secunda ad hilaritatem, tertia ad ebrietatem, quarta ad insaniam: nequis fortè modū aut rationē in bibendo prætereat, quum ipso quidem vino sapiētia vereri prouerbio obumbretur. Nam & quaternio numero Democritus Physicus Abderites abstinendum censebat: condito volumine de hoc, non esse quaternos cyathos, vel sextarios potandos. Vnde illud fortè Ausonianum ex Flacci sententia:

Ter bile, vel toties ternos: sic mystica lex est.
Vel tria potanti, vel ter tria multiplicanti,

De Diis regionum atque vrbium, qui busq; nominibus appellarentur: ex Tertulliano, Origene, & aliis autoribus.

CAP. III.

NOn defuerunt apud romanos, qui de Dijs ac diuinitate permulta solerti animo conquisierint: ac editis etiam commentarijs explicarint. In quibus cū primis celebres sunt, Nigidius Figulus Varro Terētius, & Val. Soranus, & qui in pontificio iure ac philosophia decretis incubuerūt quod August. & Hieron. abundè affirmant. Nos verò eam nunc partem

de dijs

Biblioteca de Galicia

de dijs duximus referendam, quæ in quaque regione, atque vrbibus, & oppidis, proprios lares, ac Deos assignat. Putarunt enim veteres (vt est autor L. Apuleius) suis regionibus Deos adscribendos, qui fanis & ceremonijs possent admitti: vt in Bœotia Amphiaraus, in Aphrica Mopsus, in Aegypto Osiris & vbique Aesculapius. Sed hæc multò copiosius à Diodoro & Macrobio exponuntur. Origenes autem Adamantius in commẽtarijs contra Celsum: Maximè inquit, iniquũ est, suum quẽque numen legitimè colere, etsi pluribus inter se vitibus & ceremonijs differunt. Nam Aechiopum populi qui Meroen habitant, Iouem duntaxat, inquit, & Bacchum colunt: Vraniã Arabes, & Bacchum Osirim Aegiptij omnes, & Isidẽ Mineruam Saytæ: Naucratitæ verò ex ritu vetustiore Serapin suum numen cœperunt nuncupare: quod etiam pluribus à Tertulliano explicatur viro vt apparet in quaque doctrinæ excellenti: eo maximè loco, quò de veterũ Dijs ac numinibus historiam refert. Vnicuiq; inquit, prouinciæ & ciuitati suus Deus est: vt Syriæ, Astartes: vt Arabiæ, Dia sares: vt Noricis Tibilenus vt Aphricæ cælestus: vt Mauritaniæ sui reguli, Dein verò & in Italia, inquit, municipali consecratione alij censentur dij Crustuminensium, Deluentinus: Narniensium, Viridianus: Aesculanorum, Ancharia: Volsinẽsium,

sium, Norcia: Otriculanorum, Valentia: Sutrinorum, Murcia: Phaliscorum, Curis in honore patris vnde accepit cognomen Iuno. Qua in re non minorem superstitionem arguunt quàm falsam ineptámque improbitatem. Sed hæc satis. Nolo enim ea repetere, quæ alibi commodius explicaui.

Anacreontis carmen adscriptum quàm venustissimum de poculo, & in Latinos numeros conuersum: quod apud Gellium deprauatum est. CAP. XII.

CElebratur maxime inter Græcorum delicias Anacreontis poetæ carmen, vt venustum elegans, & perlepidum: quo ἐφυτικῶς exprimitur, cuiusmodi poculum fieri sibi expetat: vt in eo videlicet non armatos duces, non cæli signa, Pleiades vel Bootem requirat: sed Veneres, sed amores, sed racemos, & Bacchum Est autem hoc prorsus

Οὐ μοὶ μέλει Γύγαο
Τῶν Σαρδίων ἄνακτος,
Οὐδ' ἁρέει μὲ χρύσος,
Οὐδὲ φθονῶ τυραννίς,
Ἐμοὶ μέλει μύροισι
Καταβρέχειν ὑπήνω.
Ἐμοὶ μέλει ῥόδοισι
Κατασίφειν κάρηνα.
Τὸ σύμπαν μέλοι μοι,
Τὸ δ' αὔριόν τις τοί δι,

Τὸν

Τὸν ἀργυροῶν τριβώνας
Ηφαιστί μοι ποίησον,
Παντοπλίας μέν οὐ χρή,
Τί δὲ μάχαιρα καὶ μοί:
Ποτήριον δὲ κοῖλον
Οσον δύνῃ βάθυνον.
Ποίει δέ μοι κατ' αὐτὸ
Μήτ' ἄστρα μήθ' ἁμάξας,
Μὴ συγχὸν Ωρίωνα.
Τί Πλειάδων μέλει μοι,
Τί δ' ἀστέρος Βοώτεω;
Αλλ' ἀμπέλους χλοώσας,
Καὶ βότρυας γελῶντας,
Καὶ χρύσεας πατοῦντας,
Συὺν τῷ καλῷ Λυαίῳ,
Εροτα καὶ Βάθυλλον.

Quod ego propterea putaui referendum, vt facilius emẽdari posſit in Gellianis noctibus: quo loco Romanas veneres: cum græcorum delicijs commiſit. Ibi enim deprauatum id carmen, atque improbè violatũ eſt: nos olim Anacreonteum id pro arbitrio noſtro expreſſimus his numeris: quales vulgo leguntur Laberioni:

Non mi cupio aurum, non dimites diuitias:
Non ſeptra curo minitantiũ principum:
Nil ad me triũphantes cum decoris falcibus,
Nil inſtructæ acies armis præfulgentibus,
Mihi eſt viuendum teneris in amoribus:
Mi ſunt delicię, & ſuauc clentia ſuauia.

Vina-

Biblioteca de Galicia

Viuamus hodie, viuamus dum licet,
Lætique carpamus quicquid id est boni.
Libet, nũc crines liquidis perfundere odorib.
Interque iocos agere, & lepidas veneres.
Quin tu age Vulcane potẽs, mulciber ignee,
Excude mi amplũ, insigne, argẽteũ cimbium.
Iníq; eo nõ mi astra, nõ Bootem, non Pliadas,
Non Martem ferreum, non cruenta prælia.
Quid cũ sideribus, cũ Marte, cũ bellis mihi?
Sed intus cude Bromium vino madidum,
Vitésque molleis, & frondenteis palmites,
Racemósque, & fluentes virideis hederas:
Amoremq; spirantem calores vndique.

De magia Ægyptiorum, & qui in ea præstiterunt ac de XXXVI. dæmonibus, & qua potestate polleant. CAP. V.

DE magia, quæ apud Aegyptios populos celebrata fit, permulti apud veteres scripserunt, nã & Græcorum quidam ad eam perdiscendã illuc enauigarunt, quò facilius, atque copiosius de ea referrent. Nec enim latet eiusmodi fuisse hanc disciplinã, vti dæmonũ viribus, & quibusdam velut incantationibus miracula ferè, at prodigia efficerẽt: quod ex veterum commentarijs intelligitur. Eius autem originem C. Plinius ad Mosen & Latopelã retulit. In qua (vt traditur) Solomon, Dositheus, Simõ Samareus, Theudas, Etham, Calgales,

Dard

Biblioteca de Galicia

Dardanus, aliíq; cõplures præstiterũt. Ex Græcis Hostanes, Damigerõ, Pythagoras, Democritus, Apollonius. Ex his cõmentarijs quidã fecerũt, quò hanc partẽ plenius excolerẽt, atq; humano corpori medelas deferrent. Quod ipsi magices autores certis genijs ac dæmonibus assignant, sicuti Celsus Aphricanus in his libris testatus est, quos infando titulo contra Christũ cõposuit. Aegyptij, inquit, ipsi, qui magicẽ maximè coluerũt, tradunt humanum corpus per VI. & XXX. dæmones curari: ex quibus alius dæmon aliã sibi partem & portionẽ suscipit, eiusq; tutelæ se dedicat. Quin & eorum nomina patria voce appellant, quibus inuocationibus vitiatas corporis partes ad sanitatem referre soleãt. Sed hanc partem & Porphyrius copiosè explicauit, qui Aegyptios quoque sycophantas, atque præstigiatores vocitat. De Solomone autem, vt idem credatur, facit in primis Iosephi autoritas, qui & Iudæorum vernaculus, & in omni antiquitate considerandã diligenter accuratus fuit. Is enim eundem scribit Solomonẽ, non modò rerum omnium, atque animantium naturam, ac vires calluisse, sed eam præterea scientiam, quæ ad potestatem dæmonum, atq; incãtationes pertineat: Quibus inquit hominum morbi & agritudines leniri, atque curari soleant. In hac verò magica & annulum adhiberi, & pelues, aliáque sacra idem

Biblioteca de Galicia

Iosephus autor est: in qua Iudaũ quoque Eleazarum dixit maximè celebrem fuisse Vespasianus Augustis imperantibus.

Non esse viri prudentis, in humanis confidere: & exemplũ nobile de iniquissima fortuna Belisarij ducis. CAP. VI.

SErmo nuper habitus est à viris prudentioribus: de fortunæ potestate & viribus, quæ pro libidine omnia humana agit, ac versat: sed inter alia multa exemplum de Belisario duce maximo prolatũ est, quod equidẽ non putaui prætermittendũ cùm ætate quoq; nostra, in qua totius Italiæ principes variis passim cladibus agitantur, paria quædam prope aspiciamus. Belisarius igitur, vt à Procopio & alijs relatum est, vir quidẽ gestis & animo maximus sæpius victor ac triumphator fuit: qui Iustiniani Augusti imperium suis auspicijs firmauit, Vãdalos populos delenit, de Persis trũphauit, Italiamq;, & vrbem Romam à Barbaris & crudelissima cæde non semel liberauit. Tandẽ verò post multas victorias ac peractos triumphos, cæcatus ab imperatore fuit, eidemq; oculi crudeliter exempti. Neque ob aliã causam, quàm propter liuoris improbitatem, qui velut ignis alta semper, & ardua petit. Cui vt ad plenum satisfaceret, in tam grauis, tanq; iniqua fortuna oppressus, tuguriolum sibi propter viam cõstitui fecit, in quo numulos ad victum

victum quæritans, vitæ reliquum transigeret, dictitans hoc subinde prætereuntibus: Viator, concede obolum Belisario, quem liuor, nõ error cæcauit, Adeò nihil in humanis melius, quàm nihil boni sperare: quòd illa etiã perquàm nobilis Sidonij acclamatio commonet, de misera mortaliũ conditione. O necessitas abiecta nascendi, viuendi misera, durissima moriendi. Sed hoc alibi de Belisario commodius diximus.

De multiplici causa terræ motus, & Neptuni potestate: tum de terræ motu maximo, qui Tiberio imperante in Asia euenerit. CAP. VII.

NOn pauci apud veteres Græcos celebrãtur, qui de motu terrarum, & causis copiosè scripserũt: neque philosophi minus, quàm historiæ autores: sicuti apud nos etiam C. Plin. An. Seneca, & Marcellinus. Neq; dubiũ reliquerũt, varias dici causas, vnde istiusmodi terrarũ motus nascantur. Nã Chaldæi quidẽ, & Babylonij, totũ hoc sideribus assignãt. Philosophi autem plerique flatibus, & aquis: quòd hæc visceribus terra inclusa, dum nitãtur prorumpere, motus istos, & hiatus generẽt: ex quo Neptunum quoq; ipsum Græcorum vetustissimi Ennosigæum, & Syssichthona appellarunt. Nã & Probus Valerius autoritate M. Varronis treis præcipuè causas probat, quibus terræ tremores eueniãt. Aut enim ventis in ter-

ræ viſceribus occluſis, exitumq; requirentibus fundamenta cõcuti, & his labefactis ſuperiora contremere. Aut etiam ex igne, quem terræ ineſſe, mons Aetna, & alij teſtantur: exuſta enim occidunt, nec ſine ſonitu & tremore ſubſidunt. Tertio ex aquis, quæ quodcunque ſuſtinent, delabi ſenſim in liquorem, & ingentibus ruinis terra conſumpta, lacus maximos fieri: quod & Claudius Galenus (vt alios mittã) in libro de hiſtoria philoſophi proſequitur. Sed quod in Aſia imperãte Tyberio Auguſto accidit, mirãdũ profectò, ac penè incredẽdum videtur: ſiquidẽ terræmotu facto. XIII. vrbes corruerunt, quorum nomina ſubijciemus, ſicuti etiã in annalibus Pamphili Euſebij notatum eſt, quos diuus Hieronymus, vt alia multa, in ſermonẽ Latinum conuertit. Sunt igitur hæc Magneſia: Epheſus, Sardis, Moſthene, Megara, Cæſarea, Philadelphiæ, Hymolus, Themis, Cyme, Myrrhina. Apollonia, Dicæarchia. Quod etiã ob id referendum fuit, quoniã & C. Plinius, maximus, inquit, terræ, memoria mortalium, extitit motus Tyberij Cæſaris principatu, XIII. vrbibus Aſiæ vna nocte proſtratis.

Hiſtoria de Leęnæ meretricis conſtantia in tormentis, ac Tertulliani verba expoſita: tum de Theodoro etiam, quàm firmo & conſtanti animo fuerit.

CAP. VIII.

Verba

VErba Florentis Tertulliani sunt in libro qui Apologeticus cõtra gentiles inscribitur: Ecce, inquit, & tormentorum certamina à vobis coronantur: Attica meretrix: carnifice iam fatigato, postremò linguã suam in faciem sæuientis tyranni expuit, vt expueret & vocẽ, ne cõiuratos cõfiteri posset, si etiã victa voluisset. In quibus historia latẽter notatur de Leæna meretrice, & Hipparcho Atheniensiũ tyranno. Nam Olympiade quidẽ LXIIII I. Hippias, & Hipparchus Athenienſium tyrãnidẽ occuparũt, sicuti relatũ ab Eusebio in annalibus: ex quo Harmodius & Aryſtogytõ, aliíq; cõplures facta cõſp ratione Hipparchũ interemerunt. Leæna autem meretrix, cùm foret illis beneuolentiæ officio maximè coniuncta, capta igitur multis, varijsq; tormẽtis vexata, vt conſcios, atque coniuratores proderet. Sed illa, vt acris animi, linguã mordicus amputauit, & in Hippiæ tyranni faciem inſpuit: quod & C. Plinius (vt alios mittam) inter memoranda patientiæ exempla retulit. In fœminis, inquit, Leæna meretrix præſtitit, quæ torta Harmodium & Aristogytonẽ tyrannicidas minimè indicauit. In viris autem Anaxarchides (vt Z[illegible] simili prope ratione cùm torqueretur, [illegible]

quam vt referri oporteat: qui carnifici traditus, discidit verbera, fidiculas laxauit, soluit oculeum, laminas extinxit, prius quàm efficeretur, vt conscios tyrannicidij indicaret: quod à Maximo etiam Valerio in exemplis veterum scriptum est.

De Leone Imper. qui edicto cauit vt omnes imagines è templis ac Basilicis Christianorum delerentur, & epistola Valentis & Theodosij Augustorum de eadem re apposita. CAP. IX.

RElatum est in veterum animalibus de Leonis Augusti imperio, & eius moribus: quodq; is Theodosio Imper. defuncto in Byzătio Vrbe, quæ Cõstătinopolis dicitur, factus Imperator, edicto cauit, vt omnes quidẽ sanctorũ imagines quæ in Christianorũ fãnis ac templis forent, aboleréntur. Ex quo Romani pontifices, aliarumq; ecclesiarum præfecti acerrimẽ restiterunt: necubi, præterquàm in vrbe Byzantio, tantum facinus committeretur: quoniam sæuissimis pœnis eos homines Imperator afficiebat, qui tale edictum contempsissent. Itaque omnes, tunc imagines atque simulacra, quæ in Byzantij templis spectarentur, concremate sunt. [redacted]

asſir-

De Hierophantis Athenienſium ad ſorbitionem cicutę: ac de Romanis Sacerdo-..bus, Flaminibus, & Pontificibus.

CAP. X.

SCriptum eſt ab Hieronymo, ſacerdotes illos Athenienſium, qui Græcè Hierophătæ appellătur, quò caſtius in ſacris agerẽt, dimiſſique rebus incumberent, conſueuiſſe ſorbitione cicutæ ſeipſos caſtrare. Vbi verò ad Põtificis digni-

Biblioteca de Galicia

[redacted]

Quàm egregia singularíque doctrina præstiterit Mercurius Ægyptius in rebus diuinis: ac eiusdem verba adscripta Deo, de mente, & animis, in libro de sapientia Dei.

CAP. XI.

QVo plura de Mercurio à nobis perquiruntur, eò maiora atque diuiniora videri solent: sic vt Firmiani sententiæ magnopere accedamus, qui persæpe hunc ipsum asse-

rit,

rit, rerum propè omnium suprà cæteros alios veritatem perspexisse: tum Græcos complureis pleraque ab eodem Mercurio accepisse, quæ de Deo, de animis, ac de mundo referuntur. Sed hæc in nostris Theorematis copiosè explicauimus. Nunc illud repetendum existimaui, quod idem Mercurius loquitur ad Tatiũ in eo libro, qui dẽ sapientia Dei inscribitur: Beatissimus, inquit, Deus, qui & Dæmon optimus dicitur, animã esse in corpore asserit, mentẽ in anima, in mente verbum. Deum autem ipsum horum omnium esse genitorem, ac parentem. Itaque verbum imago & mens Dei est, corpus quidem ab idea, Idea uero anima: & portio purissima materiæ aer, aeris animi, animæ mens, mentis Deus. Deus in omnibus, ad omnia, circa omnia, & per omnia: mens ad animam, anima ad aerem, aer ad materiam. Hactenus Aegyptius Mercurius, in quibus ipsa rerum & veritas non edocetur modò, sed etiam explicatur: quod & mysteria illa, atque arcana Pythagoreorum comprobant.

Qui sint apud Iurecõsultos Iudices recuperatores in æstimandis iniuriis, ac de Iudicio recuperatorio copiosè explicatum. CAP. XII.

FRequens mentio est apud M. Ciceronem, & alios veteres de his iudicibus, qui Recuperatores à Romanis dicerentur. Qua ratio-

Biblioteca de Galicia

ne & recuperatorium iudicium est appellatum: quod in causis, vt fit, iudicandis atque absoluendis, cum recuperatione haberetur de æstimandis iniurijs. In hunc autem modum constituta est à veteribus (ceu ex Iureconsultis ferè colligitur) forma recuperandi iudicia. Si quando in aliqua causa dolo malo fuisset habitum iudicium, in ea tum re licebat cognitores habere, qui receptam causam maturo iudicio æstimarent. Itaque creabantur ad id tres iudices, qui recuperandæ causæ ergo Recuperatores vocabantur: quorum iudicio atque æstimatione, omnis damni illatio atque iniuria tollebatur: quæ res ab ipsis Iureconsultis copiosè explicatur. Sex. autem Pompeius legem recuperatoriã ab Alio Gallo sic acceptam tradit: Cùm inter populum, & reges, nationesq; & ciuitates peregrinas conuenit, vt per ipsos Recuperatores agatur, de reddendis, recipiendisque bonis quæ ad priuatos pertinerent. Gellius Recuperatores constitutos tradit in ijs, quæ ad ius referantur, de iniurijs asserendis ac puniendis. Nam missa, inquit Gellius, XXV. assium pœna, factum est à prætoribus, vt in æstimandis iniurijs Recuperatores adhiberẽtur. M. autem Cicero in causa L. Flacci, quem socium, & adiutorem consiliorum, ac periculorum suorum vocat, Recuperatores constitutos refert, qui rem vniuersam percensérent. Recuperatores, inquit,

quit, contra istam rem minimè dubiam prima actione iudicauerunt. Et paulò mox. Cùm frater meus in Asiæ præfectura Flacco successisset, causam ita detulit, Recuperatores vi Flacci coactos atque metu, falsum iudicauisse inuitos. Frater meus pro sua æquitate, prudentiaq; decreuit, vt si iudicatum negaret, in duplum iret, si metu coactos diceret, haberet eosdē recuperatores: quā optionē recusauit. Idē Cicero pro A. Cecinna orationē habuit ad recuperatores, in qua persæpe de his agitur C. præterea Suetonius à Flauio refert Domitiano Augu. identidē admonitos recuperatores, ne se perfusoriis assertionibus semper accommodarent. Sed & Vespasianus pater Flauiam Domicillam duxit vxorem, vt ab eodem Suetonio relatum est: quæ ingenua, & ciuis Romana pronuntiata est, iudicio recuperatorio asserente patre. Neque illud omittendum putamus, quod in veterum notis, atq; elogiis obseruatum est de iudicio recuperatorio his verbis: Quanti ea res erit, tantæ pecuniæ iudicium recuperatorium dabo, testibusq; publicè duntaxat decē denuntiandi potestatem facio. Quæ res ab antiquis notarum magistris ita perscribi solita est: Q. E.R.E.T.P.I.R.D.T.Q.P.D.T.D.D.P.F.

Quàm imprudenter atque imperitè ab iis erratum sit, qui Scirpum acceperūt pro ænigmate: & quòd apud autorē Gellium Scrupū, nō Scirpū legendū sit. CAP. XIII.

Biblioteca de Galicia

IN magno errore versati sunt nostri ferè omnes Grammatici, qui Scriptum dixerunt pro ænigmate: quod ipsum è Gellianis verbis acceperunt: in quibus non Scirpum quidem, sed Scrupum erat scribendum: vt in veteribus ac minus deprauatis reperitur. Sed enim quo pacto illa enodari possunt, quæ sine vllis nodis sunt, cuiusmodi scirpus haberi debet? neque vllus est tam hebeti ingenio, tamq; absurdo iudicio, qui nesciat, ipsos scirpos vocari enodes: vnde illud vetus, cùm apud comicos poetas tum apud Ennium celebratum hoc carmine:

Quærunt in scirpo soliti quod dicere nodum.

Scrupus verò pro ænigmate, & ambiguitate ob id à veteribus acceptus est, quòd in eo anxietas quædam, & quasi asperitas intelligatur. Quod & Sex. Pompeius in lib. de priscis verbis vndecimo insinuat. Scrupos, inquit, pro asperis saxis accipimus. Hinc rē scrupulosam dicimus, quæ aliquid in se asperitatis contineat. Proindeq; apud Gellium refertur, vocari à Græcis ferè ænigmata, quæ nostri scrupos dixerunt. Cui sententiæ & Benedictus Philologus accedit, vir eruditissimus: & in studys nostris accuratissimè doctus. Neq; visum est hoc loco eos nominare, qui hac in re decepti sunt. Politianus certè, cum ad autores illum enocarē, ingenuè agnouit errorem: sed in hoc, inquit, cæteri ætate nostra incurrunt.

PETRI

PETRI CRINITI DE HONESTA DISCIPLINA COMMENT.

LIBER X.

De doctrina Gamalielis Hebraei: & quo iudicio probauerit Iesum Christum pro Deo accipiendum. CAP. I.

NESCIO maiore impudentia, an inscitia factum sit à quibusdã veterum, vt non modò contra Christianos populos, sed contra ipsum etiam Christum libros componere ausi fuerint. Non enim homines, sed portenta potius quædam & prodigia dicenda sunt: cuiusmodi nobiliores memorantur, Porphyrius, Iulianus Byzantius, Celsus Aphricanus, qui Philalethen scripsit, Basilides, & alij qui ausi etiam inter alia flagitia dicere, quæcunque de Christo à priscis vatibus prædicta fuerunt, ea de alijs quoq; potuisse intelligi: quod ab Augustino tamen, Origene, & Cypriano copiosè refellitur: sed à Gamaliele Hebræo dictũ egregiè

giè ac prudenter traditur. Nam cùm alios quidam fortè referrent, qui se vulgò Deos probari vellent, vt Dositheum, Theudam, & Iudam. Hi enim cum disciplinarum magnitudine atque doctrinis egregiè præstarent, seq; supra homines ponerent, deceptionibus maximis vsi sunt, & à multis pro Deo habiti: ex quo in hũc modum respondit Gamaliel, Si hoc, inquit de Christo, humanum consilium fuit, quàm mox dissoluetur: veluti Theudæ, Dosithei, Iudæ, & aliorum, qui vbi mortui sunt, eorum ficta & commentitia disciplina sublata est. Siquidem non diu probari inter homines potest improbitas, aut mẽdacium: quod omnis Academia cõcedit. Id autẽ de Gamaliele in Origenis cõmẽtarijs cõperies, quos vir maximè doctus contra Celsum composuit. Sed Gamaliel ipse iudicio & doctrina insignis, apud Hebræos est habitus, qui etiam Pauli Tarsensis præceptor fuit: vnde eum dixerunt veteres ad Gamalielis pedes eruditum, sicut in Hieronymo legitur, qui Gamalielem hunc, & maximum virum, atq; doctissimum vocat: quod Hebræorum præterea libri testantur.

De Narsete Eunucho, & Sophiæ Aug. verbis ad eum, ac responso Narsetis in fœminę insolentiam. CAP. II.

RElata sunt permulta in veterũ Annalibus de Narsete Eunucho, eiusq; maxi-

mis

mis gestis: qui de Chartulario (vt ferunt) non modò patritiã dignitatem est consecutus, sed Italiæ quoque vniuersæ factus præfectus. Eam diu obtinuit, & omneis Gothos, gentem ferocissimam, superauit. Sed vt res humanæ se habent gloria inuidiam peperit: ex quo Iustinianus imperator, & Sophia Augusti coniunx Narsetem hunc cœperunt insectari. Itaq; Longinum cum magno exercitu contra eum miserunt. Sophia verò & inter alia permulta conuicia, quòd Eunuchus foret, hoc addidit, vt lanam in Gynæcio faceret, & pensa diuideret. Quibus idem Narses pari animo respondit: Talem se quidem telam exorsurum, qualem ipsa dum viueret, nunquam satis posset explicare: & simul odio (vt fertur) ac metu accensus, Longobardos populos in Italiam accersiit, vt relicta Parmonia ad Italiæ diuitias & prædam accedant: ne quid ad præsidium & vltionem omitteretur. Fuit autem Narses (vt quidã tradunt) pius, religiosus, liberalis, atq; munificus: quod aliàs à me cõmodius relatum est.

De populi improbitate, ac de exilio Aristotelis: quòd impietatis accusatus, in Chalcidem profugerit: tum alia obiter nõ inucunda. CAP. III.

NIhil debent in tota vita minus agere, qui prudentiores sunt, quàm populo seipsos committere: nec enim bonis ingenijs, atq; disci-

Biblioteca de Galicia

disciplinis, quicquam est tam malè affectum, & infensum, quàm imperita vulgi insciti: quod equidem innumeris propè exemplis falsæ atque improbæ philosophorum accusationes eorumq; exilia & cædes demonstrãt: sicuti Socratis, Anaxilai, Apollonij Thianei, & Madaurẽsis Apuley: quorũ Apologiæ alũdè explicãt, quã sit ex Platonis sentẽtia refugienda vulgi improbitas. De Aristotele autẽ philosopho referendũ illud puto, quod ab ipso Adamãtio Origene ponitur, quo loco Celsi Aphricani Philalethem mẽdacij ac falsitatis arguit. Tradit enim Aristotelẽ ipsum à iudicib. Athenienſiũ crimine impietatis fuisse accusatum, quoniã dogmata quædã, vt ἄθεα καὶ ἀσεβῆ in philosophia protulisset: quæ Deorũ cultũ minus probarẽt. Ex quo Athenis relictis, Chalcidẽ se cõtulit: vbi diu versatus quũ literis amicorum ad reditum vocaretur, in hunc modũ respondit: Ex Athenis pridẽ recessimus, idq; eo animo factum est, ne causam fortè Atheniẽsibus daremus iterum scelus cõmittendi, sicuti in Socratẽ cõmiserunt: néve impiè contra philosophum rursus feciſse incusentur. Néq; me autem latet, quòd idẽ Aristoteles cùm Athenis xxx. annos in lycio docuisset, clam se in Chalcidẽ recepit: quoniam foret impietatis ab Eurimedonte Hierophanta accusatus: siue à Demophilo, vt quidã volũt, quòd hymnum in Hermiã pellicẽ scripserit

scripserit: cui etiam præ nimio, vt ferunt, amore sacra fecit, atque hoc epigramma Delphis incidit:

Τὸν δέ ποτ' οὐχ ὁσίως παραβὰς μακάρων θέμιν ἀγνιὰ
Ἔκτεινε Περσῶν τοξοφόρων βασιλεύς.
Οὐ φαιδρῶς λόγχῃ φονίοις ἐν ἀγῶσι κρατήσας
Ἀλλ' αἰδρος πίσει χρησάμενος δολίῃ.

Quæ sint à Dijs maximè roganda, & quomodo ex Platone: tum versiculi Persiani de votis peragendis. CAP. IIII.

ELeganter Plato Philosophus & eruditè prudentiam atque iustitiam in suis legibus expressit, sed vel in Alcibiade, qui liber de voto inscribitur, eius honorem & cultum sic recensuit: Perspicuum, inquit, est & apud ipsum Deum, & apud homines bonæ mentis, iustitiam & prudentiam præcipuè honorari. Prudentes autem ac iusti illi meritò dicendi, qui probè norunt, quæ erga Deum, quæq; erga homines agere, atque dicere conuenit. Hactenus Plato. Quæ meipsum commonent sententiæ veteris, quàm non minus Stoicorum porticus, quàm vniuersa etiam Academia honore summo prosecuta est: ita enim à philosophis, velut ex Delphico prolatum: Sic viuendum cum hominibus, tanquàm Deus videat: sic loquendum cum Deo, tanquàm homines audiant. Cuius secunda pars, vt inquit Veclius Prætextatus,

Biblioteca de Galicia

abundè sancit, ne quid à Diis petamus, quod velle nos indecorum sit. Nam Plato idem copiosè hoc ipso libro explicat, quæ maximè à Diis petenda sunt, & quo animo, ne fortè in Oedipi rogationes maiore affectu, quàm ratione depellamur. Stoici autem tria potissimum à Diis roganda affirmant, bonam mentis, bonam animi valetudinem, tertiò corporis. Itaque Persius poeta videtur Alcibiadem Platonis peruidisse, qui in satyra quidem ad Macrinum sic de votis peragendis loquitur:

Funde merũ genio, non tu prece poscis emaci
Quæ nisi seductis nequeas committere diuis.
At bona pars procerũ tacita libauit acerra:
Cui sententiæ & illud apud Iuuenalẽ accedit:
Orandũ est vt sit mens sana in corpore sano.
Fortè posce animũ mortis terrore carentem,
Qui spaciũ vitæ, extremũ inter munera ponat
Naturæ, qui ferre queat quoscunque labores.

Quin & in iure Pontificum apud Romanos ita scriptum traditur:

Ne audento placare donis iram deorum.
Cautim vota reddunto: pœna violati iuris esto.

Quantum concesserint Christo Romani Imperatores, Tiberius & Adrianus: ac de Alexandro etiam Seuero, qui Christũ inter alia numina adorauit. CAP. V.

PErsæpe accidit, vt à viris doctioribus quæratur, quo in pretio apud *Romanos Imperatores*

Biblioteca de Galicia

ratores Christi numen fuerit: quo videlicet tẽpore, aut quo cultu Romana ciuitas eum prosecuta sit. At hoc ego quum aliquando essem respõsurus, talia propemodum de ipso Christianorum Deo obseruaui. Et primò quidem ex auctoritate veterum constat Tiberium Cæs. voluisse Christum à S.P.Q.R. adorari, idq; etiam ab eo relatum est ad Senatum cum prærogatiua Tiberiani suffragij, vt abundè alibi diximus: quod & Pamphilus Eusebius, ac Florẽs Tertullianus affirmant. Sed & mox Cæs. Hadrianus de adorãdo Christo cogitauit, eidémque templa condere inchoauit, sicut Aelius Lampridius ad Constãtinum Imperatorem testatur, qui Augustum inquit Hadrianum ab incepto destitisse, veritum ne cætera etiam templa deserenda: quoniam præfecti sacrorum Hadriano persuaserunt, Christianos omnes aliquando futuros, si illud effecisset. Ex quo idem mutato animi proposito acerrimè mox vniuersam Christianorum factionem est insectatus, quod & commentarijs suis & edictis propalam testatus est. Alexander autem Seuerus, qui optimus imperator est habitus, quiq; Antonino Heliogabalo successit, plurimũ Christianis detulit: & Christi numen inter maximos & selectos Deos recepit. Si quidem in sacrario suo (quod ab Aelio Lampridio Lararium appellatur) inter principes diuos & animas (vt

Biblioteca de Galicia

inquit) sanctiores Christum habuit: cum quo ibidem Appollonium Thianeum, Abraham & Orpheum coluit. Idem quoque Alexander Augustus in minore lario Achillem, & alios duces maximos habuit: sicuti M. Ciceronis & Vergilij simulacra, quem poëtarum omnium Platonem vocitabat.

Vnde apud poëtam Vergilium Ramus aureus: & viscus in ilice, in VI. Æneidos: ac de magia Druydum Vergilij carmen expositum. CAPVT. VI.

SAtis cõpertum est, P. Vergilium adeo multiplici, & varia doctrina præstitisse, vt & cœlestia pariter, & humana maximè intellexerit: quod eius diuinum carmen probat, in quo & sacra omnia, & humanæ leges atque ritus tanta eruditione tractantur, vt eum mirari potiùs homines possint, quàm pro merito satis laudare. Sed eiusdem carmen referemus in quo de Ramo aureo agit, quem Troius Aeneas ex præcepto Sibyllæ Delphilæ ad inferos detulit: cuius etiam speciem virenti visco similem dixit, & in opaca ilice incertam: quæ omnia videntur mihi ex philosophia & sacris Druydum esse assumpta, quibus religio fuit, par quiddam de visco & robore agere: quod equidem suspicari licet, quoniam & viscum Verg. hic, & ilicem opacã nominat, quæ inter glandiferas etiã refertur. Ab ipso enim poëta, vt

Biblioteca de Galicia

vt est autor Macrobius, plerumque fieri videmus vt remotiores ritus, veterumq; ceremonias innuendo attingat: etsi Aurelius Cornutus, vir alioquin doctus, fictũ hoc de ramo ilicis à Poeta Vergilio falsò existimauit. sic autem Verg.

Accipe quæ peragenda prius. Latet arbore opaca
Aureus, & foliis, & lento vimine ramus.
Iunoni infernæ dictus sacer: hũc tegit omnis
Lucus, et obscuris claudũt cõnallibus vmbræ.
Sed non ante datur telluris operta subire,
Auricomos quàm quis decerpserit arbore fœtus.
Hoc sibi pulchra suũ ferri Proserpina munus
Instituit: primo auulso non deficit alter.
Aureus, & simili frõdescit virga metallo.

At verò Druydes (qui Gallorum vates ac sacerdotes forent) nihil habent visco & robore, in quo gignatur sacratius, sicuti C. Plin. testatur. Hi enim, inquit, roborum lucos eligunt, neque vlla sacra sine ea fronde conficiunt: quicquid etiam illis adnascitur, è cœlo missum putant, signumq; esse electæ ab ipso Deo arboris. Est autem id rarum admodum inuentu, & repertum magna religione petitur, & ante omnia sexta luna. Idẽ quoque C. Plinius, Sacrificio, inquit, epulisq; ritè sub arbore præparatis, duos admouent candidi coloris tauros, quorum cornua tũc primũ vinciunt, sacerdos candida

Biblioteca de Galicia

veste cultus, arborem scandit, falce aurea demetit, candido id excipitur sago, tum demum victimas immolant, precantes vt suum donum Deus prosperum faciat his quibus dederint hæc. Hactenus de religione Druydum ad robur & viscum, quæ poetam Vergilium (vt puto) ad ramum illum aureum inclinarunt, ex quo illud subdit:

Sedibus optatis gemina super arbore sidunt:
Discolor vnde auri per ramos aura refulsit.
Quale solet syluis brumali frigore viscum
Fronde virere noua, quod non sua seminat arbos,
Et croceo fœtu teretes circundare truncos.
Talis erat species auri frondentis opaca
Ilice: sic leni crepitabat bractea vento.

Fuit in hac sententia & Domitius Veronensis, vir in perquirendis veterum monumentis acris ingenij, & in exponēdis autoribus diligēs. quem tamen immatura mors nobis præripuit.

De Hetrusca disciplina, & quo studio Romani nobiles ad eam discendam mitterentur, ac versus ibidem ex XII. additi.

CAPVT VII.

MArcus Cicero quum de diuinatione disserit, copiosè probat populum quidem Hetruscum maximè præstitisse in obseruandis, noscendisq; augurijs & ostentis: nam & aliquot à veteribus celebrantur, in quorum commen

commentarijs disciplina hæc abundè exponeretur: sicuti à Macrobio, Censorinóque & alijs veteribus traditur. Qua in re seruatum est à Romanis, vt principum filij, qui in Vrbe forent, Hetruriæ populis traderentur, quò hanc etiam diuinandi partem ediscerent, sicuti verba hæc Ciceronis testantur. Bene, inquit, apud maiores nostros Senatus decreuit, quando florebat Imperium, vt de principum filijs sex, singulis Hetruriæ populis in disciplinam traderentur: ne tanta ars propter tenuitatem hominum à religionis autoritate abduceretur ad mercedem & quæstum: ex quibus apertè constat, quo studio & diligentia prouisum est à S.P.Q.R. vt cognitio illa Hetruscæ disciplinæ conseruaretur. Quod ipsum & Liuius in Romana historia notauit quò scientissimè callerent quæcunque de cælo tacta essent, omnia quæ prodigia, portenta, & ostenta: quod & C. Pli. & alij asserunt. Ex quo etiam in sacris veterum & pontificalibus libris ita scriptum fuit:

Discunto ignari à publicis sacerdotibus.
Hetruriæ principes disciplinam docento.
Quibus diuis creauerint procuranto.
Et idem fulgura & obsita pianto.

Quæ ob id adscripsimus, vt Ciceronis locum facilius teneremus. Quum nemo prorsus ignoret, cælum ipsum eiusq; partes ab Hetruscis olim signatus, & in XVI. diuisum. Nam & fulminum

Biblioteca de Galicia

minum genera vndecim, & deos nouem, qui ea iaculentur, statuerunt: rationes prodendo, quid ex quaque parte signarent, quod & C. Plinius ad Vespasianum Augustū demōstrat.

De cura, & periculis eorum qui Imperio præsunt: ac Saturnini Augusti verba ad hoc ipsum pertinentia. CAP. VIII.

VEtus est dictum, & à philosophis approbatum, tyrannos quidem & principes quàm rarissimè senescere: quoniam tam varia illis, tamq; summa pericula vndequaque immineant prorsus, vt quàm ægerrimè communem liuoris, & periculi sortem possint euadere. Quam rem tot principum & imperantiū subitæ neces atque cædes maximè approbant: quum paucissimi omnino fuerint, qui suo fato perierint. Itaque permulti admodum reperti sunt, qui hanc imperandi curam, velut inquietam, æstuantem, ac perniciosam refugerunt. Quod equidem ex verbis ipsis, & oratione Augu. Saturnini Imperatoris referendum censui: quò cumulatius à quouis intelligatur, quàm & eruditè Saturninus, et grauiter de Imperatorum discrimine & periculis disseruerit. Nescitis, inquit, amici, quid mali sit Imperare: nam & gladij & tela nostris ceruicibus impendent, imminent hastæ, vndique spicula, ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur: non cibus pro voluptate, non iter pro autori-

tate:

Biblioteca de Galicia

ritate non bella pro iudicio, non arma pro studio Adde quòd omnis ætatis in Imperio reprehenditur: senex est quispiam, inhabilis videtur: si iuuenis, inest furor: Nam quòd Imperatorem me cupitis, in mortis necessitatem me trahitis. Sed habeo solatium hoc mortis, solus perire non potero. Hæc hactenus. Saturninus, quum à suis purpuram esset indutus: sicuti M. Saluidenus affirmat, eleganter quidē & doctè. Si quidem bonas literas Saturninus egregiè coluit, & facultatem oratoriam studiosè didicit: quod & Vopiscus homo diligens recenset.

De antiquorum proprietate in carmine in rebus exprimēdis, simúlque Accij poëtæ versus appositi ex Argonautis elegantissimi, & Q. Ennij. CAP. IX.

IN præceptis veterum, qui de ipsa elocutione scripserunt, illud præcipuè video commendari, vt verba rebus maximè conueniant: & in quaq; actione describenda sic absoluatur oratio, vt res geri potius, quàm componi videatur. Ita enim interesse te putes, non legere, cùm iucunda verbis suauibus, atrocibus aspera, quieta sedatis, deductis humilia, grandibus ardua proferuntur: vnde illa orationis honestas, & quasi certum decus oritur. Quam quidem partem summo studio videntur mihi consecuti veteres autores, tum ij præcipuè qui fabulas ediderūt, vt M. Pacuuius, Attilius, Næuius, &

Biblioteca de Galicia

Accius: quòd in illis vitæ gesta, & hominum mores, habitusq; pro re ipsa effingerent, atque exprimerent. Cuiusmodi carmen illud est Accianum ex Argonautis, in quo pastorem elegantissimè describit, qui primùm nauim, cui nomen Argo, procul aspiciens, illico mirabundus in hunc modum vociferat:

Tanta moles labitur,
Tremebunda ex alto ingenti sonitu & strepitu
Præ se undas volvit, vortices vi suscitat,
Ruit, prolapsa pelagus respergit, profluit:
Ita dum interruptum credas nimbum volvier,
Dum quod sublime ventis expulsum rapier
Saxum aut procellis: sed globos turbines
Existere ictos undis concurrantibus:
Nisi quas terrestres pontus strages conciet.
Aut fortè Triton fuscina vertens specus,
Subter radices penitus undanti in freto
Molem ex profundo saxeum ad cælum eruit

Quod carmẽ non Priscianus modò Grammaticus repetit, sed & Q. Lucilius Balbus in illa celebri disputatione de natura Deorum: etsi alicubi depravatum, atque vniversum legitur. Iam verò & illud Q. Ennij nónne adeo propriè, adeo eruditè factum est de augurio Romanæ vrbis condendæ, vt in media Vrbe versari te credas, Romulumq; ipsum, & Remum

certan

certantes aſpicere de imponendo Vrbis nomine, vt minùs fortè mirum ſit, ſi & Hadrianus Imperator Ennianos Annales ſupra omnia quidem poemata commendauerit. Sed apponamus carmen.

Certantes magna cum cura, tum cupientes
Regni dant operam ſimul auſpicio, augurioq;
In monte Remus auſpicio ſe deuouet, atque ſecundam.
Seruat auẽ ſolus: at Romulus pulcher in alto
Quærit Auẽtino ſeruat genus alta volãtũ,
Certabant Vrbem Romam' ne Roman' ne vocarent.
Omnibus cura viris, vter eſſet Induperator
Expectant: veluti conſul quũ mittere ſignũ
Vult, omnes auidi ſpectant ad carceris oras,
Qui mox emittat pictis è faucibus currus,
Sic expectabat populus atq; ore timebat,
Rebus vtri maius victoria ſit data regni.
Interèa ſol albus receſſit in infera noctu,
Exin cãdida ſe radijs dedit icta fora lux,
Et ſimul ex alto longè pulcherrima præpes,
Læua volauit auis, ſimul aure' exoritur ſol.
Cadunt de cælo quatuor ter corpora ſanctæ
Alituũ ſe præpetibus, pulchriſq; locis dant.
Cõſpicit inde ſibi data Romulus eſſe priora:
Auſpicio regni ſtabilita ſcamna, ſolumq;.

Quos verſus & apud Ciceronem comperies, quũ diuinationis partes proſequitur.

Qua

Quæ ratio fuerit, ne flamines sacerdotes apud Romanos nodum aliquem habere possent in vestibus: & quam libera & aperta esse debet animorum coniunctio inter amicos. CAP. X.

IN his sacris atque cerimonijs, quas flamines sacerdotes apud Romanos dicuntur observasse, & illud à veteribus notatum est: fuisse nefas, vti nodum vllum haberent in apice, in cinctu, aut in vlla alia parte. Qua in re allegoricos intellexerunt pertinere ad virum integra fide, optimisque moribus præditum, nihil dissimulanter, aut subdole agere in Deorum sacris: sed liberè, & aperto examine, ad fidem & veritatem omnia referre. Quod ipsum in amicorum quoque officijs præstandum est, vt à Chæroneo Plutarc. probatur: si modo ij sint tales viri, quorum virtus atque prudentia optimè intelligat, quantum sit amicorum causis atque commodis concedendum: quod & poëta Lucilius docet in carmine ad Albinum, quo virtutis dignitas, officium, atque gratia prudentissimè exponitur. Itaque consuevit Oricellarius noster ita amicos probare, vt in eorum animo iudicium, in iudicio officium reponat: vir vnus, quantum equidem iudicio meo consequi possum, in omnibus vitæ muneribus æstimandis atque cognoscendis summa prudentia atque consilio.

De

Biblioteca de Galicia

De multiplici ac singulari doctrina M. Varronis: & quod idem tamen à Palęmone Grammatico contemptus fuerit, ac iniquissima voce porcus appellatus.

CAP. XI.

DE Varrone Terentio notum est omnibus quantum omnis antiquitas eius studium atque multiplices doctrinas extulerit: vt omnium quidem togatorum doctissimus habitus sit. Cui sententiæ M. Cicero, & Fabius Quintil. calculum adiecerunt. Itaque sic Maurus Terentianus ad Nonatemum:

Vir doctissimus vndecunque Varro.
Qui tam multa legit, vt est autor Augustinus, vt aliquid ei scribere vacasse miremur, tam multa scripsit, quàm multa vix quenquam legere potuisse credamus. Lactantius verò Firmianus, qui & ingenio & eloquentia vir doctissimus meritò habetur, sic de eodem: M. Varro inquit, quo nemo vnquam doctior, neque apud Græcos, neque apud Latinos vixit: in libris diuinarum rerum de hoc egit, quos ad Cæsarem scripsit. Atque hæc quum ita se habeat, quàm improbè obsecro à Rhemnio Palæmone, quàm impudenter atque ineptissimè, factum est, qui eum ipsum M. Varronem omnium disciplinarum parentem ac principem pro imperito homine sectatus est: eumdémque etiam porcum (si dijs placet) appellauit: dignus

gnus eo nomine Palæmon, vt in suile aliquod intruderetur, quò insolentis audaciæ atq; importunissimæ vaniloquentiæ pœnas lueret. De quo & Sueton. Tranq. meminit. Quod ego idcirco apposui, vt quius possit intelligere, quam sint quorundam ingenia contra veritatem obstinata, atque illis plerunque viris infensa, qui & colendi ab omnibus, & propè adorandi sunt pro egregia singulariq; doctrina.

Quid in libris iureconsultorum sint Exconsules, Exquæstores, Exprætecti, & alia eius generis, quodque subagrestia & parũ Latina sunt. CAP. XII.

INuenio apud nostros Iureconsultos, & alios autores hæc vocabula, Exquæstores, Excõsules, Exprætores, & alia eiusdem generis. Nam Symmachus & Boëtius exconsules ferè vocati sunt, atque his veluti descriptionibus eorum nomina honestari solent. Iustinianus quoque Augustus in epistola ad Romanum senatum, Ioannem exquæstorem, & Leontium atque Basilidem expræfectos prætorios appellat. Quibus verbis (quantum equidem possum colligere) eos viros designarunt, qui dignitate ipsa consulatus aut quæstura functi essent. Sic Expatricios, & Expræfectos, quòd absoluto munere, à magistratu vacarent. Zeno autem Imperator scribit ad præfectum prætorium Arcadium, placere suæ dignitati, vt

qui

Biblioteca de Galicia

qui patricij vel expatricij sunt, quique magistri officiorum, aut sacri palatij custodes, vel ordini senatorio sociati fuerint, non possint nisi ab imperatore ipso, aut sacris cognitoribus in ius vocari, aut puniri: simúlque addit, eos viros, qui dignitatibus maioribus functi sunt, minimè oportere omnium iudicio subigi, aut pœnis mulctari. Itaque hi homines Expræfecti, Exquæstores, & Exsenatores in Iustiniani constitutionibus nuncupantur. Apud Varronem verò, & M. Tullium Excuriatos atque Exterminatos legimus pro ijs, qui extra curiam missi sunt, atque extra terminos. Sed hæc honestis autoribus recepta & consecrata sunt: illa parum Latina, & admodum subagrestia videri possunt. Neque enim apud eos comperiuntur, qui Latina oratione usi sunt, sed ex illo, vt opinor, Augustini seculo, in quo ferè Cassiodorus, Apollinaris, Enodius, ac Fulgentius numerantur, qui magis videntur Gallicum aliquid, & peregrinum referre, quàm Romanum, ac probum sermonem. Ipsa enim dicendi elegantia & puritas cum Romano Imperio paulatim amissa est: quod & noster Ioannes Corsius cum Pontano disseruit, vir non minori iudicio, quàm veterum doctrinis excultus.

Bian

Biantis Prienei sentẽtia relata: quo cõsilio ac ratione vti debeamus, in decernendis causis inter amicos vel inimicos.

CAPVT XII.

DE Prieneo Biante complura in Græcorum monumentis traduntur, quæ viri iudicium atque sapientiam singularem probant: sed quod ab ipso relatum est de ijs qui inter alios iudicium faciunt, minimè contemnendum illis est, qui liberali ingenio sunt. Dicebat enim, Malle se inter inimicos quàm inter amicos de re aliqua statuere: Nam ex amicis, inquit, alterum prorsus inimicum habueris: ex inimicis verò alterum amicum. Quocirca melius ac potius censeri debet, amicum sibi adipisci in proferendo iudicio, aut à rebus iudicandis penitus abstinere: nisi ex professo veritas ipsa fidei patrocinetur, cuius causa (vt Academici asserunt) nullæ quidem contentiones aut inimicitiæ refugiendæ sunt.

PETRI

PETRI CRINITI DE HONESTA DISCIPLINA COMMENT.

*

LIBER XI.

Mirificum prodigium de fulmine in natali M. Tullij, ex Annalibus Eutropij, ac de viribus etiam fulminum nonnihil.

CAPVT I.

MInvs *putaui absurdum fore, si eâ in præsens referrem, quæ Romanus autor Eutropius, in historiâ ad Valentem August. prodidit de M. Cicerone, atq; mirifico prodigio, quod obtigerit de virgine Romana, quæ in itinere, cœlesti igne tacta fuerit: vnde tam egregia dicendi dignitas, & absolutum eloquentiæ fastigiũ præscriberetur. Sed apponam Eutropij verba, quò manifestius appareat, quanta sit etiam vis & natura monstrifica fulminum. Bello (inquit) Iugurthino, M. Cicero Arpini nascitur, matre Elbia nomine, patre verò equestris*

stris ordinis, ex regio Volscorũ genere. Eodemq; tempore quædam virgo Romana in Apuliã pergens, ictu fulminis exanimata est: omnibus sine scissura aliqua vestimentis adẽptis, ac pectoris & pedum vinculis dissolutis, monilibus etiam & annulis discussis, illæso corpore nuda iacuit, equusque (inquit) eius pari modo frænis & cingulis peremptus iacuit dissolutis. Hæc satis de prodigio virginis. Neque enim me præterit varia quidẽ, ac penè incredibilia scribi de fulminibus nõ ab Aristotele modò, & alijs Græcis: sed ab Anneo quoque Seneca, & Plinio: nã inter alia, & illud in veterum monumentis traditur, quòd Martia princeps Romanorum, cùm grauida foret, fulmine icta, exanimato puero citra vllum aliud incommodum superuixit.

De officio trib. militũ ex sententia Aureliani Cæs. Imperatoris, & eius epistola adscripta ex Vopisci historia. CAP. II.

CVm gesta Rom. principum nuper legeremus, nulla me pars magis detinuit, quam sicubi militaris disciplinæ præcepta & leges notarentur: quoniam nostra hæc ætas ita bellis assiduis vexatur, vt vniuersam propè Italiam grauiter afficiant. Sed illud in primis Aureliani principis me delectauit, in quo tribunum militum prudenter monet, qua ratione & consilio vti debeat in exercitu regendo, & copijs alendis. Verba ex Aureliani epistola subijciã, quò

quò facilius legentes hæc etiam expendant. Si vis, inquit, tribunus esse, imò si vis viuere, manus militum contine: nemo pullum alienum rapiat: ouem nemo contingat. Vuam nullus auferat, segetem nemo deterat: oleum, sal, lignum nemo exigat: annona sua cõtentus sit. De præda hostis, non de lacrymis prouincialiũ habeat: arma tersa sint, ferramenta samiata, calceamenta fortia: vestis noua, vestem veterem excludat: stipendium in balteo, non in pompa habeat, torquẽ brachialem & annulum apponat: equum saginarium suum defricet, captum animal non vendat, nullum centuriatum comiter curet: alter alteri quasi seruus obsequatur: à medicis gratis curentur, aruspicibus nihil dent, in hospitijs castè se agant: qui litem fecerit, vapulet. Hæc hactenus Aurelianus Cæsi quæ si quis etiam apud autorem proprium requirat, is Flauium Vopiscum adeat, qui de Imperatoribus Romanis scripsit.

De Pythagorica Metamorphosi, & Laberij poëtæ versus apud Tertullianum recogniti, atque expositi. CAP. III.

NOn ab re futurum putaui, si Laberianos versus subtexam ex eius minis. Nam & Florentis Tertulliani locus signabitur, & alia quoq; non insuauia de Pythagora, nec iniucunda subiungemus. In hunc igitur modum de Pythagorica metamorphosi iocatus est Laberius:

Biblioteca de Galicia

Et audio mala multa etiam ex bonis:
Par illud vt nos olim mutant philosophi,
Et nunc de mulo hominẽ, de muliere colubrũ
Faciant: & ex diuersis diuersa alia.

Quos versiculos in commentarijs Nonianis deprehẽdes, quanquã alicubi deprauatos: nam & in Apologetico Tertullianus, quẽ contra gentiles cõposuit, partem ex his elegãter est mutuatus. Age iam, inquit, si quis philosophus affirmarit (vt ait Laberius de sententia Pythagoræ) hominẽ fieri ex mulo, colubrum ex muliere, & in eam opinionem omnia argumenta, & eloquij virtutem detorserit: nónne & sensum mouebit, & fidem infringet? etiam ab animalibus abstinendum propterea persuasum quis habet, ne fortè bubulã de aliquo proauo suo obsonet. Quæ verba satis me commonent Pythagoricæ transmutationis: is enim Pythagoras, non modo Euphorbum, pauonem, Homerum poëtam se fuisse aliquando dictitabat: sed & Pyrandem postea, & mox Callidenam, ac demum præstanti forma meretricem, quæ Alce fuerit appellata. Vnde & nos in poematis olim nostris in hunc modum lusimus:

Adde quòd is leges, legúmque oracula nouit:
Quæ seruãda dedit Samius mysteria vates:
Cur etiam plures variato corpore formas
Prætulit: atque idem famosi nominis Alce,
Moxq; Melætheos aïos, & pectora sumpsit:
Et modo

Biblioteca de Galicia

Et modò gemmantes ales Iunonia pennas
Explicat: et bello fer⁹ induit arma Pyrãdes.

Plotinus quoq; philosophus in libro de suo cuiusq; genio, cùm de animi metamorphosi disserit, in hunc propè modum idipsum prosequitur. Quicunq; (inquit) humanam proprietatem seruarũt, iterum & ipsi homines renascuntur, qui autem ad sensum defecerunt, bruta quidem ac stolida animantia redeunt: sed ita tamen, vt qui & iram adiecerint, fera existant: & pro ipsa inter se differentia dissentiant: qui verò in libidine & voluptatibus vitam egerint, salacia, voluptaria animalia reuertantur. Quòd si nec sensu ipso, nec sensus parte vsi fuerint, hi vtique omnes plantæ resurgant: quoniam in his vel animus tantũ vegetalis fuerit, neque aliud egerint, quàm vt in plantas verterentur. Qui autem musicis modulis affecti, ac deliniti vixerunt, si in cæteris non degenerarint, animalia musica renascuntur: & qui sine ratione ciuitates atque Imperia rexerunt, aquilæ fiunt: nisi & ipsi alia prauitate sint infecti. Nam & qui absque sapientia sublimia improbius tractant, cælumq; suspiciunt, in alites commutantur, ad altiora semper deuolantes: qui virtutem autem ciuilem assecutus est, homo reuertitur: qui minimè adeptus, in inciuile aliquod animal, vt aprum, & in alia eiuscemodi se trãsformat. Hæc Plotinus, de quibus alibi diximus commodius.

Biblioteca de Galicia

De statua Niobes à Praxitele: & ibidem Ausonij poëtæ nobile epigramma ex Græcorum de eadem Niobe ex Pausaniæ commentariis. CAP. IIII.

IN Græcorum poematis varia leguntur de Niobes forma, eiusq; imagine: quam Praxiteles longè pulcherrimam sculpsit: vnde eam quoque poetæ Græci magno studio celebrarunt: cuiusmodi hoc subit:

ἐκ ζωῆς μὲ θεοὶ τεύξαν λίθον, ἐκ δὲ λίθοιο
ζωὴν αὖ πρηξιτέλης ἔμπαλιν εἰργάσατο.

Ausonius verò Gallus egregiè admodũ Latino epigrammate secutus Græcorum suauitatem atq; indolẽ, sic eiusdem statuam expressit:

Viuebam, sum facta silex, quæ deinde polita
Praxitelis manibus, viuo iterum Niobe.
Reddidit artificis manus omnia, sed sine sensu:
Hinc ego cùm læsi, numina non habui.

Quo carmine nihil vtiq; legi potest cultius, limatius, doctius: adeo vt Marullus noster Byzantius vir eleganter doctus, atque in examinandis carminibus grauis censor, apertè affirmârit, nihil se vsquàm legisse, aut etiã audisse elegantius, melius, absolutius. Fuit autẽ Niobe Phoronei filia, & Apis parens, vt in Eusebij Annalibus notatum est: quos magna ex parte ex Tomis Maneti transtulit. De hac cõplura scribuntur apud autorem Pausaniam, qui se

inq

inquit in Sypilo Niobes simulacrum aspexisse, cuius hunc ad modũ species erat, vt propè accedentibus petra abrupta videretur, procul autem cernẽtibus mœsta, & plorãs mulier. Quin & Romæ in templo Sosiani, Apollinis imago Niobes celebrata est cùm liberis mœrentis: sed eam tamen dubitatur Scopas, an Praxiteles fecerit: quod & C. Plinius testatur.

Historia ex C. Plinio de octauia Aug. quæ ex oui augurio in sinu confoti, sexũ futuræ prolis prænotauit, & alia item non inamœna. CAP. V.

Dignũ memoria est, quod à C. Plinio traditur in historia naturali de Liuiæ Augu. studio & cura, ad prænoscendam prolẽ, & filij sexum, quo grauida erat ex Nerone Imperat. Cùm enim in iuuenta esset, & auidissimè cuperet virilem sexum parere, hoc puellari augurio vsa traditur, vti ex eo partum prænotaret: ouũ in sinu fouendum accepit, subinq; illud nutrici datum ad refouendum per vices reddebat, necubi tepor ad alendum fœtum intermitteretur. Neque falso augurio fertur augurata: siquidem Tib. Cæsarem peperit. Illud quoque notandum, quod in veterum annalibus lectum est: Gallinariũ fuisse quendã, cuius nomen adhuc requirimus, qui mirifica arte,

Biblioteca de Galicia

quid ex quoque ouo foret, præuidebat. Quod ipsum à Plinio etiam describitur, etsi minus id credendum videtur, cùm ingenuè idem professus sit, haud in omnibus suam se fidem legenti astringere: sed eam potius ad autores veteres relegat. Nam nec vllum quidem mendacium tam falsum, támque impudens est, sicuti Plato testatur, quin suis quoque autoribus defendatur.

De origine Dei Canopi, ac eiusmodi simulacro: & quo commento ac fraude pro Deo sit habitus.

CAP. VI.

NOtandum & illud est, quod in veterum scriptis reperitur de origine Dei Canopi, & quo videlicet commento Aegyptij sacerdotis ad cultum numénque deuenerit. Ferunt enim quòd ipsi quidem Chaldæi per varias orbis regiones ignem circumuehebant, veluti proprium ac summum numen, quod eo quoque cæteros omneis deos, eorúmque simulacra deuincebant, quæcunque ex auro, ære, argento, eboréque vel alia quauis materia essent: fiebat enim, vt ignis planè superior euaderet. Conuenerant autem populi, vt victa numina victoribus concederent: quò rei veritas cunctis mortalibus de adorãdo numine constaret. Hæc igitur cùm sacerdos Canopi Aegyptius percepisset, dignũ sanè commentum, atque percallidum contra

ignem

Biblioteca de Galicia

ignem excogitauit. Solent in Aegypto vasa quædam fictilia effici, quæ Hydriæ appellantur, crebris vndequaque, ac minimis propè foraminibus patentes: ex quibus cùm aqua decidit, desæcatior atque purior effluit. Sacerdos igitur Aegypti vnam fortè ex his cepit, atque obstructis foraminibus, variisq; coloribus depictam, & aquis plenam, vt idolum constituit, ac super vetere simulacro diligenter collocat, quod esse Menelai gubernatoris ferebatur. Veniunt Chaldæi, circumstant numen, conflictum ineunt, & ignem simulacro admouent: tum verò cera ipsa, qua vasis foramina obstructa erant grassante igne resoluitur, & aqua profluente ignis extinguitur: quò factum est, vt fraude sacerdotis Aegyptij Canopus victor haberetur: vnde simulacrum quoque illius perexiguis pedibus, contracto collo, ac prominente aluco in amphoræ modum formatum est, dorso etiam æqualiter tereti. Hæc de Canopo deo, eiusque origine traduntur, & in Suidæ collectaneis, & in sacra historia Turrantij Rufini leguntur.

Pacuuianum ænigma de testudine, ac versus eiusdem lepidissimi ex Tragœdia allati: tum locus Tertulliani expositus.

CAP. VII.

DIci non potest, quanta sit olim facta iactura, in his maximè apud nos autoribus, qui tragœdias & comœdias scripserunt,

Biblioteca de Galicia

sic vt eorum vix nomina reperiãtur: cum Romani primùm ciues his potißimum fabulis agendis magnopere detinerentur: nos verò ita auidè antiquitatem excutimus, & vestigia illa veterum poetarum requirimus, vt in his etiam libenter commoremur, quæ à nostris Grãmaticis quamlibet intercisa & depranata asseruntur: cuiusmodi ænigma est illud, quod ex Pacuuianis fabulis celebratur his lepidißimis versibus:

Sanguine cassa, domiporta, terrigena traditur,
Quadrupes, tardigrada, agrestis, humilis, aspera,
Capite breui, ceruice anguina, aspectu truci,
Euiscerata, inanima, cum animali sono.

Id ænigma cùm in Pacuuiana fabula paulò obscurius proferatur ab Amphione, respõsum ab Attico est, Non intelligimus, nisi apertè dixeris. Tum ille vnico verbo respõdit, Cochleam esse. Quod ipsum propterea censui apponẽdum, vt ætatis nostræ homines intelligant, quantum illi in nouandis, componẽdúq; vocibus tribuerent, atque indulgerent, cùm domiportam Pacuuius, & tardigradã vocauerit testudinem. Si quis autem inuenire hoc velit, is apud Marcum Ciceronem de diuinatione inquirat; quò facilius locum doctißimi viri Tertulliani intelligat: qui in libro de Pallio, de hoc ipso ænigmate

gmate Pacuuiano nonnihil retulit.

Scita & elegans obseruatio ex lege veteri de re venerea, ac de edictis etiam Semiramiis ab Heliogabalo Imperatore institutis. CAP. VIII.

NOn defuerunt apud veteres, qui & eruditione & ingenio clari, præcepta in literis referrẽt, quibus Amorum delicias, & instrumenta describerent: tum quibus artibus, & quo studio sequi amores debeamus: quoniam & populi quidam celebrantur, apud quos illi multũ acceptiores, atque honestiores, qui sectandis amoribus promptiores, atque acriores haberentur. Sed ego cùm in S. C. inciderim de re venerea, quod olim Romæ (vt fertur) in templo Veneris foret, minus putaui indignum, si in nostris etiam commentarijs legeretur: necubi delicias istiusmodi, & veterum elegantias asseruari videamur, qui ad ipsam præcipuè antiquitatem respicimus. Ad hunc igitur modum sacra lex de re futuaria lecta est:

Iura Visundi, Consectandi, Susurrandi, Gestiundi, Suttrudendi, Salutandi, Confabulandi, Precandi, Perpetuo, Interdiu, Futuarijs permissa ex me sunto. Ex æde, foramine, horto, postico, impluuio, cuncta hæc commoda nemo homini prohibento: Fidem, consilia ferunto: seruanto auxilium: operam ve danto: sub noctu vota tractanto: promissa iuran

iuramenta, lamenta admiſcento: ſolicitanto verecundiam, timorem amouento, triſtitiam ſuppremunto, tẽpori locóve obſecundanto: Occaſioni ne vnquam cedunto, internuntias epiſtolas ſuccudunto: his ſpem, voluntatem, expectationem, neceſſitatem, miſericordiam adlectanto: inſeruntò fraude, vi, dolo: oſtentatione attemperatè vtuntor: prudentiam, taciuitatem habento, tenento, geſtiunto: ex Pathica quicquam ſempiternè quaſi ſtipem & pignus capiunto: eius permiſſum aduehunto, nouam quærunto: acluque pompáve grandianimẽ nobilem inſectator: notas coniectarias rectius nouanto. Hæc hactenus. Nam & ob id referendum hoc fuit: quoniam Varius quoq; Heliogabalus Imperat. Sen. C. quædam ridicula & amatoria vulgauit: quæ matronæ, cui ſe crederent, & ad cuius oſculum venirent: qua veſte, quibúſque ornamentis vterentur. Eáque Sen. conſ. de nomine ſuæ coniugis Semiramia iuſſit appellari: ſicuti Aelius quoque Lampridius teſtatur ad Imperatorem Conſtantinum Auguſtum.

De ſæuitia Macrini Imperatoris: & qua crudelitate in adulteros animaduerteret, tum alia obiter addita.

CAP. IX.

PErmulta in veterum monumentis legun-tur, quæ Macrini Impera. ſæuitiam atque crude-

crudelitatem referant. Is enim inter eos principes meritò ab autoribus reponitur, qui immanes atque sanguinarij sunt habiti. Sed adscribendum est nouum feritatis genus, inuentúmque ab eodem maximæ crudelitatis: vt ex hoc constare possit, quàm esset Macrinus diri animi, atque prodigiosi in supplicijs exhibendis. Cùm igitur duo milites (vt à Capitolino relatum est) ancillæ hospitis pudorem violasse crederentur, atque illud Macrinus Imper. per frumentariũ didicisset, iussit eos in mediũ produci, simulq; interrogauit, vtrum factum hoc esset: quod cũ constitisset, statim geminos boues miræ magnitudinis viuos aperiri iussit, atque his milites singulos inseri, capitibus boũ exectis quò facilius vnà colloqui possent: ita hominis sæuitas nouo quidem supplicio in puniendis adulteris delectabatur. Quin idem quoque Macrinus, ad exemplum Mezentij, viuos homines mortuis alligabat, ac longa tabe confectos infando mortis genere exanimabat, vt eleganter poeta Vergilius expressit de Mezentio,

Mortua quinetiam iungebat corpora viuis,
Cõponens manibusq; manus, atq; oribus ora,
Tormenti genus, & sanie tabóque fluenti
Cõplexu in misero, longa sic morte necabat.

Mitto quòd & milites suos in crucem tulit, & ex quaque seditione decumauit: atque centesimauit, vt non Macrinus vulgò, sed Ma-

cellin

cellinus passim vocaretur.

De nominibus militum, & qui sint Primani, Tertiani, Quintani, & eiusmodi alia apud Corn. Tacitum: & de Quartariis mulionibus apud Lucilium.

CAP. X.

PErmulta & varia sunt in ipso exercitu militum nomina, de quibus passim mentio fit apud autores, sicuti qui ab armis, vel gradu & stipendio denominantur. Sed à legionibus etiam milites quidam vocantur. Nam legiones ipsæ à numero interdum dicebantur. vt Quarta, Sextadecima, & eiuscemodi. Quod inuenio cùm apud alios veteres, tum in historia Corn. Taciti frequens. Is enim Primanos milites, Secundanos, Quintanosque, & Quartadecimanos sæpius refert. Posthumus (inquit) præfectum castrorum secundæ legionis cognitis quartadecimanorum, vigesimanorumq; prosperis rebus, qui à parua gloria legionem suam fraudauerat, seipsum gladio transegit. Et in alio mox libro: Sed ipsis, inquit legionibus inerat diuersitas animorum. Primani, quintanique turbidi, adeò vt quidam saxa in Galbæ imagines iecerint. Idem quoq; autor in duodevigesimo expressius hoc totum explicat. Fortè inter padum viámque, inquit, patenti campo duæ legiones congressæ sunt: pro Vitellio una & vigesima, cui cognomen Rapaci.

veteri

veteri gloria insignis, ex parte Othonis prima Adiutrix: non autem in aciem educta, sed ferox, & noui decoris auida. Primani stratis una & vicesimanorum principijs aquilam abstulére: quo dolore accensa legio, impulit rursus primanos, interfecto Orfidio Benigno legato, & plurima signa, vexillaq; ex hostibus rapuit. A parte alia propulsa quintanorum impetu tertiadecima legio: circumuenti plurium accursu quartadecimani, & ducibus Othonis iampridem profugis, Cecinna ac Valens subsidijs suos firmabant. Hæc Tacitus. Nam & C. Suetonius eodem modo Tertianos, & Decumanos intelligit. Quartuarij verò in satyris Lucilianis muliones mercenarij appellati sunt, qui quartam sibi partem quæstus acciperent: vt Pompeius Sex. in libro de verbis priscis XVII. tradit, allato etiam Luciliano carmine:

Porrò homines nequam, malus vt quartarius, apros
Collegêre omnes.

De Proculo & Regillo Imperatoribus, & quomodo per iocum, Fortuna illudente, Imperij dignitatem adepti sunt.

CAP. XI.

VErum profectò est, quod à philosophis permultis probatur: homines quandoque Fortunam sibi vel confingere ex tempore,

re,

Biblioteca de Galicia

re, vel assumere. Id ego cùm Romanorum Annales legerem, maximè comprobaui: in queis tam varia, tam promiscua, & multiformis Imperatorum fortuna appareat, vt quidam ex loco perhumili ad illud Imperatoris tam sanctum, tam Augustum nomen ascenderint: alij rursus veluti ex ioco, & quasi cauillo desilierint. Sicuti inter alios & Proculus, & Regillus: quorum exempla referenda in præsens putaui, vt iocantis Fortunæ aleam, ac libidinem in conspectu haberemus. De Proculo igitur sic traditum est à bonis autoribus: Cùm in conuiuio, vt fit, latrunculis lusitaret, ac decies Imperator ipse exisset: statim scurra tum quidam, (vt parata sunt ingenia blandientium) Salue, inquit, Auguste: & allata purpura (vt mos erat) eius humeros ornauit, eúmque adorauit. Qua ille occasione vel oblata, vel aperta, vt Imperator vulgò salutatus est: quod apud Græcos retulit autor Onesimus, & apud nos Flauius Vopiscus in libro ad Bassum secundo. De Regillo autem Imperatore haud hercle minus ludicrum principiũ, ac ridiculum fuit, ad Augusti nomen occupandum: cùm ille quæstione de analogia proprij nominis habita! ad Imperium prosiliit. Nam Valerianus tribunus cùm diceret, Vnde Regillianum nomen deductum putamus? A regno, quidam respondit. Quo dicto, milites inibi, vt ad ea quæ cogitant pro-

niores

niores. Potest ergo rex esse, & nos regem facimus: eoq; nomine putarunt illum Imperatoria dignitate honestandum: ac ita demum iocante fortuna Regillus quum die sequenti processisset, Imperator est à principibus salutatus. Neque autem me latet, hunc ipsum Regillum magis inter tyrannos, quàm Imperatores à quibusdam relatum. Sed vtcunque sit, Romani certè Imperatoris nomen obtinuit.

Quid apud veteres significet Sororiare: & quę sint mammæ sororiantes in puellis: ac ibidem expositum, quid Fratriare, & Fraterculare, ex Pompeij commentariis: & Plinij locus emendatus. CAP. XII.

NVnquam videor magis in otio & honestis literis versari, quàm eo tempore quo cum Ioanne Corseo, & Lacetio Nigro de optimis studijs, atque omni antiquitate disseritur: quòd equidem persæpe accidit, quum vtriusq; eruditio multiplex & abundè elegans iure optimo censeri possit. Itaque nuper in hortis Oricellarijs inter alia complura quæsitum est de Sedigito Volcatio deq; eius iudicio, quod ab eo factum est de ingenio & ordine decem Comicorum, qui apud Latinos in pretio habiti sunt: item de poëticis vocabulis, & veterum audacia in verbis inueniendis, excogitandis, atque componendis. Cuiusmodi fuerunt M. Plautus, Cn. Næuius, P. Laberius, q paulo durior, atque

Biblioteca de Galicia

audacior habitus est: M. Cato, Q. Ennius, Fabius Pictor, & alij eiusdem ætatis non ignobiles autores. Qua in re minimè absurdum fuerit hoc loco repetere, quid apud Plautum Sororiare sit, & quò significatu accipiendum. Sororiare igitur perinde est, atque augeri & pocrescere: nam & mammas sororiantes vocarunt in puellis, vt à Sex. Pompeio traditur, quum exuberantes intumescunt: quod illis euenit ex compresso lacte: qua voce vsus est M. Plaut. in comœdia Frivolaria. Quin & Fratriare & Fraterculare in pueris accipimus, vt idē Sext. asserit, quum eorum mammæ intumescere incipiunt: quoniam veluti pares fraterculi oriuntur. Quod ipsum & in frumento spica dicitur facere, cum virentia grana protuberant. Politianus verò mammas sororientes apud Plinium legebat libro xxx. quo loco rigentes mammas habent cæteri codices: sed in vetustioribus sororiantes comperies. Piscinæ maris, inquit, mammas sororiantes, præcordia, maciémque corporis corrigunt. De hoc à Politiano relatum est & in secunda Centuria: sed eius commentarij magna ex parte ab his retinentur, atque occultantur, qui meliores literas & antiquitatem impudentissimè contemnunt.

Incredendum esse quod à C. Plinio scriptum est de C. Mecœnate, quòd insomnis per triennium fuerit, ac de his etiam, qui som

somniantes inambulare consueuerint.

CAP. XIII.

QVod à Plinio Secundo relatum est de C. Mecœnate, id equidem nescio risúne dignum magis sit, an admiratione: siquidem supra omnium fidem atque opinionem videri potest. Tradit enim C. Mecœnatem eo affectu, seu morbo intentum fuisse, vti ante obitum neutiquam illi somnus contigerit vllo trienny momento. Quod hercle si vitæ hominum ratio pro re ipsa expenditur ἀδύνατον existimari ab omnibus debet: nisi rerum fortè prodigia atque portenta prosequamur: cum sit hominis imprudentis, (vt idem Plin. inquit) fidem suam illis adstringere, quæ naturæ præscriptum penitus excedunt. De Theone autem Stoico, eiúsque somnijs, & illud mirificum à quibusdam existimatur, (vt Græci autores commemorant) quod is dormiens passim ambulare consueuit. Quo morbo & periclis seruus laborauit, adeo vt in summis etiam tectis somnians perambularet. Itaque philosophi ipsi, qui Pyrrhonis decreta secuti sunt, in dubitatione summa versantur, An sit in omnibus vitæ officijs magis hærendum, quàm pro certo quicquam asserendum: vnum hoc se scire profitentes, quòd nihil penitus sciant. Qua in re non minus suam modestiam, (vt inquit Augustinus) quàm ineptam insciti am arguunt.

Biblioteca de Galicia

PETRI CRINITI DE HONESTA DISCIPLINA COMMENT.

*

LIBER XII.

Qualis doctrina Platonis fuerit, & quo modo inter Pythagoram, & Socratem medius feratur, ex Numenij Pythagorici sententia. CAP. I.

EGREGIE *Numenius Pythagoricus, ac eruditè iudicium fecit de Platone philosopho: quo pacto videlicet eius viri excellens doctrina inter Pythagoram ipsum ac Socratem media extiterit, sic vt vtriusque genium facilè in eodem agnoscas: cum communi iure vtrunque non modò coluerit, sed etiam scribendo magnoperè expresserit. Verba Numenij hæc sunt: Plato, inquit, certè Pythagoricus fuit: sed huc tamen & illuc liberè trahitur, ac per singula*

singula æque membra inter Pythagoram, & Socratem medius fertur. Nam sublimitatem illam Pythagoræ, ad maiorem quidem humanitatem deduxit: humile verò illud, ac deiectum Socratis, ad grauitatem & magnitudinem reduxit, atque ita Plato Pythagora quidem popularior, & communior: Socrate verò grauior & sublimior est. Hæc Numenius de Platone in libro de dissensione Academicorũ, quæ vel ipse Panphilus Eusebius recenset ad Theodorum Episcopum, quo maximè loco de philosophorum decretis disserit.

Quibus viribus polleant septem planetæ in hominum corpore, ex Arabum libris: ac de XII. signis, eorumq; potestate, ex veterum sententiis. CAP. II.

IN monimentis Arabum, qui Astronomica diligenter tractarunt, non pauca interdũ comperiuntur, quæ non minorem certè eruditionem, quàm gratiam & venustatem retineant. Cuiusmodi hoc est, quod ab illis traditur de septem planetis, eorúmque viribus, tum in qua maximè humani corporis parte polleant. Nam quum ipsi homines (vt res est) de cælo vitam & spiritum trahant, fateri etiam necesse est, sphæras illas superiores, siue elementa, viribus adeo summis excellere, vt in quibusdam corporis partibus, veluti suis domicilijs maiorem omnino vim atque potestatem exer-

Biblioteca de Galicia

ceant. Sed apponam eorum traditiones, ex quibus totum ferè hominum corpus ad illa septem elementa deferri ac deduci videatur, & primò asserunt per Solis imaginem hominum vitam significari ex quo in ipso etiam Sole cerebrum & corda regi affirmant: linguam verò & os à Mercurio, splenem à Saturno, hepar ab Ioue, sanguinem à Marte, renes & genitale semen à Venere stomachum à Luna. Sed & singulis quoque signis, quo in zodiaco ipso motu perpeti mouentur, astronomiæ autores suas humani corporis partes dederunt: sicuti ex Græcis permulti, & ex nostris Iulius firmicus, qui ad Apotelesmata inquit maximè pertinere, si cubi valetudinis locum, aut vitij volueris inuenire. Ita enim referuntur ad ipsum signiferum Caput in Ariete, Cervix in Tauro, Humeri in geminis, Cor in Cancro, Pectus & stomachus in leone, Venter in Virgine, Renes vertebræq; in libra, Genitalia in Scorpione, Femora in Sagittario, Geniculæ in Capricorno, Tibiæ in Aquario, pedes in Piscibus. Mallius verò poëta hæc eadem ad Augustum Cæsarem his versibus,

Signa hæc (inquit) præcipuas in toto corpore vires
Exercent: Aries caput est ante omnia princeps:
Sortitur quoque sensus, & pulcherrima colla
Taurus

Taurus : & in Geminis æquali brachia sorte
Scribuntur connexa humeris : pectúsque locatum
Sub Cancro est : laterum regnum, scapulæq; Leonis:
Virginis in propriam descendunt ilia sortem:
Libra regit clunes: & Scorpius inguine gaudet:
Centauro femora accedunt : Capricornus vtrisque
Imperat in genibus: crurũ fundẽtis Aquari
Arbitrium est : Piscésque pedum sibi iura reposcunt.

Egregiè factum & ingenti animo à Petro Caponio Florentino cum Carolo rege Gallorum in concerpendis tabulis coram eodem rege: quum iniquiores contra Rempub. viderentur. CAP. III.

Factũ est anno superiore, vt Carolus Gallorum rex cum magno exercitu, & instructis copijs, Italiæ regionem inuaderet : idque eo animo & conditione, vt expulsis Neapolitanis regibus facilius regno potiretur. Sed antequàm expeditionem obiret, Florentinorum vrbem veluti victor ingressus est : ac mutato Reipublic. statu ab vniuerso populo & Ciuibus, tanquam libertatis vindex benignè

Biblioteca de Galicia

salutatus, ac magnificè exceptus est. Dein verò cùm in vrbe ageret cum magna copiarum parte, ac in dies cunctando expeditionem produceret, quò Florentino populo quamlibet conditionem imperaret: adeunt fortè Carolum Gallorum Regem ciues aliquot ex autoritate summi magistratus, vt cum eo fœdus componant, conditionésque pro tempore & fortuna accipiãt. Atq; in his fortè Petrus Caponius fuit, qui cum regem Gallorum nimis videret insolescentem, ac fortunæ blandientis illecebris captum, vtpote qui pro libidine Florentinis conditionem imponeret: cumq; eam (vt fit) scriptis capitibus iniquiorem firmaret, inibi Petrus Caponius Regem fortè aspicit, ac tabulas legit, lectasq; (vt vir ingentis animi) in oculis tanti regis percerpsit: ac simul ijsdem reiectis, Et nos, inquit, ad militem nostrum: ac relicto ibidem rege, ad curiam pergit. Quod & ipsum Carolus rex (quamuis victoria elatus, & xx. millia militum in castris haberet) admiratus eiusq; animum vt altiora molientem veritus, ex itinere iubet eum reuocari, quò meliori conditione statum Florentinæ ciuitatis componeret. Dignum certè facinus, ac memorandum, contra insolentiam Gallicam: quæ ridendo fidem frangit, & victis illudit. Idem Caponius paulò mox in frequenti senatu, comitijs approbantibus. Imperator creatus est ad bellum

lium Pisanum: quæ vrbs à populo Florentino in eiusdem regis aduentu defciuerat: sed inter bellica instrumenta dum maiore animo, quàm fortuna versatur, glande ictus ab hostibus, occubuit.

Quot in Romano exercitu legiones forent, ex historia Polybij viri diligentis: ac de centuriis& cohortibus nonnihil.

CAP. IIII.

VAriè traditũ est à veteribus de Romano exercitu, & eius numero: tum quot equites in eo ac pedites adessent: quod ego, vt rei veritas agnoscatur, ex historia Polibij viri diligentis referendum putaui. Is enim copiosè hoc totum in libro Annalium tertio explicat in hunc modum: vt mittantur ea omnia hoc loco, quæ à Liuio in Romana historia describuntur, Romani, inquit, quatuor omnino legionibus exercitum absoluunt: legiones autem singulæ quaternis millibus peditũ constant, & ducentenis equitibus: vel sicubi maior necessitas vrget, quinis millibus peditum, equitibus trecentenis. His totidem, inquit, milites ex socijs adijciuntur: equites ferè triplicati. Neque tamen seruatum id est semper à viris Romanis: quoniam & bello quidem Punico decretum fuit, vt octo tantum legionibus rem gererent, ac legiones singulæ vt quinque millia hominum haberent. Quin & ipse M. Cicero in

Biblioteca de Galicia

libro de Stoicorum decretis, quæ παράδοξα appellat. Multi, inquit, ex te audierunt, quum diceres neminem esse diuitem, nisi qui exercitum alere posset suis fructibus: quod populo Romano ex tantis vectigalibus iampridem vix potest contingere. Hoc igitur proposito nunquã eris dives, antequàm ex tuis possessionibus tantum reficiatur, vt extueri quatuor legiones, & magna equitum ac peditum auxilia possis. Neque illud ignoratur, quòd & singuli quidem Consules binas tantum legiones contra hostes ducebant, auxilijs sociorũ adiectis: quod ipsum à probis autoribus assertum est. Cincius autem in commentarijs de re militari hæc de Legionibus retulit: In legione, inquit, sunt Centuriæ LX. *Manipuli* XXX. *Cohortes* X. *Quod & Gellius quoque vir Romanus in Atticis probat.*

De ingenti animo Iulij Cæsaris quum ad Pontem Rubiconis accessit, & edictum adscriptum, quod in ponte fluminis legebatur. CAPVT V.

Frequens mentio fit in sermonibus hominum, quanta C. Cæsar audacia & animo fuerit, quum contra omnem S. P. Q. R. autoritatem fluuium Rubiconem cum exercitu transiret, atque ad Vrbem accederet. Id ego quum passim legerem, putaui non fore vsquequaque indignum, si edictum istud Romanæ Reipubl.

ad

ad Rubiconem, quod in ponte legebatur, subijcerem, ita enim facilius ferociam illam Cæsaris, & animi magnitudinem intelligemus, qui tantum moliri facinus fuerit ausus: etsi paulum dicitur tamen constitisse, ac de reditu cogitasse, cùm quātū aggrederetur ex animo reputaret. Est autem hoc sicuti ex peruetustis monimentis compertum est, in quo illa Romani Imperij maiestas facilè demonstratur:

Iussu mandatóve Populi Rom. consul, imperator, tribune, miles, tyro, commilito, armate, quisquis es, manipularie, centurio, turmarie, legionarie, hic sistito: vexillū sinito, arma depono: nec citra hunc amnem Rubiconem signa, arma, exercitum, commeatúmve traducito. Si quis huiusce iussionis ergò aduersus præcepta ierit, fecerítve: adiudicatus esto hostis Popul. Rom. ac si contra patriam arma tulerit: penatésque è sacris penetralibus asportauerit.

De peris & manticis, eorúmque nominibus: ac de Pasceolo: & Saeciperiis apud Plautum: inibiq; de Hippoperiis apud Anneum Senecam.

CAP. VI.

CVm varia sint nomina sæculorum & mānticarum, quæ passim apud poëtas, cæterósque autores veteres legantur: eáque interdum legentium mentem propter raritatem ac ni-

miam

miam vetustatem detineam: non sum arbitratus alienum esse ab operis nostri instituto, si ea omnia in hunc locum de manticis & peris subijciam, quæ nunc memoriam subeant. Sunt enim hæc, Loculi, Marsupia, Mantica, Calathus & Calathiscus per diminutionem, qui Latinè Qualus, & Quasillus: Pera item, Culleus, Ascopa, Situla, Ascopera, & Sacciperium: sed & Fisci, Fiscinæ, & Fiscellæ Sportula, Crumenæ, & Velleiæ. His annumierantur Scortea, Hippoperæ. Pasceolũ & Bulga. De Pasceolo autẽ, quia id rarius est, M. Plautius meminit in comædia Rudente his verbis:

Nummi, inquit, octingenti aurei in marsupio inferunt.

Præterea centum denaria Philippea in pasceolo seorsus.

Idem quoque de Sacciperio

Quænam balnea (inquit) meum vorauit vidulum

Aurũ atq; argentũ, vbi omne cõpactũ fuit?

Eadem illa credo, quæ meum marsupium,

Quod plenum argenti fuit in sacciperio.

De Hippoperis facta est mentio in epistolis Annei Senecæ, quum de M. Catonis frugalitate disserit. M. Cato Censorius, inquit, quem tam necessarium fuit Reipub. nasci, quàm Scipionem: alter enim cum hostibus nostris bellum, alter cum moribus gessit, cantherio vehebatur,

Biblioteca de Galicia

batur, hippoperis quidem impositis, vt secum vtilia portaret. De Velleijs autem & Fiscinis adhunc modum Asconius Pedianus super secunda Ciceronis oratione in Verrem, Sportæ, inquit, sportulæ, sportellæ nummûm sunt receptacula: & Sacci, succuli, saccelli, & crumenæ, & velleiæ, & scortæ, & manticæ, & marsupia: ita etiam fisci, fiscinæ, fiscellæ, spartea sunt vtensilia ad maioris summæ pecunias capiendas.

De romanis spectaculis, & ludis apparatissimis Probi Imperatotis quum de Germanis triumpharet, ex historia Flauij Vopisci. CAP. VII

TEnent me interdum quæ à veteribus traduntur de Romanis spectaculis, scenicisq;, ac varijs ludis: in quibus celebrandis videntur adeo fuisse quidam Imperatores procliues, vt in hoc propemodum constitisse appareat totius victoriæ laus ac dignitas: quoniam ferè ad triumphales victorias illustrandas spectacula ista & ludicra parabantur. Sed libitum mihi est, ea hoc loco referre, quæ in triumpho Probi Augusti Imperatoris Romano populo exhibita sunt: quum ex eo abundè possit intelligi, in quibus voluptatibus, ac deliciis Romanus populus esset occupatus, sicubi Romani Imperatores pro rebus bene egestis solenniter triumphassent. Probus autem Imperator,

Biblioteca de Galicia

rator, quum de Germanis, Blemÿs, ac Drungis triumphaturus esset, venationem amplissimam Romæ in Circo exhibuit, ita vt Romanus populus omnia passim diriperet. Sed adscribam verba Flauij Vopisci, quibus hoc totum, nec ineleganter prosequitur: Genus, inquit, spectaculi eiusmodi fuit in triumpho Probi imperatoris: Arbores valide per milites cum radicibus vulsæ connexis latè longéque trabibus affixæ sunt: terra dein superiecta, totusq; Circus ad Syluæ speciem consitus, gratiam nobis viroris obtulit. Immissi deinde per omnes aditus struthiones mille, mille cerui, mille apri mille damæ: Libycæ omnes, feræ, & cætera herbatica animalia, quanta vel ali potuerunt, vel inueniri. Immissi deinde populares, rapuit quisque quod volebat. Sequenti die adiecit in amphitheatro vna missione centum iubatos leones, qui rugitibus suis tonitrua excitabant: qui omnes contis & sibinis interempti sunt, & mox occisi. Præterea multi sunt, qui dirigere volebant sagittas, & immissi centum leopardi Libyci, centum deinde Syriacæ, centum damæ, & vrsi simul trecenti. Atque item sunt edita gladiatorum paria CCC. Blemÿs plerisque pugnantibus, qui per triumphum erant ducti: cum Germanis, Sarmatis, ac multis latronibus Sauris. Hæc hactenus de Probi Imperatoris triumpho,

pho, quando nec defuerunt apud veteres, qui de ludis scenicis, ac istiusmodi spectaculis libros integros componerent: quod alibi explicaui, quum agerem de Iunio Messala, qui vniuersum quidem patrimonium in edendis, spectandisq; ludicris dicitur consumpsisse.

De veteri Germanorum Repub. & eorum moribus, institutis, ac legibus: tam in militia, quàm in religione, non contemnenda obseruatio. CAP. VIII.

NIhil inuenio in veterum Commentarijs vtilius, & ad vitæ vsum commodius, quàm leges, ac varios ritus ciuitatum obseruare: morésque & consuetudines multorum populorum perdiscere: quò maior prudentia, & cognitio fiat honestior. Ex quo quum libros nuper legerem, qui de Germanis, eorúmque moribus differunt: non putaui fore indignum, aut à præscripto nostri operis alienum, si de multis quædam colligerem, atque ad vsum memoriæ subijcerem, cuiusmodi hæc sunt, quæ ad Reipub. imperium, militarémque disciplinam & religionem Germanorum pertinerent.

Publica omnia & priuata armati agunt.

Reges quidem ex nobilitate probant, duces verò ex virtute.

De rebus maioribus principes consultant. de minoribus omnes.

Nullum

Biblioteca de Galicia

Nullum mortalium à proprijs laribus arcent : quòd aliquem arcere maximè inhumanum sit.

Sera iuuenum Venus, & fœminæ ipsæ in robusta iam ætate nubunt.

Vxores autem singuli habent singulas.

Neque dotem marito uxor, sed uxori maritus affert.

Iam & in militari disciplina plurimum commendantur : quũ egregiè talia obseruent.

Principes enim pro victoria pugnant : & comites cæteri pro principe.

Idem ignominiosum ducunt, scuta in prælijs relinquere.

Ex familijs & propinquitatibus conficiunt turmas.

Fœminasq; interdum in exercitu habent, quæ inclinatam quandoque aciem feruntur restituisse.

Ad negotia ferè omnia, & ad conuiuia armati procedunt.

In cultu verò deorum, fidem, pietatem, ac religionẽ mirificè obseruant. Nam de dijs eorúmque actis sanctius ac reuerentius dicunt credere, quàm scire. Vnde illud frequens apud eos, de deo credendum, non quærendum.

Deorum imagines minimè ad humanam formam faciunt, quòd illa cælestis maiestas supra humanitatem sit.

Nefas

Biblioteca de Galicia

Nefas putãt vt ignominiosi adsint in sacris.

Talia ferè sunt quæ de Germanorum moribus ab antiquis scriptoribus referuntur: sicuti à Tacito, Plinio, et alijs: qui præter alia multa, & hoc de Germanis asserũt, Plus valere apud eos bonos mores, quàm apud alios bonas leges.

Vrbanè factum à Claudio Imperatore, de scypho surrepto à T. Iunio in conuiuio: ac res ibidem explicata. CAP. IX.

LEpidè factum ac perurbanè traditur à Claudio imperatore cũ T. Iunio viro prætorio in conuiuio celebri: in quod cùm plures (vt fit) primæ nobilitatis conuenissent, ac singulis vasa Corinthia, vel Myrrhina (vt par est) apponerentur, quò nihil ad elegantiam posset desiderari: inibi T. Iunius, qui & prætor, & legionis præpositus fuit, sumpta occasione aureum scyphum egregij operis suffuratus est. Quod cùm in ratione colligenda Imperator Claudius deprehenderet, pereleganti commento hominis furtum putauit detegendum. Parato enim mox alio conuiuio, idem accersiuntur, qui ad Imperatoris dapes pridie conuenerant: & cùm singulis vasa eadem gemmea & pretiosa in mensa reponerentur, vni duntaxat T. Iunio Samijs ac fictilibus ministratum est. Quod & Suetonius, suppresso Iunij nomine, scribit: ex quo deinceps probo seruili respersus est, quasi scy-

Biblioteca de Galicia

phum aureum in principis conuiuio surripuisset: vt est autor Cor. Tacitus. Sed is tamen Iunius in Galliæ Narbonensis proconsulatu seuerè admodum atque integrè prouinciam rexit, quod apud autores relatum est.

Iudicium factum ab Hadriano Imperatore de Ægyptiis populis, eorumq; moribus: ac ibidē epistola perelegans Phlegontis Tralliani, ac de eius operibus nonnihil. CAP. X.

NOn putaui absurdum fore, nec ingratum legentibus, si Phlegontis Tralliani epistolam de Aegyptijs, eorúmque moribus subijciam, qui libertus Hadriani Cæs. fuit: quoniam in ea de Iudæis etiam, atque Christianis, & vrbe Alexandria nonnulla refert digna prorsus memoria. Neque autem me latet hanc ipsam epistolam sub Hadriani principis nomine missam fuisse Romam Seruiano viro maximo, & qui ter consul fuerit, sicuti Flauius Vopiscus tradit, in libro ad Bassum secundo: Hadrianus (inquit) August. Seruiano Cons. Sal. Aegyptum, quam mihi laudabas Seruiane, totam didici leuem, pendulam, & ad omnia famæ momenta volitantem: & illi qui Serapim colunt, Christiani sunt: & deuoti sunt Serapi, qui se Christi episcopos dicunt. Nemo illic archisynagogus

Iudæor

Biblioteca de Galicia

Iudæorum, nemo Samarites, nemo Christianorum, non presbyter, non mathematicus, non auspex, non aliptes. Ipse ille patriarcha cum Aegyptum venerit, ab alijs Serapidem adorare, ab alijs cogitur Christum: Genus hominum seditiosissimum, vanissimum, iniuriosissimum. Ciuitas opulenta, diues, fœcunda, in quæ nemo viuat otiosus: alij vitrum conflant, ab alijs charta conficitur, omnes certè Lymphiones cuiusque artis videntur: & habent podagrosi quod agant, habent cæci quod agant, nec Chiragrici quidem apud eos otiosi viuunt: vnus illis Deus est, hunc Christiani, hunc Iudæi, hunc omnes gentes venerantur: & vtinam melius esset morata ciuitas, digna profectò sui profunditate, quæ pro sui magnitudine totius Aegypti teneat principatũ. Huic ego cuncta concessi, vetera priuilegia reddidi, noua sic addidi, vt præsenti gratias agerent. Deniq; vt primum discessi, & in filium meum Verum multa dixerunt, & de Antonio, quæ dixerunt, comperisse te credo. Nihil illis opto, nisi vt suis pullis alantur, quos quemadmodum fœcundant, pudet dicere. Calices tibi albos, fortes, diuersi coloris transmissi, quos mihi sacerdos templi obtulit, tibi & sorori meæ specialiter dedicatos, quos tu velim festis diebus conuiuijs adhibeas: caueas tamen, ne his Africanus noster indulgenter vtatur. Vale. Hæc

Biblioteca de Galicia

de Aegyptijs Hadrianus, ex quo sic Vopiscus in vita Saturnini Augusti: Sunt, inquit, Aegyptij ventosi, furibundi, iniurioſi, nouarum rerum auidi, & vsque ad cantilenas publicas liberi. Fuit autem Phlegon Hadriani principis à secretis, ac libros permultos composuit, sicuti in Suidæ collectaneis legitur. Itaque non pauci etiam fuerunt, qui opera quædam Hadriani in hunc ipsum Phlegontem retulerunt. Nam Hadrianus idem tam cupidus famæ fuit, & laudis, vt libros à se scriptos de sua vita, libertis suis literatis dederit, qui eos suis nominibus publicarent: quod cùm alij multi, tum Aelius Spartianus tradidit ad Imperatorem Diocletianum.

Dictum elegans Phauorini philosophi de Hadriano Imperato. ac itidem simile quiddam Asinij Pollionis cum Octauio Augusto. CAP. XI.

NOn pauca in veterum monimentis reperiuntur, quæ Phauorini Philosophi & ingenium, & optimas disciplinas probent. Is enim vt Hadriani tempore Græca facundia præstitit, ac Romanam quoque eruditionem egregiè calluit. Sed in præsens dictum eius admodum elegans apponam, in quo facilè Atticam astutiam, atque artem cognoscas. Nam cum Aelius Hadrianus Imperat.

cum

Biblioteca de Galicia

cum Phauorino (vt fit) de literis ageret, atque illum in vocabuli vsurpatione liberius reprehenderet, amicis id arguentibus, quòd iniquius Hadriano de verbo huiusmodi concederet: quo idonei autores vterentur: subridens Phauorinus, Et malè, inquit, mihi suadetis familiares: qui non illum me doctiorem haberi ab omnibus æquo animo feratis, qui XXX. legionibus imperet. In hunc modum nimia Imperat. Hadriani ambitio, famæq; cupiditas deluſa eſt. Pari exemplo & Pollio Aſinius, cum Feſcenninos in eum Octauius Auguſtus ſcriberet: At, ego, inquit, taceo: non enim facile eſt in eum ſcribere, qui poteſt proſcribere. Quod in cœnis etiam Macrobianis Auienus aſſeruit.

Verba Hieronymi expoſita de Hiſmenia, contra quorundam inſcitiam, atque ineptias. Tum de Antigenide, & Hiſmenia tibicinibus nonnihil additum.

CAPVT XII.

RIſi nuper quorundam inſcitiam, cùm fortè Hieronymi apologia aliquot audientibus legeretur contra Turrantium Rufinum: tum eo maximè loco deprehenſa eſt eorum ignoratio, cùm de erroribus LXX. agit in his verbis: Et quòd nunc Dabreiamin interpretatus ſum: idcirco feci, vt inextricabiles moras, & ſyluam nominum, quæ ſcri-

Biblioteca de Galicia

ptorum vitio confusa sunt, sensuum quæ barbariem apertius per versuum cola dirigerem: mihimetipsi, & meis iuxta Hismeniam canens, si aures surdæ sint cæterorum. Quæ verba in eodem Hieronymo leges in præfatione. Paralipomenon ad Chromatium. Sed quo loco ait, Iuxta Hismeniam: quidam fluuium intelligi dixerunt, alij montem, alij philosophum nescio quem, vt nihil ineptius, aut diei absurdius possit: cùm sit accipiendum Iuxta Hismeniam, hoc loco, ex eius Hismeniæ tibicinis dicto, quo seipsum sibimet canere asserebat: ita enim sensus procedit, & dicti gratia. Quam rem videtur mihi Hieronymus à Græcis autoribus, vt alia multa, mutuatus: qui de ipso Hismenia referunt solitum sæpe dicere, sibÿpsi canendum esse. Fuit enim Hismenias tibicen peritissimus Antigenidis discipulus: de quo etiam Boëthius in musicis, Hismenias, inquit, Thebanus Bœotiorum pluribus quos Ischiaticus morbus vexabat, modulis cunctas fertur abstersisse molestias. Neque illud ignoramus, quòd hoc ipsum quidam retulerint ad Antigenidem: quoniam is discipulo suo diceret, Mihi cane & Musis. Ex quo sic M. Cicero in libro de claris oratoribus: Tibicen, inquit, Antigenides discipulo suo vergenti ad populum, Mihi cane, inquit, & Musis. Ipse autem Antigenides (vt

est aut

est autor L. Apuleius in oratione ad Seuerianum proconsulem) omnis voculæ egregius modulator fuit, & omnimodis peritus modificator: seu tu velles Æolium simplex, seu Asium varium: seu Lydium querulum, seu Phrygium religiosum, seu Dorium bellicosum. Mitto nũc ea de Hismenia quæ apud Græcos leguntur, quando & Plinius nobilem hunc facit, tradendo fulgentibus gemmis uti solitum: sic ut ea ostentatione musicæ artes magis censerentur: Quod & Nicomachus, & Dionysiodorus pari studio factitarunt.

Deos æuiternos, & æuintegros à poëta Ennio appellari, & Apuleij verba apposita de diis æuiternis. CAP. XIII.

AEuiternos deos appellauit Q. Ennius ea ratione, quòd in sempiterno æuo maiestatem diuinam retineant: itaque maximum Iouem principem & æuiternum vocat, sicuti à Grammaticis nostris adnotatum est L. quoque Apuleius cùm de nomine ac potestate deorum disputat, Aeuiternos dicit his verbis: Hos, inquit, deos in sublimi ætheris vertice locatos, ab humana contagione procul discretos, plurimi, sed non ritè, venerantur: omnes, sed insciтè, metuunt: pauci, sed impiè, diffitentur. Quos deos Plato existimat veros, incor-

Biblioteca de Galicia

porales, animales, neque sine vllo exordio, sed prorsus ac retro æuiternos: à corporis contagione sua quidem natura remotos, ingenio ad summam beatitudinem porrecto: nullius extrarij boni participatione, sed ex bono & ad omnia competentia prono nutu, facili, simplici, libero, & absoluto. Seruius autem Grammaticus & Aeuintegros deos refert ab eodem Ennio appellatos, quod integra eorum ætas atque perfecta consistat. In antiquis verò elogijs Aeuiternum genium legimus: sic enim Romæ in tabula marmorea descriptum est:

D. POT. ET GEN. AEVI. D.

Quod interpretari ad hunc modum possumus: Dijs potentibus & genio æuiterno dicatum. Sed & Plinius secũdus de æuiterno Deo meminit: in cuius sacris furuum bouem immolari mos fuit, quod à Ver. Flacco notatum est.

*

PET.

Biblioteca de Galicia

PETRI CRINITI DE HONESTA DISCIPLINA COMMENT.

LIBER XIII.

Pulcherrima descriptio de naturę ordine ac potestate, ex Bardesane Syrio: ac Pacuuij carmen allatum de re consimili.

CAP. I.

PERMVLTA *passim apud philosophiæ autores legũtur de viribus atque potestatè naturæ, cuius prouidentia factum sit, vt elementa itidem ipsa suis quasi numeris oriantur, concrescant, & obeant: quòd omnia æquè animantia simili lege ad ortum & obitum perducantur. Quam rem mirifica quidem elegantia & eruditione videtur mihi in primis Bardesanes Syrius descripsisse, quẽ Pamphilus Eusebius in disciplinis cœlestibus omniũ Chaldæorum doctissimum appellat. Sed libitum est eius verba subijcere, quibus apertè cognosci*

Biblioteca de Galicia

possit, & eiusdem autoris eruditio, & naturæ ipsius, atque mortalium vitæ elegantissima descriptio: cùm inter ipsa bruta animantia, & homines mirificam certè differentiam asseratisic enim tradit: Homo nascitur, alitur, crescit, comedit, bibit, dormit, senescit, moritur: quæ omnia ipsi cum cæteris animantibus, æqua ratione communia sunt. Sed bruta quidem & stolida animalia (quæ Græci ἄλογα vocant) cùm procreata sunt, natura ipsa, non ratione feruntur. Leo carnes comest, ac si quis iniuriam inferat, strenuè pro salute pugnat. Oues autem fœnum esitant, carnes neutiquam attingunt, neque se ab iniuria defendunt. Scorpius terræ glebis depascitur, & aculeo virulento nec iniuriantes inuadit. Formica duce natura futuram hyemem præuidet, ob idque summo labore ipsa æstate alimenta sibi ad vitam recondit. Apes ipsæ mel conficiunt, eodemq; nutriuntur. Plura eadémque magis miranda possum narrare, sed hæc satis arbitror, ex quibus intelligamus bruta ipsa, & rationis expertia, ferri natura, ac secundum eam iucundè viuere. Soli autem homines cum & natura (vt dictum est) ducantur, mentem simul ac rationem, quæ inde oritur, præcipuum veluti munus adepti sunt. Etenim non vnus quidem hominibus cibus, sed varius ac diuersus: alij vt leones nutriuntur, alij sicuti oues: neque itidem vnus

omni

Biblioteca de Galicia

omnibus vestitus, non mos, non lex, non vnus viuendi modus, non simplex rerum cupido: sed hominum singuli vitam sibi pro voto deligunt, neque vicinos, nisi quantum libuit, imitantur. Hæc hactenus Bardesanes. M. autem Pacuuius vir in scribendis fabulis excellens, vim ac potestatem naturæ in Chrysippo egregiè admodum conscripsit: cuius merito eueniat, vt orta omnia, quod inquit Sallustius, occidant, & aucta senescant. Pacuuij versus hi sunt:

Quicquid est hoc omnia animat, format, alit,
Auget, creat, sepelit, recipitq; in sese omnia:
Omniumq; idem est pater, in idémque eadem
Quæ erunt de integro, atque eodem occidunt.

De malo ciuilium dissensionum, & imagine Discordiæ, elegantissimis versibus à Petronio Arbitro descripta.

CAPVT II.

CVm nuper legerem Petronij Arbitri carmen de bello inter Cæsarem & Pompeiũ, mirificè me talis descriptio tenuit: sed in ea maximè parte sum delectatus, qua Discordiæ imaginem graphicè & eruditè expressit. Quod ego adnotandum putaui: siquidem nihil in quaque ciuitate calamitosius atque pestilentius est seditione ciuili, & intestinis factionibus. Sicuti nostra quoque ætas abundè intelligit, qua superuescentibus passim Italiæ fluctibus, ac discor-

diis

dijs, Galliæ reges illam inuadentes peßimè affecerunt: sed apponam carmen Petronij,

Intremuêre tubæ, ac scisso Discordia crine
Extulit ad superos stygiũ caput: huius in ore
Concretus sanguis, contusaq; lumina flebant:
Stabant irati scabra rubigine dentes:
Tabo lingua fluens, obsessa draconibus ora:
Atque inter toto laceratam pectore vestem
Sanguinea tremulam quatiebat lampada dextra.

Ex his constare potest, quàm sit diligenter & assiduè laborandum, vt istiusmodi seditiones atque discordias effugere possimus: quoniam id à Catone ciuitatis venenum verissimè est appellatum: sicuti & M. Agrippa asseruit, qui multum se debere Sallustianæ sententiæ professus est, quo loco egregiè ac prudenter inquit, Concordia paruæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur.

Romanotum lex de Diis colendis, ac probandis per S.P.Q.R. ac de Christo etiam, & quantum Tibe. Imperator illi concesserit. CAP. III.

NVper habita mentio est de Tiberio Imperatore, & Christi miraculis: quæsitúmque à viris doctioribus, an Cæsar Augustus quicquam de eo comperisset, qui tot miranda penèq; incredibilia in Aegypto ac Syria Palæstina effecisset. Qua in re tametsi nen pauca

vltrò

Biblioteca de Galicia

ultro citróque pro tempore habita sunt ad id pertinentia: nullus tamen ex veteribus copiosius hoc explicat, quàm Florens Tertullianus: cui equidem propter antiquitatem, & egregiam eruditionem, non dixerim quantum concedam, ac deferam. Is apertè probat, relatum fuisse Tiberio principi per Pontium Pilatum de Christi diuinitate, qui tũ apud Syrios præsectus agebat: quod etiam in Taciti historia notatum est. Quin & ipsum refert Cæsarem Tertullianus (quod est magis mirandum) detulisse hoc ad senatum, cum prærogatiua, vt inquit, sui suffragij. Senatus verò Romanus, quòd eam rem minus probaret, neglexit. Cæsar insententia perstitit, periculúmque & pœnam his comminatus est, qui temerè Christianos accusarent. Hæc, inquam, à Tertulliano in eo potissimùm libro referuntur, qui Apologeticus contra Gentiles inscribitur. Neque autem mirum est, si S.P.Q.R. Imperatori Tiberio hac in re non paruit: quoniam de nouis dijs recipiendis, atque expellendis, Senatus ipse qua polleret autoritate decernebat, sicuti Romanæ leges ac decreta statuerunt. Nam & in Pontificum libris ita seruatum est:

Separatim nemo sit habens deos nouos, siue aduenas:
Nisi publicè ascitos priuatim colunto.
Dinos qui cœlestes semper habiti, colunto,

Const

Constructa à patribus delubra habento.
Ex his autẽ facilè colligitur: haud permissum cuiquam in Vrbe, Deos sibi alios assumere, præterquam quos S.P.Q.R. voluisset, ex quo dictũ meritò est ab eodem Tertulliano, vetus decretum Romæ fuisse, Ne quis Deus ab Imperatore posset consecrari, nisi à Senatu etiam probaretur. Eusebius autem Pamphilus in sacra historia hæc eadem asserit: mutuatus ferè (vt alia multa) à Tertulliano: quem legum, decretorumque Romanorum peritissimum vocat.

De nimia feritate Saporis regis contra Roma. Imper. Aurelianum: ac de Tamburlano etiam principe simile exemplũ contra Bayssetrum Turcarum Imperatorem.

CAP. IIII.

QVi res gestas Imperatorum apud veteres literis commendarunt, de Sapore Persarum rege inter alia vnum hoc animi insolentis & imperiosi exemplum referunt, de quo mihi agendum putaui. Is enim Sapor cum in bello contra Senatum P. Q. R. Imperat. Aurelianum cepisset, cum maxima quidem ignominia eum hominem captiuum detinebat, qui totius ferè orbis terrarum Imperator fuisset: sic vt assensurus equum rex Sapor, curuatos Aureliani humeros pedibus premeret, ac deinde equum regeret. Qua animi elatione & insolentia

Biblioteca de Galicia

solentia nihil propè immodestius, aut insolentius dici potest: cũ & rex Belsolus, Odenatúsque, & Valenus, alíq; cõplures præclari principes ad repetendum Rom. Impera. Aurelianum insurgerent contra Saporem. Sed & Tãburlanus, qui multò post Imperator maximus apud Scythas præstitit, non minore quidem sæuitia & animi feritate fuit, quod alibi à me commodius relatum est. Is enim Tamburlanus Bayssetum Turcarum principem cum in bello cepisset, per omnes sanè expeditiones, quas egit complures, catenis deuinctum in exercitu circumagebat: quò tam diro exemplo talis crudelitas magis magísque populis innotesceret.

De L. Metello viro clarissimo: & quòd tota vita decem præcipua pro voto sit cõsecutus: ac de Crasso etiã Mutiano, eiusq; insignibus. CAP. V.

EGregiè factum est, ac pro Romana dignitate à L. Metello, qui decem se præcipua & maxima in tota vita consequi summo ambitu desiderauit: eaq; (vt traditur) abunde pro voto sibi parauit. Sunt autem hæc, quæ vir maximo animo & consilio concupierit: vt ex his apertè intelligatur, quàm vel à tenera ætate virtutum signa in hominum ingeniis præluceant. Voluisse enim ferunt prima:

Biblioteca de Galicia

primarium se bellatorem esse, optimum oratorem, fortissimum Imperatorem, auspicio suo maximas res geri, maximo honore vti, summa sapientia esse, summum senatorum haberi, pecuniam magnam bono modo inuenire, multos liberos relinquere, & se clarissimum in ciuitate esse. Atque hæc quidem (vt dixi) consecutus traditur, sicuti Q. Metellus scripsit in oratione de laudibus patris, & C. Plinius in historia naturali recensuit. Siquidem non modò Quindecimuir fuit agris dandis, sed Pontifex bis Cons. Dictator, & Magister equitũ, etiãq; à popu. Roma. curru donatus, quo in curiam veheretur. Quod ipsum alibi à nobis copiosè relatum est. P. verò Crassus Mutianus, vir strenuus, atque clariss. quinque maxima, & præcipua dicitur habuisse, vt Asellio Sempronius in Romana historia retulit: quòd esset quidem ditissimus, nobilissimus, eloquentissimus, Iurisconsultissimus: quòd etiam Pontifex max. Quam rem & in Gellianis noctibus comperies.

Diligens adnotatio de generibus telorum, ac nominibus, & quæ cuiusque gẽtis sunt: tum de lancea, & cæstris nonnihil.

CAP. VI.

NOn defuerunt apud veteres, qui de re militari cùm scriberent, Telorum quoque genera, & gladiorum referrent: sed ea tamen min

Biblioteca de Galicia

minus aptè, & commodè distinxerunt. Quod ego nuper in quorundam obseruationibus cognoui, qui veterum autoritate decepti, paulò imprudentius in eundem sunt errorem delapsi. Qua in re vt ad liquidum veritas pernoscatur, telorum genera, & iaculorum afferemus, quibúsque nominibus apud suos populos censeantur: ne quis diligentiam in nobis, maiorémque præterea curam desyderet. Sunt igitur hæc quæ apud probos autores iaculorum vocabula comperies, Spari, Cateiæ, Frameæ, Caliæ, Rumigesti, Mesanculæ, Sibini, Gessa, Veruta, Aclydes, Romphea, Lanceæ, Pila, Sarissæ. Nam & Scibones quoque, & Tragulas, & Telones, Hastas, Sudes, Phalaricas, Issos, Faces, Semiphalaricas, Castra, Solliferrea, & Scorpios leges. Propria verò populorum hæc sunt, vt doctiores ferè consentiunt, Frameæ Germanorum, gessa Gallorum: romphea Thracum, lancea Hispanorum, Pila [illegible] norum, Issi Boiorum, Sarissæ Macedonum: vnde Sarissophoros milites, qui cum Alexandro Macedone decertarunt, frequens apud autores inuenias. Sibini verò Illyricorum sunt. Quòd autem lanceam dixerim esse Hispanicum, secutus sum M. Varronem, & Gellium: nam Varro ipse in libris rerum diuinarum lanceam asseruit non Latinum quidem, sed Hispanicum esse verbum, etsi Pomp. Festus (qui Verrij Flacci commen-

Biblioteca de Galicia

tarios in breuiarium contraxit) Græcum esse hoc scribat: quòd apud eos λόγχη pro hasta capiatur: ac λογχίτης satelles sit. Vnde ridiculus error vulgi è sacra historia emersit: Longinum temerè credentis pro lancea, cùm verba in Ioannis Euangelio ad hunc modum legantur, ἀλλὰ εἷς τῶν στρατιωτῶν λόγχῃ αὐτοῦ τὴν πλευρὰν ἔνυξε. Cæstron verò apud Græcos teli genus, quod in bello Persico inuentum fuerit, sicuti Suidæ collectanea probant. Quidam ex nostris Viriculum Latinè vocarunt. Sibinam quoque inter ipsa tela relatam Sext. Pompeius libro XIX. de verbis priscis testatur. Sibina, inquit, apud Illyricos telum dicitur, venabuli simile. de quo & Q. Ennius in Romanorum Annalibus meminit:

Illyrici restant, sicis, sibinis fodientes.

De anatomica disciplina, & historia de Aristomene Messenio, qui hirsuto corde fuerit: ac ibidem relata quædam ex veteribus de humano corde. CAP. VII.

VIdere est apud eos autores, qui libros Anatomicos ediderunt, miranda quædam, & quasi incredenda describi de humani corporis partibus. Qua in re putamus magna ex parte fidem illis adhibendam: quandoquidem curiosa veterum sedulitas, nihil prope intactum, vel inconsideratum reliquit, in quo non se demitteret. Illud autem inter alia me nuper

Biblioteca de Galicia

per tenuit, quòd in quibusdam hominibus traditum sit, cùm eorum cadauera dissecarentur, hirsutum cor fuisse inuentum: veluti & in corde bouis equorúmque ossa etiam comperta. Inter alios verò Leonidum Spartanum, & Aristomenem Messenium nominauit C. Plinius, & Max. Valerius, eósque animo & fortitudine fuisse insignes, atque præclarissimos asserunt. Etenim Aristomenes quidem (vt in veterum historijs traditur) trecentos Lacedæmones occidit cumq; idem conuulneratus foret, & captus latomiarum pœnam & angustias per cuniculos & cauernas euasit: sequutus videlicet subterraneos aditus. Iterum captus, custodibus somno sopitis ad ignem accessit, & lora cum corpore exussit. Cum tertiò caperetur, Lacedæmones eiusdem pectus dissecuerunt, quò hominem quoque introspicere possent, inuentúmque est hirsuto corde fuisse Aristomenem. De perdicibus autem, quòd in Paphlagonia bina corda habeant, autores sunt, philosophus Theophrastus, Plinius & Gellius sicuti etiam vulgatum illud in extispicijs: Cor ipsum aliquando haud in victimis inuentum: quod ipsum C. Cæsari sacrificanti non semel dicitur accidisse. Quibus autem corrigendum sit, bruta illa, & stolida animantia existimantur, quibus prægrande, timidiora & pauida: quibus parua audacia, & animosa:

Biblioteca de Galicia

quod & C. Plinius ex Aristotelis libris, vt alia multa, recenset: quo loco de anatomice disserit.

Quomodo Diocletianus Cæsa. Imperij dignitatem cõtempserit: & quibus verbis apud Popu. Romanum deprecatus sit.

CAP. VIII.

DIgnum sanè exemplum de Imperio Diocletiani Aug. in veterum commentarijs reperitur. Is enim Diocletianus Romæ Imperator factus, diu imperium cum Herculeo Cæsare tenuit: quò factum est, vt cum in senium vergeret, relicta imperandi cura, priuati hominis personam delegerit, quasi parum foret idoneus ad imperium Rom. Popu. moderandum. Quod equidem propterea existimaui referendum, vt etiam quiuis intelligat, quàm maximè interdum fallantur homines, qui ea summo ambitu conquirant, & immoderata libidine expetant, quæ fugienda prorsus, ac deuitanda prudentiorum iudicio censentur: Nam hic idem Imperator Diocletianus, vbi se Imperio abdicauit, Salonas concessit. Dalmatiæ vrbem, in qua natus esset: cúmque ibidem priuatus in villa iuxta Salonas ageret, ac molliter pro ætate præclaro in otio conquiesceret, rogatus plurimum est à Senatu P. Q. R. ad Imperium recipiendum: sed is talem dignitatem æquè ac maximam pestem recusauit, atque

in hunc

Biblioteca de Galicia

in hunc etiam modum rescripsit: Vtinam Romani possetis holera vivere nostris manibus Salonis instituta, profectò enim nunquam istud tentandum iudicaretis. Ex quibus haud dubiè colligitur, quanti sit habenda ratio vitæ quietioris, præsertim in ætate iam affecta. Nam idem quoque Diocletianus cum priuatus viueret, prudenter atque egregiè de imperio dixit, Nihil esse in rebus humanis difficilius, quàm bene imperare. Quod & Flauius Vopiscus in commentarijs ad Bassum scribit.

Dissentire C. Plinium ab antiquis scriptoribus de vrsis Numidicis: & quod in Lybia & Numidia celebrentur: ex Solino, Herodoto, & aliis. CAPVT IX.

SEruatum est, & in Rom. annalibus relatum, vrsos quidem Numidicos in circo Romano ab Aedilibus editos, M. Pisone, & M. Messala Coss. qua in re C. Plinius mirari seplurimum refert, quòd etiam Numidicos additum sit: cùm in ipsa, vt inquit, Aphrica minime vrsi gignantur. Ego etsi à Plinij autoritate non censeam penitus dissidendum, quoniam is quidem in veterum monumentis perquirendis, pensandisq; diligentior cæteris, & accuratior videri solet: non tamen prætermittam, quò minus ea de vrsis Numidicis adscribam, quæ cum publica Annalium autoritate conueniant. Siquidem Iulius Solinus in Poly-

Biblioteca de Galicia

historе (ita enim liber inscribitur) de vrsis Numidicis hæc tradit: Numidici vrsi formæ, inquit, cæteris præstant, rabie duntaxat, & villis profundioribus. Quod haud dubie probat & in ipsa pariter Numidia vrsos procreari. Verba autem ex Romanis Annalibus hæc sunt quæ Solinus etiam (vt alia permulta) ex libris Plinianis transtulit: M. Pisone, & M. Messala Coss. ad XIIII. Calend. Octobris. L. Domitius Aenobarbus curulis ædilis vrsos Numidicos centum & totidem venatores Aethiopas in circo Romano dedit: quod spectaculum inter memorabiles titulos annotatur. Herodotus quoque Halicarnassæus idem sensit de vrsis Lybicis: vt poëtas nostros mittamus, qui apertè probant, fuisse Numidicos vrsos maximè celebres: nam & Numidas, & Lybicos passim appellitant, cuiusmodi illud:

Profuit ergo nihil misero: quòd comminus vrsos
Figebat Numidas albanæ nudus arenæ.

Aliud,

Quòd fræno Libyci domantur vrsi.

De figuris & effigie elementorum, ex Pythagorica doctrina, apud Philosophum Platonem. CAP. X.

PRo comperto iam omnibus est, Platonis quidem philosophiam magna ex parte è sacris illis ac mysteriis Pythagoræ proueniſſe: quando

Biblioteca de Galicia

quando & ipse Plato pleraque non aliter sensit, ac Pythagoras: quod ipsum alicubi ingenuè professus est, vt homo ad veritatem natus: eiusmodi etiam placita hæc, atque decreta sum de mundi primordijs, eorúmque habitu & figuris. Asserit enim Pythagoras, quíque eum secuti sunt, Terræ elementum cubi, seu quadrati effigiem præferre: Ignem verò Pyramidis: Aquam formæ esse octangulæ: vniuersum autem duodecim angulorum effigie. In qua sententia & Plato ipse fuit qui in Timæo copiosè hoc totum percensuit. Quod ergo vel ob id obseruandum putaui, vt istiusmodi etiam opiniones memoriæ commendarem. Sedenim Pythagoras in hunc modum ait, sicuti & Claudius Galenus repetit, quo loco de philosophorum placitis, atque sententijs disputat. Pythagoras, inquit, ἐν μὲν τῷ τῆς γῆς στοιχείῳ τὸν κύβον φησὶν, ἐν δὲ τῇ πυραμίδι τὸ πῦρ, ἐν δὲ τῷ ὀκταέδρῳ τὸ ὕδωρ, ἐν δὲ τῷ δωδεκαέδρῳ τὸν τοῦ παντὸς σφαῖραν. *Quod & Ioannes Zezes diligenti studio prosequutus est: vir (vt apparet) in omni antiquitate maximè diligens.*

Quid in Romana Theologia fuerint Deus Sentinus, & Deus Vitunus: ac de Diis etiam selectis nonnulla ex Varronis & Augustini commentarijs. CAP. XI.

Libros XVI. *scripsit M. Varro de Romanorum Theologia, in quibus cùm varia*

Biblioteca de Galicia

deorum nomina, atque rationes collegisset, in tam diuerso, támque multiplici deorum numero, Vitumum, & Sentinum enumerauit: eósque appellari sic asseruit (vt est autor Augustinus) quòd alter vitam, alter sensum à puerperio largiatur. Itaque hos Deos Augustinus obscurissimos appellat: & ij tamen, inquit, multò plus præstant, cùm sint ignobilissimi, quàm illi tot proceres, electi dij. Nam nihil dici potius atque præclarius potest in omni officio mortalium, quàm viuendi, ac sentiendi munere ampliari. quocirca Viuificatorem, ac Sensificatorem nominat. Quòd autem Selecti dij ab Augustino nuncupantur, sciendum est, hos omnes à Varrone explicatos vno volumine, ob eamq; rationem sic appellatos, quòd ampliorem potestatem ac dignitatem possideant: seu quòd apud ipsos populos celebriores alijs forent, maioribusq; honoribus colerentur. Quapropter à veteribus Dij selecti nobilissimi habiti sunt supra cæteros Deos. Ab Augustino bis deni enumerantur ex traditionibus M. Varronis XII. mares, VIII. fœminæ: hoc est, Ianus, Iuppiter, Saturnus, Genius, Mercurius, Apollo, Mars, Vulcanus, Neptunus, Sol, Orcus, Liber pater, Tellus, Ceres, Lucina, Iuno, Diana, Minerua, Venus, Vesta. Sed hæc de Dijs alibi explicauimus, dicatis huic operi voluminibus.

Quàm

Quàm sit grauissimum crimen, nimia in homine insolentia: quòd & pro comitiali morbo habeatur atq; execretur à philosophis. CAPVT XII.

QVantum præstitit Prienensis Bias consilio atque sapientia in omnibus vitæ officijs notum est his omnibus, qui antiquitatis studio, atque disciplinis delectantur: cùm ab ipso etiam Apolline propter egregiam singularemque illius sapientiam tripode aureo donatus tradatur. Is igitur inter cætera hominum vitia & delicta, fastum præcipuè ac insolentiam odio maximo habuit: nihil existimans iniquius, aut scelestius in rebus humanis fieri, quàm elatione animi, immodicáque arrogantia vti. Quocirca modestè, inquit, & ciuiliter in vitæ officijs agendum esse: ita enim gratia & studium paratur apud omnes: fastus autem & insolentia damnum atque odium affert. Sed & Zeno ille Citieus, cuius verecundia præcipuè commendatur, monere homines consueuit, vt nihil prorsus fastu & insolentia indignius atque fœdius existimarent: idque cùm in omnibus, tum in iuuenibus maximè: quòd eorum ingenia sine vlla ratione impudentissimè insolescant, eóque nomine in furorem atque insaniam facilè rapiantur. De qua re cùm copiosè atque eleganter Picus Mirandula mecum disseruisset haud alienum

Biblioteca de Galicia

existimaui ab instituto nostræ professionis aliquid, ceu mnemosynon, mihi ipsi adnotare. Est enim hac in re habenda semper in memoria Heraclitii Ephesij sententia, qui ex ipsa scribendi obscuritate Scotinos est appellatus: is namque fastum dicebat, atque animi elationem, perinde atque sacrum morbum, seu comitialem habendum, atque existimandum.

PET

PETRI CRINITI DE HONESTA DISCIPLINA COMMENT.

*

LIBER XIIII.

Quàm probis moribus & egregia doctrina Plutarchus præstitit ac ibidem epistola eiusdem adscripta ad Vlpium Traianum Augustum. CAP. I.

COMPLVRA *sunt in Græcorum Commentarijs, quæ Chæronensis Plutarchi mores, atque ingenium declarent: quanta videlicet modestia & probitate omnes disciplinas, atque optima studia percoluerit: etsi opera ab eo composita, elucubrataq; vigiliæ, hoc totum etiam comprobent iuxta illud, Qualis oratio, talis vita. Nam cùm Vlpij Traiani Augusti præceptor fuerit, ac eiusdem ingenium bonis disciplinis instruxerit, suum esse officium existimauit, non minus honestis studijs, quàm proprio vitæ exemplo eum optimè erudire, qui meritò consensu omnium totius orbis terrarum imperator dici deberet: neque modò Imper.at*

Biblioteca de Galicia

Imperator, sed optimus Imperator: quod in nummis adhuc veteribus vulgò perspicitur, in quibus idem Traianus titulo quasi peculiari optimus censetur. Sed libuit epistolam philosophi Plutarchi subijcere ad eundem Traianum descriptam, quod facilius iudicari possit, quanta animi libertate ad optima quæque consequẽda adhortetur, & moneat: quasi iam tum tanti animi indolẽ, ac virtutẽ prænotaret. Plutarchus Traiano Aug. Salutem, Modestiã tuam noueram non appetere principatũ: quem tamen optimis moribus semper mereri studuisti. Itaque tantò dignior hoc iudicaris, quantò à crimine ambitionis abesse longius existimaris: quo nomine tuæ virtuti gratulor, & fortunæ meæ, si eum rectè gesseris, quem probè meruisti: alioqui te periculis & me detrahentiũ linguis subiectum non dubito: cùm & ignauiã Imperatorum Roma non ferat, & sermo publicus delicta discipulorum refundere soleat in præceptores. Sic Seneca Neronis sui culpa detrahentium verbis incessitur, adolescentum suorum temeritas in Quintilianum refunditur, & Socrates in pupillum suum clementior fuisse culpatur. Tu verò quocunque velis, aut cupias, rectissimè geres, si non à teipso recesseris, si primùm te, animumq; tuum composueris, si omnia ad virtutem disposueris, rectè tibi vniuersa processerint. Ciuitatis constitutiones, morumq;

vires

Biblioteca de Galicia

vires tibi descripsi: quibus si, vt par est, obtemperaueris, Plutarchũ viuendi habebis autorem: alioqui præsentem epistolam testem inuoco, quòd in perniciem quidem Romani Imperij nõ pergis autore Plutarcho. Hæc hactenus, quæ ab autore in libro de Imperatoria institutione referuntur.

Sacricommissum, & impiecommissum quomodo inter se differant, ex Pontificum legibus: & quid hæc verba significẽt.

CAP. II.

APpositè mehercle, & eruditè seruata est à veteribus Romanis proprietas quædam & potestas in exponẽdis vocibus: adeò vt quò antiquiores aliquid scripserunt, eò id videatur absolutius, doctius, ac syncerius. Sicuti quod nuper in iure Pontificum Rom. legimus: quo loco impiecommissum & Sacricommissum differre inter se asserunt: nam committere impiè is dicitur, qui tamen purgari potest: ille autem Sacricommissi arguebatur, qui nullo pacto aut tempore posset expiari, Versus ex tabulis illis Pontificum hi sunt:

Sacricommissum est, quod nunquam expiari poterit:

Impiecommissum est, quod expiari poterit.

Qua in re peregregiè mihi videntur considerasse, alterum ad vitæ modestiam pertinere, alterum ad religionem & Deos. Itaque M.

etiam

Biblioteca de Galicia

etiam Cicero ius Pontificum accuratè doctus, Hoc inquit, postremum vel aspersione aquæ, vel dierum numero tollitur: animi labes neque diuturnitate vanescere, nec manibus vllis elui potest.

De obitu Dæmonum, ac memoranda historia de Panis interitu Tib. Cæs. Imperante: tum de Christo etiam nonnihil considerandum. CAP. III.

Librum fecit Chæroneus Plutarchus hoc titulo: Quòd oracula veterum defecerint. vir iudicio & Græca eloquentia summus. In eo autem Dæmones quoque ipsos fuisse mortales affirmat exemplumq; adycit de Panis memorando interitu, quẽ accidisse inquit Tib. Cæsare imperante. Quod ego prætermissem, vt commentitium & fabulosum, nisi me Plutarchi grauitas, & in rebus decernendis iudicium commoueret: sed eius verba subscribam, ex quibus, apertè hoc totum de Panis interitu cõstare possit. De morte, inquit, dæmonum audiui equidẽ à rhetore Aemiliano, viro & prudẽte ac modesto, quẽ multos vestrûm cognouisse arbitror: quòd cùm eius pater Italiam adnauigaret, circa insulas, quas appellant Echinadas, & ventis deficientibus propè Paxas deuenisset: cúmque omnes ferè, qui simul nauigabant, attentiores euigilarent, repentè à Paxis insula vox magna est exaudita, qua Thamus quidã vocab

Biblioteca de Galicia

vocabatur: quæ vox rei nouitate magno admodum terrore cunctos perculit. Thamus enim ille, qui vocabatur, homo erat Aegyptius, eiusdémque nauis gubernator. Ex quo semel atque iterũ vocatus, nihil respondit: tertio autem morem vocãti gessit, atque illi respondit: Ille verò multò maiori voce exclamauit. Cùm fueris propter paludem, nuntia tunc Pana magnum esse mortuum. Quo audito dicebat Epiterses (ita enim Aemiliani pater vocabatur) omnes magno terrore fuisse affectos. Cúmque magnopere dubitarent, an eiusmodi voci foret obtemperandum, Thanni gubernatoris consilium hoc à cæteris probatum est, vt si venti pro voto spirarent, nihil prorsus dicendum: sin autem contrà accideret, ac flatus eo loco deficerent, proloquendum esse quod audierunt. Cùm igitur paludem attigissent, neque tum venti spirarent, Thamus ipse in æquor pronus clara voce exclamauit, quæ audierat: Magnus Pan mortuus est. Quo nuntiato, statim magnus multorum gemitus quodam quasi miraculo exauditus est: quoniámque haud pauci fuerant, qui simul nauigabant, cùm facili cursu Romam venissent, tantæ rei rumores vniuersam quidem ciuitatẽ replerunt. Tib. autẽ Cæsar, qui Romanæ tum Reipublicæ imperiũ gerebat, Thamum accersiuit, eique tam certam fidem habuit, vt conuocatis philosophis, qui in Vrbe erant, diligenter

genter quæsitum sit, quisnam ille Pan esset: ipsi verò philosophi pari consensu dixerunt, de illo quidem nuntiatum videri, qui à Mercurio & Penelope originem duxerit. hactenus Plutarchus. Quæ vel Pamphilus Eusebius ad episcopum Theodorum recenset: idémque ait, dignum esse diligenti animaduersione: eodem tempore fuisse hunc dæmonis obitum, quo & Christus, quem pro summo Deo Christiani colunt, omnes quidem dæmones de hominum vita expulit, atque deiecit. Tiberio enim imperante Christus vixit, & pro salute mortalium in crucem elatus est. Sed hoc totum commodius in sacris Theorematis explicauimus.

Galieni Imperatoris impudenter dicta contra Romanã rempublicam, & quo animo fuerit in acceptis cladibus atque defectionibus. CAP. IIII.

CVm legerem nuper Roman. Annales, in quibus Imperatorum historia scribitur, apertè cognoui, quãto in discrimine Romana dignitas sæpissimè ageretur, his præsertim temporibus, quibus ipsi principes libidinibus, ac voluptatibus dediti, nihil præterea pensi habebant de Imperio Romano & eius maiestate. Itaque mirandum non est, si quando tam summa dignitas ad hastam etiam deuenit, ac vicissim instar mancipij venditioni exposita est: vt is Imperium orbis possideret, qui plus auri militib

militibus obtuliſſet. Illud autem fœdius, atque dammoſius, quòd quidam Imperatores de acceptis cladibus, ac prouinciarũ defectionibus, impudentiſſimè iocati ſunt: cuiuſmodi fuerunt illa, quæ Galieno imperante contigerunt. Is enim tam perditæ fuit licentiæ, atque improbitatis, vt contra Romanum decus, propriámque dignitatem, in his iocari non dubitaret, quæ in humanũ generis dãnum extarent: ſicuti ab antiquis ſcriptoribus aſſeritur. Nam cùm Galieno relatum eſſet, Aegyptum à Romano Imperio deſciuiſſe: ita illudens, inquit: Quid? ſine lino Aegyptio eſſe non poſſumus? Perdita autem Gallia, riſiſſe fertur: Et nõ eſt, inquit, tanta reſpublica ſine trabeatis ſagis? Cùm verò Aſiam vaſtatam, & Alemannorum cõcurſionibus, Scytharumq; inuaſionibus cõperiſſet: Quid, inquit, ſine aphronitis eſſe non poſſumus? Sed iſtiuſmodi plura alia & fœdiora de Galieno Imperatore à Pollione Trebellio ſcribuntur ad Conſtantinum Imperatorem.

Probro fuiſſe apud Romanos, vt equites, ac pedites in cœlibatu eſſent: tum leges allatæ contra cœlibatum: & quid item Moſes & Plato ſtatuerint. CAP. V.

EGregiè ac prudenter à veteribus factum eſt, qui cùm [illegible] inſtituta & leges volebant à ſuis ciuibus perdiſcere nimirum videlicet ignarirerum, & vitæ, rationiſque expertes haberi

A poſſent

Biblioteca de Galicia

possent. Nam quid esse hominibus melius, ac potius debet, quam ex aliorum inuentis, atque constitutionibus prudentiam augere, & insciti-am prorsus expellere? Ex quo illud nuper obseruandum putaui, quod in XII. relatum esset contra eos ciues, qui in cælibatu persisterent. Erat enim Censorum officium, ne Romæ equites ac pedites cælibes forent: hoc ipsum veluti probrum habitum est. Versus autem ex antiquis legibus subiciam, quò facilius id tum innotescat.

Censores equitum, peditum prolem distribunto:
Cælibes esse prohibunto:
Mores populi regunto:
Probrum in Senatu ne relinquunto.

Ex his constat, qua diligentia & studio seruatum sit à S.P.Q.R. vt eorum soboles concresceret. Valerius autem Maximus Camillum, & Postbumium Censores tradit fecisse eos ærarios, qui ad senectutem cælibes peruenerant. Cumq; aliqui talem constitutionem incusarent, puniti sunt à Censoribus, hæc asserentibus: Natura vobis quemadmodum nascendi, ita gignendi legem præscribit: parentésque vos alendo nepotum nutriendorum debito (si quis est pudor) alligauerunt. [illegible] Sed & Moses hoc idem constituit, qui diuinas leges

leges, quasiq; oracula quædam Hebræis tradidit. Plato verò in omni vitæ officio consultissimus, ita in legibus statuit: Vxorem quisque à XXX. anno vsque ad XXXVI. ducat: quòd si non faxit, pecunia & probro mulctetur. [redacted] Hinc factum existimo, vt in Romana ciuitate leges trigeminæ, & aliæ passim latæ sint, ad vsum procreandæ sobolis, de quibus apud veteres permulta leguntur.

De Cœnatariis cœnis, ac verba Tertulliani exposita: tum de lege Fannia, & milliariis apris & columnis. CAP. VI.

TErtulliani verba sunt in Apologetico contra Gentiles, quo loco de Rom. legibus agit. Quonam illæ leges abierunt, sumptum & ambitionem comprimentes, quæ centum æra non amplius in cœnam scribi iubebant, nec amplius quàm vnam inferri galli-

Biblioteca de Galicia

nam, & eam non saginatam? In his autem sumptuarias leges insinuat, quibus cautum erat, ne supra C.H.S. in conuiuijs quisquã Romanus expenderet. Sed erit puto minus indigũ si verba Fanniæ legis referemus: cum præsertim de re ipsa non Gellius tantũ, sed Sammonicus, & Macrobius aliquid tradant: vt omittam in præsens quæ de Licinia, Aemiliáq; legibus dicantur: satis enim futurum est gratis si de Fannia quæ legerim aperiam quibusque verbis cibaria sumptus, ac vanitas Romanorum luxus inhiberetur. Ludijs (inquit) Romanis, Plebeis, & Saturnalibus, & quibusdam diebus cæra centena in dies singulos impendunto: & aliis diebus x. in Kalendis mensibus trigena sunto: cæteris diebus omnibus tantundem: siquis plus faxit, dicta pœna damnatus esto. Hinc Tertullianus Romanorum libidinem & ambitionẽ in conuiuijs, tam vrgẽter accusat, cænasq; illas veterũ parciores appellat centenarias. Video enim (inquit) & centenarias cænas, à centenis iam sestertijs dictas. Nam & Lucilius poëta amarulentus Cẽtussem in satyris legem eandem lepidè vocauit. Permultis autem legibus cænas illas profusiores, & adipales Romani coërcuerunt: quod in veterum commentarijs abundè explicatur. C. certè Plinius cùm de nimio sumptu Romanorum in extruendis ædificijs scribit, ad hunc modum

modum Roma. Popu. improbitatem inceſsit: Extant, inquit, cẽſoriæ leges, glandia in cœnis, gliresq; & alia minora apponi vetantes: marmora inuehi, & maria huius rei cauſa tranſiri, quæ vetaret lex nulla lata eſt. Iam & in veterum ædificijs columnæ, & porticus cẽtenariæ ſunt appellatæ, quæ centum paſsibus longæ eſſent: ſicuti & milliariæ porticus apud Suetonium, & alios autores, à numero millenario dicuntur. Varro autem Terentius ad Q. Plinium de villaticis paſtionibus, milliarios apros vrbanè appellat, qui mille pondo crederentur. Aelius verò Lampridius Antoninum Heliogabalũ Imperatorem centenaria vaſa refert habuiſſe argentea: id eſt, vt conjcio, centum põdo. verba eius hæc ſunt, Primus Heliogabalus menſas deinde & capſas argenteas habuit. Primus etiam cacabos, vaſa deinde centenaria argentea ſculpta, & nonnulla ſchematibus libidinoſiſsimis inquinata.

De vrbanitate M. Antonij cum Græcis, & quo commento Athenienſium blandimentis illuſerit, ac digna talione repreſſerit. CAP. VII.

VRbanè factum eſt, atque admodũ callidè à M. Antonio, cùm Athenienſium vrbem victor ingrederetur. Nã cùm ipſe Antonius ob res egregiè geſtas, pro Deo Libero haberi ſe vellet, atque id nomen ſtatuis etiam,

Biblioteca de Galicia

velut insigne elogium, adscriberetur: Athenie sis populus, vt qui ingenio & salibus præstaret, statim consilium hoc iniuit: vt ipsum quidem Antonium in tanta victoria non summis modò honoribus decoraret, sed etiam venienti blandienter obuiam iret, & ea ratione qua Bacchi numen salutando exciperet. Eunt igitur obuiam Athenienses cum liberis & cõiugibus, & Dionysium vocitantes blandissimè salutarunt, quod hactenus satis commodè pro re ipsa processerat: sed quoniam blandiri Atticorum est, ac nimium assentari, adiecerunt etiam Palladem se, quæ in arce Atheniensium colebatur, Libero in matrimonium despondisse: simúlque vt eam duceret, nuptiæq; fierent, impensè illum rogauerunt. Quod Antonius haud quidem cõtempsit, & occasione accepta ducturum se prorsus respondit: sed imperare tamẽ se Athenie sibus nomine dotis mille talẽta. In quo apparet quàm subdolè, quàm astutè Romana calliditas ingenio Attico illuserit: quando Athenien sium plausus ac blanditiæ, nõ modo, vt inquit Anneus Seneca, ab homine Ro. deprehensæ sunt, sed etiam castigatæ. Quo nomine quidam è Græculis festinè ac scitulè in hunc modum fertur iocatus: Hic impunè ad vxorem: sed Athenien sium sponsalia mille talentis sunt æstimata.

Quę apud Syrios dea Adagartis, ac de

eius

eius simulacro, & quòd virginis signum pro Iustitia sit à Nigidio Figulo acceptũ: eiusdemq; verba apposita. CAP. VIII.

CVm nuper legeretur Bassi commentarium super C. Germanici Phænomenis, quæ ille ex Poëta Arato ciuibus Romanis Latinè exhibuit: in eum fortè locum lectio deducta est quo de Erigone à Germanico scribitur: hæc enim inter Leonem & Libram domicilium tenet. Sed ibi fortè quæsitum est, quænam foret dea Adagartis: quoniam Bassus ad hunc modum de ea tradit: Virginem, inquit, nonnulli esse Cererem dixerunt, eò quòd spicas teneret: alij Adagartim, quidam verò Fortunam, quoniã sine capite astris infertur. Verùm cùm nihil tum suppeteret, inc di mox in Macrobianas cœnas, in quibus potestas ac vis eiusdẽ Adagartis descripta est: quo maximè loco de Adab, & Adagartide, Syrijs dijs agitur. Sed adscribã Vectij prætextati verba, ne quid hac in re possit desiderari: Deo, inquit, quẽ summum maximumq; Assyrij venerantur, Adab nomen indiderũt: eius nominis interpretatio significat vnũ. Hunc ergo vt potissimũ adorãt Deũ: sed eidẽ subiungũt deã nomine Adagartim, omnemq; potestatem cunctarum rerum his duobus attribuũt, Solẽ, Terrãq; intelligẽtes: nec multitudine nominũ enũtiantes diuisam per omneis species potestatẽ: sed argumẽtis quibus ornãtur

Biblioteca de Galicia

significantes multiplicem præstantiam duplicis numinis. Ipsa autem argumenta Solis rationem loquuntur: nanque simulacrum Adae insigne cernitur radijs inclinatis, quibus monstratur vim cæli in radijs esse Solis, qui dimittuntur in terrã: Adagartis simulacrũ sursum versum reclinatis radijs insigne est mõstrando, radiorum vt supernè missorum, enasci quæcunque terra progenerat. Sub eodem simulacro species leonum sunt: eadem ratione terram esse monstrantes, qua Phryges finxere matrem Deũm, id est, terrã leonibus vehi. Sed & Strabo diligens autor in rebus Syriacis deam hanc Syris adscribit. Trans fluuium, inquit, Bambiena est, quam vrbem etiam Edessam & Sacram appellãt: in ea verò Deam Syriã Adagartim colunt. Ex his abundè constat cuiusmodi apud Bassum dea sit Adagartis, eamq; tali nomine apud Assyrios pro terra venerari. Bassus enim spiciferam virginẽ variè acceptam asserit: sicuti & C. Higinius in secũdo Astronomicõn ad Fabium recenset. Nigidius verò Figulus Iustitiam vel Aequitatem eam existimatam probat his verbis: Virgo ipsa Iustitia siue Aequitas dicitur, quæ inter mortales locis penè omnibus & conciliabulis solita esset cõsistere, atque omnibus præcipere, ne temerè à Iustitia & æquitate discederent. Qui quàm din monitis eius obtemperarunt, sine vlla quidem

cura

Biblioteca de Galicia

cura ac solicitudine vixerunt: sed cùm negligentius obseruarent, insidijsq;, & cupiditate, & auaritia alter alterum deciperet, discessit illa ab hominibus, & digna cælesti numero immortale præmium pietatis possedit. Vnde illud vulgatum:

Victa iacet pietas, & virgo cæde madentes
Vltima cælestum terras astræa reliquit.

De triplici numerorum proportione, in Arithmetice, Musice, & Geometrice, tum de eleganti similitudine ad Rempublicam. CAP. IX.

SCriptum copiosè à veteribus, & eruditè admodum explicatum, qui maximè censeantur termini ac proportiones in his numeris, quorum ratio ad Musicē, Arithmeticen, & Geometricā disciplinam pertineat. Neq; indignū sanè est, aut ab honestioribus literis abhorrens, ita eorum rationes & præcepta callere, vt facilè cognoscas, quæ minor in quolibet termino sit proportio, quæ maior, quæ item possit æqualis appellari. Nā in Arithmeticis maior quidem proportio est in minoribus terminis: In Musice autem maior est proportio in maioribus terminis: Geometria verò in minoribus, & in maioribus æquali proportione cōponitur: quòd hæc in quibusq; proportionibus æquū ius vbiq; custodiat. Ex quo Anicius Boëthius, qui Mathematicas à Græcis accepit, pereleganti

Biblioteca de Galicia

similitudine videtur vsus ad hanc ipsam proportionũ varietatẽ dignoscendã. Scribit enim, quòd ipsa quidem Arithmetica ei potissimum reipub. cõparanda est, quæ à paucioribus regitur: Musica illi, quæ ab optimatibus: Geometriam verò inquit statũ quasi populatẽ effingere, quòd æqualiter omnia pensare, ac æstimare iudicetur. Maximè autem versatur hæc facultas in his vestigandis, quæ plana & solida dicuntur. Planum enim quod in latitudinẽ & longitudinem lineas habet, sicuti triquetra, & quadrata sunt citra altitudinẽ in area descripta. Solida verò quæ non latitudinem & longitudinem cum linearum numeris habent, sed altitudines extollunt, vt sunt Metæ, Pyramides, Tesseræ, atque Cubi, quos Latinè quidam quadrantalia interpretantur. Sed hæc aliàs commodè à nobis sunt exposita.

De Romanorum studio in bonis disciplinis, & relata cõtentio inter Lucullum, Hortẽsium, & Sisennam de historia Marsica componenda. CAP. X.

DEleclãt me interdum exempla quædam Romanæ nobilitatis, quæ in bonis adeò disciplinis excolebatur, adeò literarum studijs fauebat, vt nihil mirum sit, ad summum propè fastigium cuiusque eruditionis eos deuenisse. Sedenim nostra ætate illi ferè vulgò haberi solent sapientiores, & nobiliores, qui honestas

quid

Biblioteca de Galicia

quidem disciplinas ac literarum cognitionem contemnant. L. autem Lucullus, & qui tum in Romana ciuitate principes agebant, longè aliter sentientes, ita bonis studijs egregiè affecti erant, vt cum viris doctissimis versari assiduè, & congredi non dubitarint: cuiusmodi præclara illa contentio celebratur inter Lucullum, Hortensium, & Sisennam, de qua putaui esse aliquid afferendum, ne tam ineptè quidam ætate nostra supercilium tollant, ac sese ob id supra cæteros ponant, quòd & literas oderint, & literatos etiam despiciant. Conuenerunt igitur inter se, vt fit, L. Lucullus, Q. Horsius, & L. Sisenna, idque ea conditione, vt cui sors contigisset, is bellum Marsicum describeret oratione vel carmine. Græcè videlicet aut Latinè: prout sors declarasset: quòd ipsum quidem cùm L. fortè Lucullo euenisset, Græca oratione eiusmodi historiam diligenter absoluit: quæ & à Chæroneo Plutarcho, & ab alijs quoque celebratur. Facilè autem intelligitur, quanto studio, & animi cupiditate togati homines bonis disciplinis incumberent. Nam idem L. Lucullus Imperator Maximus habitus est. Hortensius verò orator summus, quem & Cicero ipse in dicendo sibi aliquando prætulit. Sisenna autem in scribenda historia omnes prorsus Romanos, qui ante se scripserant, superauit. Quod

& Cic

& Cicero idem ad Brutum ingenuè professus est. Sed aliàs de Sisenna, & Hortensio cõmodè diximus.

Qua vrbanitate Antoninus Geta Imperator per literarũ ordinẽ cõuiuia strueret: quibúsque notis fercula ipsa prænotaret.

CAP. XI.

LEpidum sanè commentum atque vrbanum refertur à veteribus, Antonini Getæ Imperatoris in cœnis & in conuiuijs agendis. Fuit enim Geta vir ingenio haud quidem ineleganti, vel imenaſto. Is igitur consuetudinẽm hãc in parandis conuiuijs seruabat, vt ipsas cœnas ex appositis literis notari atque intelligi vellet, scientibus idipsum seruis. Nam si cubi voluisset in prandio exhiberi perdices, pauos, porcellos, pisces, ac pernas, tũ primæ dictionũ literæ ad hũcmodũ apponebãtur. P.P.P.P. vel mutatis aliter literis, Farcta, Fasianos, Ficus. F.F.F. tum alia varij generis edulia pari ordine literarum prænotabat. In quo visus est voluisse aliqua in parte L. Luculli cœnas atq; ordinem imitari. Hoc autẽ de Imperatore Geta Aelius Spartianus ad Constantinũ Augustum retulit.

Quòd nullę deorum imagines per CLX. annos in vrbe Roma fuerint, ex Numæ doctrina. Et quòd Hebræi quoque nullas in templis imagines haberent: aliáque de

tem

templis atque imaginibus memoranda.

CAP. XII.

RES digna memoratu est, quæ à Clemente Alexandrino traditur, de Numa rege Romanorum, eiusq; religione. Refert enim cùm is fuerit Pythagoricus, Mosis præcepta & ritus ab eo magna ex parte seruatos: nam Pythagoras quidem ad Aegyptios accessit, eorũq; sacra & mysteria diligenter perquisiuit: ex quo idem Numa, inquit, apud Romanos lege constituit ad exemplum Mosis, necubi dijs imago vlla tribueretur: factũq; ob id, vt per CLX. *annos ab Vrbe cõdita nulla prorsus Romæ aut depicta aut insculpta deorum imago viseretur: quod ipsum Augustinus & Eusebius Pamphilus probant, cùm de Iudæorum sacris & religione differunt. Sedenim in eorum tẽplo, quod in Solymis nobilissimum foret, nullam fuisse imaginem constat: quod & Cor. Tacitus in historia Iudaica non negat: etsi vt loquacior à Christianis incessitur. Septimius verò Tertullianus sic in Apologetico: Cor. inquit, Tacitus sanè ille mendaciorũ loquacissimus, in eadem historia refert, Cn. Põpeium cùm vrbem Hierosolymam cepisset, prætereáque tẽplum adijsset, speculandis Iudaicæ religionis arcanis, nullum illic reperisse simulacrum: & vtique si id colebatur, quod aliqua effigie repræsentaretur, nusquam magis, quàm in sacrario suo esset exhi*

Biblioteca de Galicia

exhibitū: eò magis, quia nec verebatur extraneos arbitros, quanquàm vana cultura. Solis enim sacerdotibus adire licitum: conspectus autem cæterorum velo oppanso interdicebatur, hæc Tertullianus. Zenon verò Citicus in libro quem de moderãda Repub. scripsit apertè ostendit, ea prorsus contemnenda, quæ cura & studio hominum perficiantur. Sacella (inquit) ac templa construere, nihil quidem necesse est. Nihil enim sacrum iure existimandum, neque pro sancto habendum, quod ipsi homines construxerint, Sed & Xerxes traditur omnia quidem templa in Græcia combussisse, suadentibus hoc Magis, quòd impium, ac nefarium foret, deos ipsos parietibus includere.

An verum sit quod de numa & Pythagora notauimus: ac ibidem probatum, habuisse Romanos temporibus Numę regis imagines deorum. CAP. XIII.

COnsiderandum melius est, quod in superiore capite notauimus de Numa rege, & eius disciplinis. nam quæ traduntur à Pamphilo Eusebio, & Clemente Alexandrino, eundem Numam præceptore Pythagora Hebræos secutum, necubi Romanus populus deorum imagines haberet: autores quidem hac in re magni nominis, & doctrinis dissentiunt. Dionysius enim Halicarnassæus eruditè probat. Numam regem ante philosophum Pythag.

Biblioteca de Galicia

Pythagoram quatuor penè ætates vixisse: neq; vllo modo eius disciplinis affuisse: quòd & M. Cicero: & Plutarchus Chæroneus, atque Manetus videntur concedere: quoniam. Numa ante Crotonam, & Sybarim vrbes conditas, Romanum imperium rexit XVI. *Olympiade. Pythagoras autem* LXIIII. *Tarquinio imperante, qui Superbus est cognominatus. Sed illud penitus à veritate abhorret, quod isti afferunt de Romanis imaginibus: siquidem Numæ regis temporibus (vt C. Plin. tradit) simulacra quædam, & imagines Romæ extiterunt: quando idem Numa Ianum geminum dedicauit, qui pacis belliq; argumènto in Vrbe coleretur: cuius effigies foret digitis ita compositis, vt adnotatione* CCCLXV. *dierum per significationem anni atque temporis Deum se designaret. De quo simulacro etiam Prætextatus in cœnis Macrobianis disputat, eùm Ianũ ipsum pro Sole accipiendum esse copiosè exequitur. Neque dubium est, Romanorum regum temporibus lignea quidem simulacra, & fictilia in Vrbe fuisse: quod & C. Plinius existimauit, etsi Augustinus lõgè aliter sentit, Varrone autore, cuius, inquit, verba clarissimè testantur, nullum fuisse in vrbe simulacrum deorum per annos* CLX. *factúmque deinceps, vt ex imaginum ac statuarum multitudine, religionis cultus negligentior atque contemptior haberetur.*

De

De Asclepiade medico, qui lectos ęgrotis suspēsiles primus excogitauit: ac de triclinijs versatilibus Imperatoris Heliogabali, CAP. XIIII.

COmplura scripta sunt à veteribus de Asclepiade medico, qui ætate Cn. Pompeij vixit, deq; eius ingenio atque disciplinis. Is enim præter alia multa documenta, quæ ad artem medendi pertinerent, blandimēta etiam, & quasi lenocinia commentus est, ad ægrorum gratiam, atq; iucunditatem. Siquidem & balneorum consuetudinē celebrem fecit, primúsque lectulos excogitauit suspensiles: quorum molli facilíq; iactatione aut alliceretur somnus, aut morbi ipsi magis extenuari possent: quod à C. Plinio relatum est ex M. Varronis cōmentarijs. Idem præterea Asclepiades permulta in arte medendi commutauit, quod & Themison eius successor sectatus est. De vario autem Heliogabalo, qui supra omnia rerum prodigia mollissimus fuit, traditum est, eum versatilia triclinia habuisse, in quibus quandoque amicos suos ponere consueuit, eósque violis & floribus obrutos opprimere: sic vt aliqui animam efflauerint: quod in Historia Lampridij memoratur ad Imperatorem Constantinum.

PETRI

PETRI CRINITI DE HONESTA DISCIPLINA COMMENT.

*

LIBER XV.

Historia de Cleomede Pycte, & quibus gestis atque honoribus claruerit: ex Theodoreto & aliis autoribus. CAP. I.

CELEBRATVS est à C. Plinio Euthimus Pycles insignis, qui oraculo etiam summi Iouis consecratus traditur, quoniam semper Olympia victor, & semel victus fuit. Qua in re complura sunt allata à doctissimo viro Hermolao ex Pausania lectione: & si de oraculo hoc nihil omnino apud Pausaniam comperies. Legimus autem apud autorem Theodoretum nomen Pyctæ alterius cui nomen Cleomedes, quem Pythius Apollo vt deum coli iusserit: sicuti Pythiæ carmine probatum est:

ὕστατος ἡρώων Κλεομήδης ἀγυπαλήϊς,
ὃν θυσίας πυρὸς μικρὸν θνητὸν ἔοντα,

Biblioteca de Galicia

Puto autem non iniucundum fore legentibus, si ea hoc loco referamus, quæ ad historiam hanc Cleomedis pertinent. Is igitur aduersarium vnico ictu cùm percussisset, latera eius adaperuit, atque iecta manu intestina induxit: sed cùm iudices hi, qui certamini præsidebant, nimiam illam crudelitatem mirati essent, mulctandum quidem Cleomedem putarunt: is verò grauiter iratus discessit, ac dum iter per forum capessit, columnam disiecit, qua tectum literarij ludi suffulciebatur: eáque ruina pueros omneis (qui in eo ludo sessitabant) perobruit. Quibus gestis factum est, vt eum Pythius inter deos retælerit, vt est autor Theodoretus. Oraculi autem ipsius, quod suprà retulimus, sententia hæc est: Vltimum heroum Cleomedem Astypalensem, colendumq; sacrificijs, quando mortalis esse iam desierit. Sed & Pausanias, à Cleomede refert LXXI. *Olympiade in pugilatu Iacchum Epidannium fuisse occisum: cumq; damnassent eum iudices quòd iniquius se gesserit palmámque illi abstulissent: mœrore nimio affectus, ad insaniam redactus est, & Astypalùam rediit, columnamq; ibidem euertit, qua literarius ludus fulciebatur: eoq; casu sexaginta fermè pueri traduntur in ludo extincti. Quocirca cùm illum sui ciues lapidibus impeterent, in Mineruæ templum se recepit, atque arcam ingressus, quæ fortè in templo ad-*

erat

Biblioteca de Galicia

erat, operculo se obtexit, diúque frustra laborarunt Astypalenses, vti eam arcam aperirent: verùm confractis tandem arcæ illius lateribus, nusquam Cleomedem compererunt. Itaque in re tam mirifica Delphos miserunt, qui oraculum consulerent super ijs, quæ Cleomedi euenissent: responsumq; à Pythia est idem carmen, quod ex Theodoreto attulimus: vt Astypalēses diuinos ei honores exhiberent, & veluti deum colerent. Quod ego cùm diligentius aduerto, miratus pene sum, à Plinio fuisse prætermissum, viro in omni antiquitate perquirenda diligētissimo. De hoc ipso Cleomede Plutarchus, Celsus, & Enomaus permulta referunt: etsi alicubi Diomedem pro Cleomede reperias.

Nobile exemplum de Alexandro Macedone: contra inutiles labores, & nimis curiosam sedulitatem. CAP. II.

PErsæpe in vita id accidit, vt non pauci operam, ac studium in his rebus collocent, quæ etsi difficultatis multum, atque laboris præ se ferant, nihil tamen vtilitatis & emolumenti habent. Nec enim probare illa primo aspectu debemus, quæ non sine summo etiam conatu atque vigilijs consequi possumus. Siquidem non semper in arduis ac difficilioribus virtus versatur: quod ab ipsis etiam Stoicis assertum est. Sed Alexāder ille Philippi filius, exēplo quidem honestissimo, idem cōprobauit. Nam cum

Biblioteca de Galicia

militem quendam in exercitu haberet, qui ex distante spatio grana ciceris missa in acum statim ac sine frustatione insertaret, simúlque rem hanc pleríque, vt arduam & mirificam, spectabundi efferrent: tum rex (vt egregia vir prudentia) eiusdem leguminis modio militem illum donauit, dignissimum sanè illo opere præmiũ. Haud enim ad cuiusquam id vsum, atque emolumentum pertinebat. Neque verò desunt, qui inepto ambitu laboréque inutili ac supernacuo tempus optimum conterant istis nugis. Quæ vana quidem sedulitas pereleganti voce à Græcis παραφοτεχνία est appellata. Id autem de Alexandro rege exemplum, & Fabius ad Marcellum victorium refert: quo maximè loco exponit an sit virtus Rhetorices.

Quid sint apud Iureconsultos Reliquatores: & quid item Reliquari, & Reliquatio: ac loci aliquot in iure ciuili expositi.

CAPVT III.

IN libris Digestorum, quo loco de publicanis & vectigalibus agitur, verba hæc sunt: Ad conducendum vectigal nemo inuitus compellitur: & ideo impleto tempore conductionis ea locanda sunt. Reliquatores vectigalium ad intuendam conductionem, antequàm superiori conductioni satis fiat, admittendi non sunt. Hæc est autem vera & genuina in libris vetustioribus lectio: quæ peruersa, interpolatáque in vulg

Biblioteca de Galicia

in vulgatioribus habetur: nam pro illo quod & nos legimus, Ea locanda sunt: inuenies, Licitatores alloquendi sunt: quod Accursius quoque Florentinus agnoscit: & quo loco nos, Reliquatores: illi subdiderunt, Licitatores: sicuti quod in principio legis huius erat Locatio, subdiderunt isti, Licitatio. Neque obscurus admodum, sed perfacilis est verborum intellectus: satis fore ex usu, quoties dies exacta sit, in qua vectigalia quis publicè conduxisset, iterum ea locare auctione: nec enim iniuriam cuiquam fieri, si maius pretium quæratur locandis vectigalibus: quando nemini liberum non sit abstinere conductione. Sunt igitur ea locanda impleto tempore conductionis: neque debent, inquit, admitti ad retinendam conductionem, hoc est, ad licitationem alteram, reliquatores, id est, qui nondum integrum soluerunt, sed reliquum sibi aliud ad solvendum fecerunt. Nam hi sunt propriè Reliquatores, qui quod alicui debent, ex asse & integro non persoluunt, sed alicuius partis debitores adhuc remanent: quod etiam ad illos referri potest, qui malam rationem reddunt. Hinc verbum deductum est Reliquari, id est, reliquam ad solutionem facere: & Reliquatio, quæ in nostris Iureconsultis haud infrequenter comperias. Habes id in Scævolæ verbis: Ea, inquit, quæ mala ratione reliquatus est, quasi furatus re-

Biblioteca de Galicia

posuerat. Pro quo vulgati codices habent: Ea quæ mala ratione reliquáque curatus est, & apud eundem: Humanum est reliquari vsuras, neque ab ipso, qui ex administratione, neque à fideiussore eius, & multò minus à magistratibus, qui auctione acceperint, exigi oportet. Pro illo autem Reliquatus est: aut Relinquitur, aut Relictus est, in cunctis ferè exemplaribus inuenies: vnde nullus omnino sensus elici potest. Quòd sicubi etiam integrum adhuc permaneat, & reliquari verbum, & reliquator: nescio tamen quo pacto mutare hoc interpretes (ita euenit insciția) & inuertere conantur. Sic autem Paulus in iure ciuili consultissimus: Legatarius (inquit) proferebat manu patris familiæ reliquatum, quod Accursius falsò Reliquarum legit. Quin & idem Paulus alibi: Si pupillus (inquit) post suam libertatem rationibus contentione acceptis: reliquationem eius sequutus vsuras acceptauerit, priuilegium suum nõ amittit: & paulo post: Quod ex conditione reliquatus est, accepisse inde videtur. Sed & Scæuolæ verba de instrumento legato hæc sunt: Reliquatus est amplam summam. De finibus item regundis sic Papinianus: In quibus potest ei consentit reliquatus est: quod & vulgatissimi codices habent, & ab Accursio probatur. Agnouit hoc in Pãdectis etiam Politianus, cui potestas facta est Florentiæ

rentiæ à ſummo magiſtratu, vt cum Piſanis illis archetypis Digeſtorum libros percenſeret, qui in ſacro palatio obſeruantur: quod ille vt homo gloriæ cupidior, velut inſtar copiæ cornu, vel diuinæ virgulæ, ſe aſſequutum prædicabat.

Quamde, pro Quàm, apud veteres dici ſolitum: & Lucretij poëtæ verſus emendatus, atque expoſitus: tum alia ibidem addita. CAP. IIII.

PVdet interdum me bonarum diſciplinarum, quando in tot, ac tam altis tenebris verſemur: vt autores etiam meliores violati adhuc deprauatíque legantur: cuiuſmodi ſunt, vt alios omittam, Tit. Lucretij libri, in quibus innumeri quidem errores, atque fœdiſſimi increuerint, inſcitia librariorum: quocirca amiſſum penitus, atque perditum videretur, quod à Marco Tullio in emendãdo Lucretij poëmate impenſum eſt, quanquam ætate noſtra laudem illis debemus, qui aliqua in hoc autore, collatis vt ſit exemplaribus, emendarunt. Sed in hoc tamen video à quibuſdam improbiſſimè peccari, qui maiore animo quàm iudicio, meliora interdum adimunt vel inducunt, alia diſtorquent & contrahunt. In quo malè docti homines paſſim aberrant: ſed multò maiore damno doctiores. Quod equidem nuper cognoui in his Lucretij verſibus contra Heraclitum philoſophum.

Biblioteca de Galicia

Heraclitus init quorum dux prælia primus,
Clarus ob obſuram linguam, magis inter inaneis,
Quamde grauis inter Graios, qui vera requirunt.

Quo loco non, Quamde grauis: ſed quàm grauior, audaciſſimè ſubdiderunt: ignorantes arbitror illud Quamde, apud veteres perinde valuiſſe ac Quàm comparationis dictionem. Nam & locum hunc Sext. Pompeius ſignauit in libro de priſcis verbis XVI. tum prolatis veterum exemplis exponit, qui hoc idem dixerunt. Et Lucretius poëta, inquit, Quamde, pro Quàm dixit: ſicuti etiam Liuius Andronicus poëta vetuſtiſſimus:

Muro magis fretus, Quamde manus impetu,
Iam & multa extima falsò indiderunt, quo loco pars multeſima ab eodem Lucretio ſcriptum eſt ex his verbis:

Et videas cœlum ſummai totius vnum
Quàm ſit parvula pars: & quàm multeſima conſtet.

Qua in re Grammaticorum nobis autoritas patrocinatur, quando & centeſimus & milleſimus probè dicitur, Partem multeſimam, inquit Nonius, nouè poſitum eſt à Lucretio pro minima: ne quis fortè paulò incautius atque audacius à veteribus diſcedat. Quæ à me vel ob eam rationem ſunt adnotata, quoniam

Mar-

Biblioteca de Galicia

Marullus Byzantius ætate nostra, vir alioqui diligens, paulo improbius delere hæc, & alia pro ingenio subdere tentauit, quæ ab eius quoq; sectatoribus recepta sunt pro verissimis.

De Hadriani Imperatoris ingenio, & vrbanitate: & qua talione Florum poëtam repressérit, versiculis eiusdem relatis.

CAP. V.

HAud herclè immeritò in Romanis literis pernultum commendatur Hadriani Cæsaris ingenium, tum eiusdem quædam veluti peculiaris vrbanitas. Inter alia verò compluria, non sine magna ac mirifica oblectatione legi responsum illius ad poëtam Florum: nam Florus ipse homo tum dicacior, cùm dictum Hadrianum inter Scythas ac Britannos versantem videret, atque in locis admodum remotioribus, asperrimisque agentem, de eo sic lusit:

Ego nolo Cæsar esse,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.

At noster Hadrianus cùm istiusmodi versiculos legisset, statim perurbanè Florum retaliauit: sed adeò lepide, adeò eleganter, & venustè, vt Hispanum certè acumen, atque innatam eius festiuitatem agnoscas. Sic autem ad Florum:

Ego nolo Florus esse,

Biblioteca de Galicia

Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos,

Id ipsum et Aelius Spartianus ad Imperatorē Diocletianū retulit. Certare enim Hadrianus cum philosophis, & poëtis consueuit: etsi disciplinarum professores ferè vt doctior (quod inquit Spartianus) risit, contempsit, obtriuit.

Dici solitum apud veteres, Trabes, canes, duces, in singulari, pro eo quod est trabs, canis, & dux: & alia eiusmodi obseruata ex M. Varrone & aliis. CAP. VI.

PArum æquo animo minutiora quædam notarem, ni quorundam esset inscitiæ occurrendum, qui cùm paulo indiligentius obseruent ipsam antiquitatem, si quid minus pervulgatum ac protritum dicatur statim perinde atque insolens, & barbarum reijciunt & contemnunt. Comperies autem in veterum scriptis frequenter hæc: vt trabes, canes, plebes, & his similia, in singulari numero: sicuti & Sepes animal apud Vergiliū: vt notauit Ausonius: cum Seps à M. Cicer. dicatur. Nec enim aliter ferè vetustiores illi posuerunt, vt Cn. Neuius, Accius, Plautus, Attiliꝰ & alij. Vnde illud Q. Ennij vulgatissimum dè Argo naui:

Vtinam ne in nemore Pelio securibus
Cæsa cecidissent abiegna ad terram trabes.

Et item in eiusdem Annalibus:

Labit

Biblioteca de Galicia

Labitur uncta trabes remis rostrata per altum.

Iam & Plebes multò etiã frequentius reperitur: cùm & ipse quoque poëta Ausonius (qui sub Valẽtino Augusto floruit) sæpiũ protulerit:

Læta operum plebes (inquit) festinantésque coloni. Et alibi,

Consona quem celebrat modulato carmine plebes.

Hinc & tribunos dicimus plebei casu patrio, sicuti ex grammaticis vetustioribus colligitur. Canes verò, & Duces dici in singulari certum est: autoritate M. Varronis in libris ad M. Ciceronem de Latina lingua: qui & Qu. Ennium in hoc, & Lucilium aduocat: ex quo versiculus Ennianus:

Tantundem quasi fæta canes sine dentibus latrat.

Et affirmare quidẽ videtur idem Varro, fuisse apud vetustiores in usu: vt ita proferrent: quoniam natura ipsa in quaque re magis in corrupto principio, quàm à libidine hominum incæpit. Videmus (vt inquit Varro) ex his verbis trabes, duces, de extrema syllaba e, literam inclusam: & ideo in singulari factum est trabs, & dux: contrà ex singularibus non tam videmus quemadmodum facta sint ex b, & s, trabes: & ex c, & s, duces. Sed hæc satis, ne paulò minutiora consectari auidius videamur:

mur: etsi hæc ipsa rerũ literarúmque discrimina diligẽter, & accuratè examinentur interdum à doctioribus, quod & Iulij Cæsaris analogici ad Ciceronem libri affirmant.

Qui sint apud Iureconsultos Pedanei iudices: & qui item Pedarij fautores, & Senatores ex commentariis Atticis.

CAPVT VII.

QVi sint Pedanei iudices, in veterum scriptis, non facilè comperies qui tibi exponat, nisi ad ipsos accedamus Iureconsultos: in quorum videlicet commentarijs scriptum est, eos appellari iudices pedaneos, qui minores causas, ac negotia humiliora obeant: quãdo alij nuncupati sunt aut Honorarij, aut etiam Prouinciales, qui detineri consueuissent in maioribus officijs, & honestioribus causis. Solebat enim Sen. P. Q. R. habere prouinciarum præsides, quorum erat officium varias, multiplicésque causas absoluere. Quòd si ijdem nimium fuissent rebus publicis occupati, permissum ijs erat, alios iudices subrogare, quĩ in reliquas causas incũberent: & hos quidẽ Pedaneos appellarũt. Ex quo Diocletianus, & Max. A. A. in hũc modũ præceperũt: Placet nobis præsides de his causis, in quibus eò quòd ipsi nõ possent cognoscere antehac, pedaneos iudices debeant notionis suæ examen adhibere: ita tamẽ, vt si vel propter occupationes publicas, vel propter

Biblioteca de Galicia

pter causarum multitudinem, huiusmodi omnia negotia non potuerint cognoscere, dandi iudices habeant potestatem. Quod etiam Iulianus Imperator ad præfectum prætorio, commodius videtur exposuisse: Quædam, inquit, sunt negotia, in quibus superfluum est moderatorem expectari prouinciæ, ideoq; Pedaneos iudices, hoc est, qui negotia humiliora disceptent, cõstituendi damus præsidibus potestatem. Hactenus de pedaneis iudicibus in cõstitutionibus Augustalibus. Pedarij autem fautores hi à quibusdam sunt appellati, qui in alicuius sententiam pedibus irent, eóque suffragio studium ac fauorẽ præstarent: vnde & Pedaria sententia, sicuti in Laberianis nimis notatum est: cùm non verbis quidem aut punctis, sed pedibus in alienã irent sententiã. Neq; autem me latet, quòd equites pedarij, senatoréſque alia ratione dicti sunt, sicuti C. Bassus affirmauit. Nã Romæ erant Senatores Curules, id est, qui sella curuli honoris, ac decoris gratia, in Senatum vehebantur. Tum erant etiam qui nondum curulem dignitatem cepissent: quoniamq; pedibus in Senatũ pergebant, ob id appellarunt eos Pedarios: sic & equites qui dum nondũ essent à Censoribus in curiã lecti, etsi poterant in senatum accedere, & ius habeãt sententiæ non tamẽ Senatores erant, atq; ob id in aliorum sententiam ferè descendebant, quam

senatus

Biblioteca de Galicia

senatus principes rogati essent. De quo permulta etiam à Gellio referuntur in Atticis lucubrationibus.

Quàm eruditè à nostris Iureconsultis verba Latina exponantur: & quomodo apud eos Liberi & Parentes accipi debeãt: non aspernanda obseruatio.

CAP. VIII.

VErum profectò est, quod à viris eruditioribus affirmari solet: veteres quidem Iurecõsultos in cognoscendis examinandisq; verborũ viribus maximè præstitisse. De his nunc agimus, qui ante Vlpiani ætatem vixerũt: quoniam Romanorũ tunc eruditio, & quasi puritas, deformari, atque inficì cæpta est. Sed cum nuper Iustiniani principis Augustꝰ. commẽtaria legeremus, quæ per satyram penè collecta sunt: nos illud cũ primis tenuit, quòd haud paucas voces, quàm à nostris Grammaticis, apud eũ aliter explicari inuenio, cuiusmodi hoc est: Quonam significatu Parentes & Liberi accipi debeant. Dicunt enim relatione quadã referri Filios ad Patres, eosq; simili voce & Liberos, & Parẽtes appellitari. Sed apud ipsos Iureconsultos Parentes accipimus eos, qui ad quintum usque cognationis gradũ deueniunt: sicuti etiam Liberos: nam pater, auus, proauus, atauus, tritauus, Parentũ nomine censentur: Liberos verò dicimus filios, nepotes, pronepotes, abnepotes

Biblioteca de Galicia

tes, trinepotes. Ex quo Paulus Iureconsul. in libro de cognationibus, Parẽtes inquit, vsque ad tritauum apud Romanos proprio vocabulo nominantur: vlteriores qui nõ habẽt speciale nomen, Maiores appellantur. Item Liberi vsq; ad trinepotẽ: vltra hos, Posteriores vocantur. Vulgatũ verò quod à Celio Placido & A. Gel. de liberis traditur, hac videlicet voce & vnicum significari, etiam filiam, quoniam in singulari valeat etsi in plurali proferatur. Quod Asellio in Ro. historia, & Ser. Honoratus in Vergiliano commentario asserunt.

Quanta calamitas rei Latinæ accesserit ex interitu Hermolai Veneti: Pici Mirandulæ, & Ange. Politiani: tum de liberalitate Laurẽtij Medicis erga Hermolaum, ac de iniquitate sui temporis. CAP. IX.

NEscio quo fato superiore anno euenerit, quo Francorum rex Carolus Italiã cum infesto exercitu, & instructis copijs inuasit, vt principes viri in literis, atque in summis disciplinis clarissimi perierint: hoc est, Hermolaus Barbarus, Io. Picus Mirãdula, & Ang. Politianus: qui omnes in ipso statim Francorum aduentu & conatibus immaturo obitu ad superos concesserunt. Sed enim literæ ipsæ ac studia bonarum artiũ simul cum Italiæ libertate cœperunt paulatim extingui, barbaris ingruentibus, cum deessent hi homines, qui illas

Biblioteca de Galicia

illas suo patrocinio, assiduisque studijs mirificè fouerent: qualis inter alios vir summa sapientia & egregio animo Laurentius Medices. Quod ego libentius refero, vt agnosci possit, vel hoc vno exemplo quàm felicissimè tunc ageretur cum literis, atque literatis. Nam cum Hermolaus Barbarus Reipu. Venetæ nomine legationes fortè per Italiam obiret, & ad vrbem Florentiam obiter accederet, Laurentius Medices (qui Florentinã Rempublicam non minore tũ consilio, quàm fortuna gubernabat) statim tanto viro cum amicis pluribus (vt fit) obuiã procedit: nihil veritus, quod ægros pedes haberet, ac summis doloribus vexaretur. Tum in Caiana villa (quam infinitis propè sumptibus ædificabat) honorificentissimè illũ accepit: simulque tanti hominis ingenio, & doctrina singulari prouocatus, eam quoque liberalissimè studiorum nomine illi obtulit, cum insigni atq; instructissima bibliotheca, quam ad exemplum Philadelphi mira tũ industria parauerat, vt in eo quasi Musarum secessu simul cum Pico Mirandula honestioribus disciplinis, ac philosophiæ sacris pro arbitrio incumberet. In quo Hermolaus Barbarus (vt homo maximè humanus) libenter se dixit, & studiorum causa, & Laurentij merito talem animum agnoscere: villámque ipsam, si per publicas curas liceret, excipere. Quæ res monere interdum me solet,

solet, quàm breui tempore fortunæ ratio commutetur, quámque iniquè nunc agatur cum bonis studijs: siquidem pro melioribus disciplinis vitia, pro humanitate & officijs, bella & cædes succreuerunt: vt illud Arbitri iure optimo probari possit:

Qui pugnas & castra petit, præcingitur auro,
Vilis adulator picto iacet ebrius ostro:
Et qui sollicitat nuptas ad præmia peccat:
Sola pruinosis horret facundia pannis,
Ac inopi lingua desertas inuocat artes.

De diis ipsis, eorũq; nominibus in Romanis sacris: qui segetibus, ac frumentis præsiderent, ex Varronis & Augustini libris. CAP. X.

Scripta sunt ab Augustino complura de Romanis Dijs quæ magna ex parte accepit ex libris M. Varronis. Quo autem loco de minoribus Dijs ac plebeijs, vt vocat, agitur, in hunc modum disserit: Proserpinam, inquit, veteres frumentis germinantibus præposuerunt: geniculis verò nodisque culmorum deam Nodinam: inuolucris autem illis folliculorum deam Volutinam: cùm folliculi patescunt quo spica exeat, deam Patelenam: cùm segetes nouis aristis æquantur, Hostilinam deam: quoniam Hostire & Hostimentum apud priscos pro exæquatione accipitur. Sed & Floram mox

Biblioteca de Galicia

adijcit, Lactícinámque, & Maturam, quòd hæc olim numina frumentis florentibus, lactẽtibus, ac matureſcentibus præſiderẽt. Hæc Auguſtinus ex M. Varrone. In libro autẽ de agricultura ſic apud eundem Varronem legitur de ſpica, & eius partibus. In ſpica, inquit, hordei & tritici tria ferè continentur: granum, gluma, & ariſta: & etiam primitus ſpica cùm oritur vagina. Granum quod intimum ſolidum eſt vocatur, Gluma verò folliculus eius: vnde & Glubere verbum, eò quòd folliculo granum (vt inquit) deglubatur. Ariſta, quæ velut acus tenuis longa prominet ex gluma. Sed hæc apud autores copioſè explicata ſunt.

Quàm molli animo Artemon Periphoretus fuerit: & hiſtoria perlepida de mirifica eius formidine. CAP. XI.

QVàm molli animo, atq; effœminato, Artemon fuerit, in Græcorum commentarijs abundè traditum eſt: in quibus inuenitur, hunc ipſum conſueuiſſe nunquàm incedere ſuis pedibus, ſed lectica vti, in qua ferè circumgeſtaretur: quocirca ridiculo cognomento Periphoretus eſt nuncupatus. Poëta autem Anacreon acerrimis verſibus illius mollitiem, atque prodigioſum luxum eſt inſectatus: nec ſecus quidem, atque apud nos Menam libertum Flaccus Horatius: aut Strumam Nonium Catullus: quòd vterq; corruptis morib

ribus, atque incredibili fastu vixerit, in ea præsertim ciuitate, quæ cæteris omnibus vitæ integritate, præclarísque exemplis proculdubio præstitit. Sed & Plutarchus Chæroneus, ex historia Pontici Heraclidæ, Artemonem fuisse scribit supra cæteros homines mollem, atque in tota vita voluptarium: animo etiam præpauido, & ad omnia vitæ momenta incōstantiæ singularis. Duos nanque seruulos semper apud se continere solitus est: qui scutum æneum supra suum caput sublatum gestarent, ne quid fortè in eum desuper posset excidere: quòd si quando proprios lares egrederetur, versatili lectica circumferri consuenit. Neque nos præterit eundem pro fabro à quibusdam habitum, ac loripedem creditum. Quæ omnia (vt est autor Plutarchus) abundè refelluntur ab Heraclide. Huius Artemonis imaginem Phidias marmore absoluit, quæ à C. Plinio magnopere commendatur: quo loco Astragalizontes, Diadumenum, & Doryphorum eiusdem magnis laudibus extollit.

Biblioteca de Galicia

PETRI CRINITI DE HONESTA DISCIPLINA COMMENT.

LIBER XVI.

Quæ fuerit origo Hetruſcę diſciplinæ, ac de Tagete vate, qui è glebis extitit, eiúſque libris diligenter obſeruatum.

CAP. I.

QVAE *fuerit apud po. Ro. diſciplina Hetruſca, & quæna eius origo, in quibuſq; maximè cenſeretur, viſum mihi eſt breuiter annotare, quoniã S.P.Q.R. nihil propè magnũ, aut memorandũ faceret, quin illud ipſum Hetruſcis antea monitionibus, atque decretis probaretur. Sed prius de origine, ſicuti M. Cicero, aliíq; permulti tradiderũt. In agro igitur Tarquinienſi cum terra ipſa paulò altius araretur, ſulciq; altiores imprimerẽtur, Tages quidã repentè extitit qui aratorem ipſum affatus dicitur. Is autẽ Tages puerili effigie (vt Cicero ex commentarijs Hetruſcorũ tradit) apparuit, etſi*

prud

Biblioteca de Galicia

prudẽtia quidẽ ſemili fuit. Verũ cũ ad eius ſpeciem bubulcus obſtupeſceret, edita voce, vt fit, maximè inclamauit: quo euenit, vt breui tempore magno quidẽ cõcurſu permulti ex Hetruria eodẽ conuenerint. Tũ Tages idẽ multis audientibus complura loquutus eſt, quæ diligenti cura excepta ſunt, ac literis cõmendata. Neque enim aliud Tagetis verba continebant, quàm aruſpicinæ diſciplinã, quæ multis ſubinde obſeruationibus aucta, atq; amplior facta eſt: ſic vt ea fulminũ, fulgurũq; & oſtentorũ ſcientia traderetur: quod & Plutarchus alicubi, & alij plures explicãt. Sed & Marcellinus Ammianus Tagetis libros citat, quibus prodigia quædam ac portẽta poſſent interpretari: qua in re ſuũ officiũ Hetruſci vates, atq; ſacerdotes præſtabãt, quod & poëtæ Latini, & ipſæ decẽuirales tabulæ teſtãtur, ĩ quibus illud de Hetruſcis:

Prodigia, & portenta ad Hetruſcos, & Aruſpices,
Si ſenatus iuſſit, deferunto.
Hetruriæ principes diſciplinam docento.
Quibus diuis creuerint procuranto.

Liuius præterea autor eſt, non minore ſtudio conſueuiſſe Romanos literas Hetruſcas diſcere, quàm poſteà Græcis incubuerunt: quod alibi retulimus. Quin & Labeo Antiſtius, qui in iure pontificio, & omnium veterum doctrina, doctus eſt habitus, libros Tagetis expoſuit,

Biblioteca de Galicia

eiusq; disciplinam Hetruscam quindecim voluminibus explanauit: quod & Fulgentius ad grammaticum Chalcidium refert, quo loco de Manali lapide disserit.

De serpẽtũ natura & ingenio in Ægyptia theologia: & qua ratione accipitris caput illis addatur: aliáque de accipitre memoranda. CAP. II.

Mirũ profectò est quod ab Aegyptijs de natura & viribus quorundam animantium traditum sit: quod vt magis illi posteris cõprobarent, inter notas hieroglyphas, siue sacerdotales, vt quidam vocant, retulerunt: sicuti de serpente, & accipitre nũc subit. Nam fuisse diuinum animal, ac diuinam serpentis naturam non Taurus modò, qui & Theoth ab Aegyptijs dicitur, in Phœnicum theologia testatus est: sed etiam Phœnices, atq; Aegyptij, quòd in eo supra cætera quidem animantia spiritus acrior atq; amplius ignis existat. Quæres cum ex illo celeri gressu ostenditur sine vllis pedibus manibusq;, vel alijs instrumentis: tum quod ætatem subinde cum exuuijs renouant, ac iuuenescunt. Itaque Phœnices populi Dæmonẽ hunc felicem, Aegyptij Eneth appellarunt, cui caput accipitris adijcientes, celeritatem illius præcipuam indicabant: quod & Philon Byblius

Biblioteca de Galicia

blius scribit, qui Sachoniati historiam ex Phœnicum lingua in Græcum sermonem conuertit. Epies verò, qui apud Aegyptios deorum maximus interpres est habitus, cùm naturam accipitris, & anguis referret, Diuinissimum, inquit, animal serpens, & accipitris habens caput: perquàm mirificum est. Nam sicubi sublatis palpebris effingebant, tum omnem Aegypti regionem suo lumine complebat: sin claussis oculis fuisset, tenebras circumfundi notabatur: vt nihil dubium sit, naturam eius maximè igneam existimasse. Iidem præterea Aegyptij totius orbis molem demonstrantes, inter circulum aërium & igneum serpentis effigiem cum capite accipitris circumducunt: vt instar sit Græcæ huius literæ Θ quæ theta dicitur. Per circulum enim magnitudinem, ac formam totius orbis intelligunt: per anguem verò, qui medium intersecat, bonum dæmonem, cuius meritò, ac beneficio omnia alantur, vigeant, atque contineantur. Quin & Zoroastres ille Oromasi filius, qui apud Persas maximè sapientia præstitit, in sacra historia de rebus Persicis in hunc modum de re hac meminit: Deus, inquit, accipitris caput habet: Is enim inter omnia: quæ labem nullam, aut corruptionem sentiant, primus ingenitus, nec interiturus vnquam partium expers, sibique ipsi simillimus: bonorum omnium auriga

Biblioteca de Galicia

& autor, rerum pater omnium, optimus ac prudentissimus, sacrum iustitiæ lumen, absolutissima naturæ perfectio, eiúsque inuentor, & sapientia. Quæ omnia copiosè prosequitur Pamphilus Eusebius ad Episcopum Theodorum.

De fœdere inter Gabios & Romanos, quod in corio bouis instar Clypei exaratum fuerit: & vnde Clypeis nomẽ, & quid item Clypeare verbum designet.

CAP. III.

Facta est mentio in veterum scriptis, de eo fœdere, quod inter Gabios & Rom. actum est, Tarquinio Romanum Imperium regẽte. Sed illud in primis notandum, quòd in corio quidem bubulo eius capita & conditionem exarauerunt priscis literis, vt refert Dionysius: cúmque instar Clypei foret, in templo Iouis locarunt. Qua in re Pompeius Sextus Dionysio accedit, vt in eius commentarijs probatur, quos à Verrio Flacco collegit, etsi iuramentum Dionysius vocat, in quo sanciendo eximium bouẽ immolarunt. Clypeum, inquit Pompeius, ob rotunditatem veteres corium bouis appellarunt, in quo Romanorum fœdus cum Gabijs foret descriptum. Subit autem ex his Clypei formam fuisse propè rotundam: vnde & Clypeodes gemma apud priscos nobilis, etsi de forma quidam dissentiunt. Dictum verò à cluendo Clypeum, multis video persuasum

Biblioteca de Galicia

suasum: quod apud veteres pugnare significat: alij à cælatura ipsa affirmant, id est, ἀπὸ τοῦ γλύφειν, quod in Clypeis imagines forẽt. Caius certè Plinius, vir in bonis disciplinis acri iudicio, ab ipsis imaginibus dictum refert, qualibus in Troiano bello pugnatum sit: non autem à cluendo, vt peruersa subtilitas, Grammaticorum voluit. A Clypeis verò deductũ est verbum Clypeare, pro eo quod est, Clypeo se protegere: vt apud poëtã Pacuuium lectum est. De quo & Varro Terentius ad Marcum Ciceronem retulit: Pacuuianum esse verbum Clypeare: qua figura & à Cima dictum est Galeare. Ita enim Pacuuius in Hermione fabula,

Chlamyde contorta astu clypeat brachium.

Quod ipsum etiã Nonius obseruauit: etsi apud hunc parum integra verborum fides seruetur.

De viribus & ęgritudine Amoris, ac de eius remediis, copiosè relatum ex Arabũ commentariis. CAP. IIII.

QVi de morbis hominum scribũt, eorúmque remedijs, inter alia morborum genera, Amoris etiam tabem, atque ægritudinem referunt, sicut Græcorum ferè, atque Arabum commentarij testantur: nam in his multò maior atque copiosior eius disciplinæ cognitio reperitur. Quod equidem satis probaui, cùm ea nuper legerem, quæ de morbo ipsius Amoris, ac

Biblioteca de Galicia

de remedijs apud Arabes tradita sunt. Ad hanc enim propè sententiam de Amoris morbo edisserunt: Nihil est aliud amoris ægritudo. quàm nimius animi affectus atræ bili affinis, atque consimilis: qui mentem assiduè agitans, perurit ex imagine & forma alicuius pulchritudinis, quæ oculis & animo amantis insidens incumbit. Is autem magis subinde inardescit, insiti desiderij fomentis accensus, donec votum consequi valeat. Huius verò morbi hæc signa, siccubi profunditas oculorum adsit, & immodica siccitas. Desunt enim lacrymæ, nisi fortè superuenit fletus. Iam & palpebræ ipsæ motu pene assiduo veluti conuenientes subsultant. sic vt aliquando gestire, & subridere eiusdem vultus appareat, ceu illud ipsum, quod animo agitat libens aspicere, vel audire videatur. Est & eius spiritus veluti intersectus, & subsultans, varieq; aut depressus, aut elatior. Quod ipsum pro animi æstuantis fortuna & conditione contingit: si quidem affectus ille miris modis permutatur: vt qui lætitiã, fletum, hilaritatem tristitiam, spem, metũ audaciã, pauorem, præ se ferat, nec in aliquo possit consistere: tum id maximè temporis, quo de amore, eiusq; viribus differentem audiat, laboresq; & insidiæ, iniuriæ, incommoda, atque repudia referantur. Membra verò ipsius admodum arescunt, mirisque modis impallent: nam & oculi altius re-

sident

sident, & palpebræ nimijs vigilijs ac fletu tabidæ obliuescunt: venæ autem & arteriæ ipsius nullum ferè ordinem seruantes, súsque déque se habent. Illarum enim pulsus maximè permutatur, vt ea ratione mentis diuersitas, atque æstus abundè intelligatur. Magis ægritudo apparet, sicubi de re amata mentio incidat, aut hoc ipsum repentè oculis amantis occurrat. Quò fit, vt cognosci etiam possit quod ametur, etsi callidè dissimuletur, aut obstinatè pernegetur. Ita enim facilè deprehenditur nec vbi medicorum solertia desiderari possit. Primò igitur complura nomina proferat medicus, eáque subinde repetendo ægroti pulsum obseruet: qui, vbi amatæ rei nomen editum est, mirificè immutatur, quòd interfectus ac subsiliens est. Dein etiã similia quædam dissimulanter medicus repetat ingeniũq; & mores eius quæ amantis affectũ excitant, ad memoriã reuocet: ac tũ ex ipsis venarum pulsibus satis pernoscet & vim & causam ægritudinis. Quibus diligenter consideratis, videndum erit, si qua ratione congredi, atque coniungi possint: id enim potissimum sæuientis morbi remedium censeri debet, quo & animo & corpore facilius conualescat. Quòd si fieri vllo modo id nequit vt coniungantur, alia quoque remedia excogitanda sunt, quibus illa tabes & animi affectꝰ tollatur. Permulta verò sunt, quæ in Arabũ monimẽtis traduntur: sed

nul

nullum certius, aut præsentius, quàm in aliam grauiorem curam, magisq; anxiam distrahi: quousque insidens illa mentis cogitatio & feruor intepescat: aut etiam in multis passim variisq; congressibus Veneri incumbere: quod & T. Lucretius apud nos præcepit his versibus:

Sed fugitare decet simulacra, & pabula amoris
Absterrere sibi, atq; alio conuertere mentē:
Et iacere humorem collectum in corpora quæque,
Nec retinere semel conceptum vnius amore,
Et seruare sibi curam, certúmque dolorem.
Hulcus enim viuescit, & inueteraſcit alendo.
Inq; dies gliscit furor: atque ærumna grauescit,
Si non prima nouis conturbes vulnera plagis:
Volgiuagáque vagus Venere ante recentia cures,
Vt alio possis animi traducere motus.
Nec Veneris fructu caret is, qui vitat amorem,
Sed potius quæ sunt sine pœna commoda sumit.

M. Varronis oraculum de Romano imperio: quod ex augurio XII. vulturū per M.CC. annos futurum esset. CAP. V.

Copiosè

COpiosè in Epistolicis nostris de veterum auspicijs ac portentis scripsimus: nunc autem minimè indignum existimaui, eam partem repetere, in qua de vrbe ipsa, eiusq; imperio Romani augures præiudicium fecerint: quamdiu videlicet tam excelsa Reipu. dignitas seruanda esset:

Augusto augurio postquàm inclyta condita Roma est.

Scripsit enim Varro Terentius in libris antiquitatũ fuisse Romæ Vectium in augurãdi disciplina nobilẽ, eumq; affirmasse, futurũ Rom. Imperij terminum post M. & CC. annos: si modò inquit verũ foret, quod in historijs annalibúsque Romanis tradatur de XII. vulturibus, quas poëta Ennius corpora sancta appellat. Sic autem Varro: Si verũ est, quod de Romuli augurio traditũ in condendæ Vrbe, deq; XII. vulturibus, ad M. & CC. annos Romanus pop. perueniet, cum CXX. annos incolumis præterisset. Qua in re factum est quidem iudicium ex numero alitum, vt singulæ vultures centenos annos portenderent. Cẽsorinus verò in perquirendis veterũ monumentis vir diligens, & qui M. anno ab Vrbe condita vixit, minimè ad suũ iudiciũ pertinere asseruit, hoc ipsum dijudicare: ne in re parum comperta minus prudenter posteritati faceret impostura: quod his ferè hominibus accidit, qui maiore studio, quàm consilio

consilio fortunæ aleam pensant, temporúmque varietatem considerant. Cæterùm tali sententia Vectij videtur annorum numerus conuenire: siquidem CC. annis post autorem Censorinum adiectis, imperantibus Cæsaribus Constantijs, Romana illa dignitas consumpta est: quæ Italiæ fines egressa, Byzantium Vrbem se recepit. Nam ingruentibus in Italiam Hunnis, Vandalisq; & Gotthis, tum maximè Ro. imperium cladibus multis affectum est, atque deletum. Quòd autem XII. vultures auspicij felicitatem Romulo prænotassent, cùm historiæ multorum testantur, tum Q. Ennius in annalibus, qui Romulum inquit ipsum in Auentino monte secessisse ad auspicium capiendum de Vrbe condenda, & nomine imponendo: itaque studijs summis de hoc inter eos peractum refert:

Certabant Vrbem Romámne Remámne vocarent,
Omnibus cura viris, vter esset Induperator.

Qui fuerint apud veteres Adamiani, & Nyctages hæretici: ac de Lychnobiis etiã hominibus: & Horatij locus expositus: tum de his, qui Hemerobaptistę dicerentur.

CAP. VI.

IN Christiana philosophia cùm variæ primò ac multiplices autorum de ipsa religione fovent opiniones, permulti quidem extiterunt, qui

Biblioteca de Galicia

qui à Christianis hæretici sunt appellati: quoniam videlicet ab optimo religionis cultu, & veritatis ratione detorsissent. Ii enim, cum pessimum virus sensim per arterias illapsum in præcordia, mox non minore impetu, quàm damno sæuiebant. Inter cætera verò quorundam præcepta atque disciplinas nobiles aliquando fuerunt illorũ factiones, qui Adamiani, atque Nyctages appellati sunt: de quibus cùm in veterum commentarijs mentio sit, eorum ridiculam, & perinde insanam superstitionem libitum est paucis referre. Nam Adamiani ob id nomen hoc acceperunt, quoniam exemplo Adã nudi, ac sine vllis vestibus degerent: eoq; modo cum fœminis versari, atque etiam orare consueuerunt: asserentes illud ipsum in vita melius extimandum, quod ad naturam magis accederet: cùm in ea re nullam prorsus modestiæ aut verecundiæ rationem haberent: quæ mortalium vitam, vt inquit Plato, pari iure instruit, atque exornat. Nyctages verò quoniam vniuersam noctem somno, & quieti concederent, neque ipso noctis tempore vigilandum esse putarent, naturæ genium violari, atque corrumpi opinantes. Qui autem noctes euigilant, dies integros dormiunt, à Pedone Albinouano Græca voce νυχτόβιοι, ab Anneo Seneca Lucifugæ appellati sunt: ex quo illud Horatij ad Mecœnatem:

Huic

Huic parco paucis contento, quinque diebus
Nil erat in loculis: noctes vigilabat ad ipsum
Mane, diē totum stertebat: nil fuit vnquam
Sic impar sibi.

Quo loco ad istos certè Lychnobios poëta Horatius respexit: cuiusmodi à veteribus quidam Imperatores notantur, qui peruerso naturæ ordine noctes totas perui gilarent. Sed & Butas Acilius, atque Spu. Pansa, vt apud eundē Annæum est, inter lucifugas reponūtur. Vnde elegans dictū Tib. Imperatoris de Acilio Buta celebratur: nam cum patrimonium ingens consumpsisset, & paupertatem suam apud Imperatorem fateretur: Serò, inquit Tiberius, ô Buta experrectus es. Hi enim homines, vt refert Seneca, qui se tenebris dicarunt, velut Antipodes sunt: quibus contraria quidem non regio, sed vita: qui solem nunquā orientem, aut occidentem aspiciunt. Sed enim defunctorū loco habendi sunt: neq; à funere absunt, qui ad faces, atq; cereos viuunt: quorum videlicet cōtrarius vsus atque præposterus Varro equiti Roma. occasionem perelegantis dicterij præbuit. Hermerobaptistæ autē apud Iudæos hi vocati sunt hæretici, qui quotidie seipsos, ac sua etiam vestimenta abluere consueuerunt. Verùm de re hac secreto opere complura attulimus.

Quib

Quibus rationibus Ageſilaus princeps, & Plotinus Philoſophus ſuas imagines effingi noluerunt: ac de Alexandro item Macedone nonnihil. CAP. VII.

SCriptum eſt in veterum hiſtoriis de Ageſilao Lacedæmonum principe, quòd is quidem perpetuo edicto cauit, ne quis eius imaginem vllo modo exprimeret: quòd exiſtimaret à nullo prorſus opifice ſingularem eius formam poſſe abſolui. Alexander autem Macedo, qui fortunæ aleam pro voto rexit, imperaſſe omnibus traditur, ne illius imago à pluribus effingeretur, quàm ab Apelle, Pyrgotele, & Polycleto qui in ſua quiſque arte quàm abſolutiſſimi forent: ne tanti regis effigies, vt inquit Apuleius, à multis paſſim artificibus contaminaretur. Itaque tantum permiſit, vt eam Polycletus ære duceret, Apelles coloribus delinearet, Pyrgoteles cælamine exculperet: quod & C. Plinius, & alij complures referunt. Vnde illud Horatij Flacci ad Auguſt. Octauium de rege Alexandro:

Edicto cauit, ne quis ſe præter Apellem
Pingeret, aut alius Lyſippo duceret æra
Fortis Alexandri vultum ſimulantia.

In quo tamen Lyſippum Horatius pro Polycleto adiecit. Plotinus autem philoſophus cùm eius imaginem quidam cuperet à pictoribus perfici, acerrimè reſtitit: minimè paſſus: vt di-

Biblioteca de Galicia

cebat, effigiem corporis exprimi, animum non videri. Amelius certè, qui & Gentilianus est dictus, nulla ratione ab eo id potuit exorare: quanquàm Plotino ipsi studiorum & beneuolentiæ causa maximè insedisset, vt qui annos supra XX. familiariter cum illo versatus foret: quod & Porphyrius testatur. Primus autem Asinius Pollio apud Ro. in bibliotheca ipsa imagines collocauit. cũ eã dedicaret: & ingenia hominũ, vt est autor Plinius, remp. fecit.

Qui Abecedarij, Syllabarij ac Nominarij sint apud Hieronymum: ac de Abecedario ex verbis Hieronymi, & Augustini.

CAP. VIII.

DE Hieronymi doctrina & ingenio sæpe aliàs diximus: in tanto enim viro nõ minus laudari debet vitæ, morúmque integritas, quàm veterum omnium disciplinarum egregia eruditio: nam & idem voces aliquot apud Latinos tam feliciter adinuenit, quàm apertè & commodè composuit: sicuti hæc sunt quibus discentium profectus in ipsa literatura seu literatione designatur, Abecedarij, Syllabarij, & Nominarij. Ita eos appellat, qui per suos disciplinæ gradus promouetã. Abecedarios, qui literarum seriem atque ordinem prosequantur. Syllabarios verò, qui syllabas ipsas colligere, & syllabatim legere incipiant. Nominarios eiusmodi homines, qui integra nomina

Biblioteca de Galicia

mina proferant. Siquidem ita discentium classes à veteribus institui consueuerunt, quod etiamnum in literarijs ludis apparet. Sed hoc totum perquàm eleganti descriptione à Hieronymo traditum est, in commentario Mosaicæ philosophiæ, quo Adamantium Originem interpretatur. Dabimus, inquit, in nostra etiam lingua similitudinem, qua consequentiæ huius ratio pateſcat. In literario ludo, vbi pueri prima elementa suscipiunt, Abecedarij dicuntur quidam, alij Syllabarij, alij Nominarij, alij iam calculatores appellantur: & cùm audierimus hæc nomina, ex ipsis qui sint in pueris profectus agnoscimus: similiter & in liberalibus studijs, cùm aut locum recitare, aut allocutionem, vel laudem, aliasq; per ordinem materias audierimus, ex materiæ nomine profectum adolescentis aduertimus, hactenus Hieronymus. Sed Augustinus item Abecedariũ vocat ordinem illum literarum, quem pueruli condiscunt: quod & Fabitidem Fulgentius in Mythologicis sequitur. Ordinem autem hunc literarium syllabarum, & nominum diligenter ac doctè Mallius expressit his versibus:

Vt rudibus pueris monstratur litera primũ
Per faciem, nomenq; sum componitur vsus:
Tunc coniuncta suis formatur syllaba nodis:
Hinc verbis structura venit: p verba ligãdi
Tunc rerum vires atque artis traditur vsus:

Biblioteca de Galicia

Pérque pedes proprios naſcentia carmina ſurgunt:
Singulaq; in ſumma prodeſt dediciſſe priora.

De Romanis vatibus antiquiſſimis, eorumq; hymnis & canticis: tum qui dicerẽtur Mineruij, Ianales, & Iunonij verſ⁹.

CAPVT IX.

PRimos fuiſſe apud Ro. Po. vates Publium Calenum, Martium, & Liuium Andronicum veterum commẽtarij tradunt. Hi enim eiuſmodi vaticinia ac verſus effuderunt, vt eſt autor Cicero, quos Fauni, Vateſq; canebãt: ſed enim illorum carmen ferè, aut ad laudem Deorum referebatur, aut ad ciuitatis luſtrationem & prodigia expianda. Liuius autem Andronicus eos verſus compoſuit, qui à ternouenis virginibus per vrbem celebrati ſunt in Iunonem reginam, data reſti per manus: vt copioſè relatum eſt à Liuio in rebus geſtis Rom. Pop. qui carmen illud veluti abhorrens, & inconditum prætereundum putauit. Sed & mox P. Licinius Tegula ad expianda prodigia carmen itidem conſimile effecit, idq; ex reſponſo decemuirali traditur abſolutum. Zoſimus quoque diligenter obſeruauit, quibus hymnis, & pæanibus in templo Palatini Appollinis Ro. Pop. vteretur. Tum quo ritu ter nouẽ pueri nobiles patrimi & matrimi cum totidẽ virginibus illos decantarent. Nec illud omittendum,

Biblioteca de Galicia

dum, Iunonios quidem versus, Mineruiósque & Ianales propterea dictos à priscis, quod eorum numini ac maiestati dicarentur: de quibus Varro Terentius, aliq; autores mentionem faciunt.

De M. Antonio, qui leonibus, ad currum iunctis vehi consueuit: ac de Heliogabali portentoso ingenio, qui leones, tygresq;, & mulieres ad currum iunxerit.

CAP. X.

MArcus Antonius primus, vt inquit Plinius, iugatos Leones ad currũ iunxit ciuili bello post pugnam Pharsalicam, & ab illis vectus est cũ Mima Citharœda. De Antonino autem Heliogabalo, qui orbis terrarum (ita dijs placuit) Imperator fuit, sic à Lãpridio scriptum est: Quaternos, inquit, canes ad currũ iunxit, eóque modo vectatus est. Idem quoque iunctis quatuor ceruis in publicum processit: sed & leones coniunxit, Cybelense appellans. Iunxit & tygres Liberum patrem se vocans. Habuit gemmata vehicula, & aurata: atque vt insaniam libidini adderet, iunxit etiam quaternas mulieres, nudusq; à nudis peruectus est. De Firmo Impera. qui robustissimus est habitus, & illud ab Aurelio liberto scriptum est, eum fuisse vectum ingentibus struthionibus, adeò vt magis volare, quàm gestari videretur: quæ res à Vopisco etiam refertur.

Biblioteca de Galicia

PETRI CRI-NITI DE HONESTA DISCIPLINA COMMENT.

LIBER XVII.

Quot apud veteres idiomata celebrarentur: ac de illorum inuentoribus: tum perelegantes senarij appositi: & de Gordiani Imper. sepulcro. CAP. I.

QVONIAM *sæpe in quæstionem venit, Quot apud veteres idiomatũ genera fuerint, quæq; maximè celebrata: putaui non indignũ fore, si senariolos quosdam de septem linguis subijciam: quos equidem in pervetusto codice legi ex bibliotheca Septimana. In eo enim libro multiplex linguarum varietas demonstratur, tum quòd septem literarum genera præcellant, vt Hebraicæ, Atticæ, Latinæ, Syriæ, Chaldææ, Aegyptiacæ, ac Geticæ. Sed audiamus veteres versiculos, ne impendio longius euagemur:*

Moyses

Biblioteca de Galicia

Moyses primus Hebraicas exaravit literas:
Mente Phœnices sagaci cõdiderunt Atticas:
Quas Latini scriptitamus, edidit Nicostrata:
Abraham Syras, & idẽ repperit Chaldaicas:
Isis arte non minore protulit Aegyptias:
Gulfila prompsit Getarum quas videmus ultimas.

Notũ verò & illud quòd Aug. Gordiani sepulchrum apud Circeum castrum titulum diu seruarit varijs linguis decoratum: literis quidẽ & Græcis, & Latinis, & Persicis, & Iudaicis, & Aegyptiacis. Epitaphion autem id est: DIVO GORDIANO VICTORI PERSARVM, VICTORI GOTTORVM, VICTORI SARMATARVM, DEPVLSORI ROMANARVM SEDITIONVM, VICTORI GERMANORVM, SED NON VICTORI PHILIPPI. *de quare alibi commodius dictum est,*

De Maximini Imperatoris sæuitia, & versiculis contra eum vulgò prolatis.

CAP. II.

Diocletiani Imperatoris dictum celebre est: Nihil propè in tota vita esse difficilius, quàm Imperatorem bene imperare: quod ab eo tamen dictum creditur antequàm factus esset Imperator. Et sanè ex annalibus antiquorum facillimè quiuis intelligit, quàm pauci

Biblioteca de Galicia

omnino fuerint ex tanto principum numero, qui optimè Imperium administrarint. Siue enim licentia & libido, siue rerum omnium copia eorum animos immutaret, mirum certè quàm breui ad scelestissima quæque proruerent: quod ipsum ex Claudijs Vitellijs Caligulis, & Neronibus apertissimè constat. Nam quid ego de heliogabalis nunc, & Maximinis, atque Commodis dicam: quorum scelera ac monstrosa prodigia in ipsius naturæ conuitium excreuerunt. Sed libitum mihi est versus aliquot contra Impera. Maximi senioris crudelitatem apponere. Is enim tam feri ingènij, tamque immanis fuit, vt illum alij Cyclopem, & alij Busiridem, Typhonem alij, aut Gygem appellitarent. Versus hi sunt, quibus Thracensi sæuitiæ illusum est:

Et qui ab vno non potest occidi, à multis occiditur.
Elephas quidem grandis est, & occiditur:
Leo fortis est, & tamen occiditur.
Tigris acerrimus est, & occiditur.
Caue multos, si singulos non times.

Id autem carmen ex Græco versum ob eam præcipuè causam apposui: vt si quando in Græcum incidamus, & illud æquè adijciatur. Habet hoc apud Iulium quoque Capitolinum ad Imperatorem Constantinum.

Horatij

Biblioteca de Galicia

Horatij carmen expositum de Cyclope in scena saltante: & de Cyclopeis ludis ex veterum autoritate, ac Lucilij versus de Polyphemo. CAP. III.

NOn defuerunt apud Græcos qui de ludis, & eorum varietate permulta scriberent: sicuti ex nostris Annæus Seneca, & Suetonius Tranquillus. Inter cæteras autem voluptates. scenicas celebrari video Cyclopea: sic enim vocarunt, cum ipsum Cyclopem in scena saltantem proferrent, habitu, & ornamentis, quibus Polyphemus apud ipsos maximè poëtas decoratur. Quod ego duxi obseruandum, vt apud Flaccum Horatium locum intepretemur, paulò indiligentius ab alijs expositum. Itaque sic allusit, cùm de Sarmento scurra, & Messio Osco, eorúmque litibus disserit, ac Messium ore fœdo, & facie turpi, similemq; larvæ reddit.

Campanum (inquit) in morbum in faciem
permulta iocatus
Pastorem saltaret vti Cyclopa rogabat:
Nil illi larua, aut tragicis opus esse cothurnis.

Quo loco saltare Cyclopa, nihil puto aliud ab Horatio intelligi, quàm & fronte & habitu talem fuisse Messium, vt Polyphemum in scena saltantem posset exprimere, ac risum de se spectantibus facilè commouere. Sed eorum nomina referam, qui hoc in scena spectaculum exhibuerunt. Carinus, quidem Imperator (vt

Biblioteca de Galicia

Flauius Vopiscus in tertio ab Bassum libro tradit) ludos fecit apparatissimos, ac mimos vndique aduocauit: exhibuit etiam ludum Sarmaticum, quo dulcius nihil est: exhibuit & Cyclopem adornatum. Trebellius item Pollio (cum Galienus Imperat. decennia varijs ludis celebraret) Cyclopem, inquit, etiam luserunt omnes arenarij, ita vt miranda quædam & stupenda monstrarent. Lucilius autem poëta (qui primus condidit styli nasum) Homerica imitatione it a in satyris de Polyphemo iocatus est:

Multa hominum portenta in Homero versificata
Monstra putant: quorum in primis Polyphemus ducentos
Cyclops longus pedes: huic porrò maius bacillum
Malus maximus sit quàm in naui, & corbita in vlla.

Quo habitu ac figura Stylus esset apud veteres, ac de parte eius deletili: & quid item sit Stylum vertere, ex Augustino, Hieronymo, & aliis. CAP. IIII.

IN libro Sermonum primo sic apud Horatium legitur, quo loco poëtæ Lucilij carmen, vt minus cultum & incompositum reprehenditur:

Sæpe stylũ vertas, iterũ quæ digna legi sunt
Scripturus: neque te vt miretur turba labores,

Biblioteca de Galicia

bores,
Contentis paucis lectoribus.
Id ego solitus sum ad hunc ferè modum interpretari, vertere vt stylum quis dicatur, cùm scripta ipsa inducuntur, ac delentur: quoniam qua parte aculeatus is esset, atque subulatus, ea potissimum exararent: qua verò parte latiuscula acies foret, hac delere aliquid (siquibi vsus peteret) consuerunt. Tales autem stylos etiamnum graphiarij nostri habent. Sed quoniam priores partes agit scriptio, quàm litura: propterea cùm delebant, hoc est, latiorem ac deletilem styli partem conuertebant, vertisse stylum dicebantur. Quod etiam à diuo Hieronymo notatum est, qui meliorem styli partem nominat, quæ peiora de autoribus expungat: sicuti & Rufinus in eundem Hieronymum recenset. Stultus ego, inquit, qui me putarim hoc absque philosophis scire non posse, qui meliorem styli partem elegeram, eam quæ deleret, quàm quæ scriberet: frustra Alexandri commentarios verti, & Porphyrij Isagogen expendi. Sed hoc idem ex verbis Augustini multò copiosius elicitur, quæ sunt in libro de quantitate animæ: quo loco rem minimam, sed admirabilem tamen, tam presse, tam significanter descripsit homo ille, non sanctitate minus, quàm doctrina summus, vt ob id etiam indicasse mihi videatur, quantum in Romana eloquent

eloquentia potuisset : nisi se minus interdum ad audientium aures & mensuram submisisset. Sed adscribam verba ipsa Augustini, idq; paulò prolixius, quoniam cæteris quidem credo vsu euenturum, quod & mihi accidit, vt cum voluptate mirifica perlegantur. Ab hoc (inquit) me reuocat quòd hisce hausi oculis penè serius, quàm credi potest : sed certè non serius, quàm deberet. Cùm enim nuper in agro essemus Liguriæ, nostri illi adolescentes (qui tunc mecum erant studiorum suorum gratia) animaduerterunt humi iacentes, in opaco loco reptantem bestiolam multipedem: longum dico quendam vermiculum, vulgo notus est : hoc tamen quod dicam, nunquam in eo expertus eram. Verso namq; stylo (quem fortè habebat vnus illorum) animal medium percussit : tum ambæ partes corporis ab illo vulnere in contraria discesserunt, tanta pedum celeritate, ac nihilò imbecilliore nisu, quàm si duo huiuscemodi animalia forent. Quo miraculo exterriti, causæque curiosi, ad nos vbi simul ego & Alipius considebamus, alacriter viuentia frusta illa detulerunt : neque nos parum commoti, ea currere in tabula quoquouersum poterant, cernebamus: atque vnum ipsorum stylo tactum contorquebat sese ad doloris locũ nihil sentiente altero, ac suos alibi motus peragente. Quid plura? Tentauimus quatenus id valeret,

ret atque vermiculum, imò iam vermiculos, in multas partes concidimus: ita omnes mouebantur, vt nisi à nobis illud factum esset, & comparerent vulnera recentia, totidem illos separatim natos, ac sibi quemque vixisse crederemus, hæc Augustinus. Vides autem verso stylo dissectum fuisse animal, hoc est, parte eius deletili, qua scriptorum quoq; emendatio perficitur. Hinc illud Fabij ad Marcellum, Stylum ipsum non minus agere cùm delet. Qua in re vel Angeli Politiani manibus habẽda est gratia, à quo simili his aliquando audiuimus.

Quæ sint Surperastra in geniculis puerorum alligata: & Aristotelis verba in Politicis, ex Varronis sententia exposita.

CAP. V.

SCribit Aristoteles copiosè in Politicis, qua ratione prospiciendum sit hominibus, qui in tenera adhuc ætate versentur: quibúsque cibis maximè nutriendi, quò magis coalescere possint eorumq; vires reddi auctiores atque solidiores. Tum explicat etiam adhibendam diligentiam vt ambulare infantes doceantur exemplo videlicet quorundam populorum, ne membra (vt idem inquit Aristoteles) in tenera ætate deprauata, ac distorta reddantur. Itaque instrumentis ac machinis quibusdam vtuntur, quò puerorum corpus & validius & rectius seruetur. Quod ego ob id putaui referendum: quoniam

niam M. Varro Latina voce Serperaſtra appellat ea inſtrumenta, quibus adhuc infantes anniculi ad greſſum ſubriguntur, & ambulando facilius pergunt, ne intorta crura ſint: vel inæquali gradu inambulent: nam genu alligare illa Romani conſueuerunt, ne vaciæ (vt inquit Varro) aut compernes fierent. Verba eius hæc ſunt in libris de Latina lingua ad M. Ciceronem: Si quis in conſuetudine ambulãdi factus ſit vacia, aut cõpernis: ſi eum corrigi non concedat, non ſequitur vt ſtultum faciant, qui pueris in geniculis alligant ſerperaſtra, vt eorum deprauata corrigant crura: cùm deculpandus non ſit medicus, qui è longinqua mala conſuetudine ægrum in meliorem traduxit. M. quoq; Cicero cùm de ſuis cohortibus agit, in epiſtola ad Pomponium ludens, Serperaſtra ſuæ cohortis nominat: niſi fortè nomen hoc foret cohortis: vt legio quæ Alauda, & quæ Rapax̃ diceretur. De Serperaſtris, inquit, cohortis meæ non eſt quod doleas, ipſi enim ſe collegerunt admiratione vitæ integritatis meæ. Sed hoc ex Cicerone conſiderandum melius eſt. Dicta ſunt autem Serperaſtra (vt puto) ab inſerpendo: quoniam infantes ipſi reptare potius & inſerpere, quàm ambulare primùm videntur. qua figura & Seliquaſtrum dicimus quod à ſedendo M. Varro paulò incommodius detorquet.

Quid

Biblioteca de Galicia

Quid sit propriè Lychnuchos: & emendata vox in Suetonij historia: tum Lucretij poëtæ carmen additum. CAP. VI.

DEprauata vox est in C. Suetonij codicibus, quã facilè agnoscent hi omnes, quibus & Græcæ literaturæ haud imperiti omnino sunt, & vetustatis non incuriosi: nam verbum quod est Lychnuchos tam exemptum est è vita Iulij Cæs. quàm è Flauij Domitiani: próque eo Lychnos ineruditè, ac perperam subscripserunt: cùm codices ferè omnes vetustiores Lychnuchos retineant. Qua in re non minus antiquitati concedendum putamus, quàm autoritati. Ad hũc igitur modum Tranquillus: C. inquit, Cæsarem dictatorem capitolium ascendisse, ad lumina elephantis dextra ac sinistra lychnuchos gestantibus. Et in Domitiano item: Venationes, inquit, & gladiatores noctibus ad lychnuchos, exhibuit. Ita enim veteres & probati codices in Vaticana etiam bibliotheca habent. Neque est aliud Lychnuchus quàm laterna, quæ Græcè φανὸς, aut λύχνος, etsi facem vel lucem quidam interpretantur. De quibus permulta sunt in Suidæ collectaneis Sed & Pollux ad Commodum, & Athenæus in dipnosophistis meminit: tum multos ad id autores aduocat, vt Alexin, & Aristophanem veteres poëtas: apud quos pro laterna videatur lychnuchus accipiendus. Et Alexis quidem perle

perlepidè sic iocatus est de Lychnucho in fabulis:

Qui primus excogitauit, vt noctu cum Lychnucho deambularet,

Is profectò amator aliquis digitorum fuit.

Dictum verò id verbum eadem figura, qua Ceruchon, Septruchon, Ophiuchon, & alia eiusdem generis. Sed & poëta Lucretius nihil aliud nobis insinuat, quàm istos lychnuchos, qui in ædibus nobiliorum viserentur, vnde lumen ad nocturna conuiuia suppeditari posset:

Si non aurea sunt (inquit) iuuenum simulacra per ædes,

Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,

Lumina nocturnis epulis vt suppeditentur:

Nec domus argento fulgens, auroq; renidet:

Nec citharis reboãt laqueata, auritaq; tẽpla.

Nam & C. Plinius Lychnuchos pensiles nominat: vbi Lychnos falso legebatur: quod Hermolaus fatetur: ex quo etiamnum Romæ lapis hoc titulo insculptus: PANTHEI CVM SVIS PARERGEIS, ET CVPIDINES DVO CVM SVIS LYCHNVCHEIS. *Locũ verò Suetonij & Politianus agnouit, vir & ingenio acri, & lectione multiplici excellens. De Xylolychnio autem de Obeliscolychnio aliàs dictum à nobis est.*

Quid

Quid in veterũ nummis sit, A.A.A.F.F. ac de tribunitia potestate ad nummos signandos: tum locus ex Decemuiralibus tabulis.

CAP. VII.

IN veterum nummis literas quandoq; eiusmodi cõperias, vix vt sensum satis possis colligere ex illis: qualis hæc inscriptio alicubi inuenitur: quæ ad Imperij Ro. amplitudinẽ atque dignitatẽ pertinet, A.A.A.F.F. In his autem literis (nisi fortè decipior) id significatur, Aere, argẽto, auro, flãdo, ferũdo. Quòd in quorundã cõmentarijs etiam deprehẽditur, in quibus de potestate ac viribus notarum agitur: quem ego librum haud equidem Probo Valerio adscribendum existimo, qui de notis Cæsarianis præter alia multa commentarium fecit, quod à Gellio in Atticis refertur. Libuit hãc rem, ob eam præcipuè rationem adnotare: quoniam istiusmodi inscriptio aliter ferè à multis exponitur. Illud autem diu seruatum est à S.P.Q.R. vt argentũ deuictis gentibus duntaxat imperarent, quod & Plinius Nouocomensis testatur. Signandi verò nummi potestas ad ipsos tribunos relata est, sicuti & leges Decemuirales probant: in quibus verba ipsa ita se habent, ne quis maiorem in hoc diligentiam desideret:

Tribuni sunto: domi pecuniam publicam custodiunto:

Biblioteca de Galicia

Vincula fontiũ seruãto, capitalia vindicãto: Aes, argentum, aurúmue publicè signanto. Quod ipsum à *M. Tullio, & C. Plinio in metallicis approbatur.*

Qui sint apud Iurecõsultos Directarij, & Dirigere: ac restituta in Pãdectis verior lectio: tum quid apud Græcos Tichobates intelligatur. CAP. VIII.

Directarij qui sint apud Iureconsultos, ipsi nobis Digestorũ libri indicant: nam & in Vlpiani verbis posituũ id est, quo loco de saccularijs & directarijs mentio habetur: quanquam in vulgatis codicibus, pro Directarijs, Detrectarios ferè inuenias. Quin & hoc idem docet alibi Vlp. etsi falsa Diætarij scriptum est. Quem locum viri paulò diligentiores non improbabunt: quando & Pandectarum libri ipsi antiquissimi, qui Florentiæ sunt in Martiana bibliotheca, huic sententiæ astipulantur. Verba autem Pauli hæc sunt: Cùm de criminibus extraordinarijs agitur, saccularij qui vetitas artes exercentes, in sacculos partem subducũt, partem subtrahunt: itẽ qui directarij appellantur: hoc est, hi homines, qui in aliena se cœnacula direxerint furãdi animo, plus quã fures puniẽdi sunt. Vtrobique autem ridiculus est Accursius: nisi veniam dare homini malis, quoniam rudi seculo, ac prorsus illiterato natus est: sed retineri tamen eius nugas, & hac ætate à nostris

Biblioteca de Galicia

stris Iureconsultis defendi, quæ literæ omnes, ac honestiores disciplinæ permultum incrementi acceperint, id ego vix ferendum existimo, ab his præsertim, qui bonarum literarum sacris initiati, & exculti sunt. Sed hoc ipsum (dijs iuuantibus) commodius asseremus: multa enim in iure ciuili accepta perperam, & ineptè exposita, sententias persæpe afferunt violentas, & falsas, quas defendere nemo ipsorum possit: cùm sint adeò nostri legulei à Romanis studijs & melioribus disciplinis abhorrentes. Qui autem Directarios fures istos nominarunt, à dirigendo arbitror vocem hanc inflexerunt: quòd in alienam domum se dirigere, perinde sit, atque ingredi. Eosdem verò esse directarios quidam dixerunt, qui τειχοβατας à Græcis vocantur, apud quos frequens hoc verbum comperies: tametsi Flauius etiam Vopiscus hac voce vsus est in libro historiarum tertio ad Bassum. De Carino, inquit, & Numeriano AA. memorandum id est, quòd ludos popul. Roman. spectaculis ornatos dederunt. Inter alia enim exhibitus est τειχοβάτης, qui per parietem vrso eluso cucurrit.

De Tertulliani eruditione, ac eius verba contra Marcionem hæreticum relata: & quomodo Hieronymus ea transtulerit.

CAPVT IX.

Biblioteca de Galicia

LIbros aliquot eruditè atque acriter scripsit Septimius Tertullianus cõtra Marcionem hæreticum : qui Stoicorum disciplinam secutus bina principia, binósque Deos ponebat, bonum & malum : sed in his quidem libris Tertullianus eleganter interdum & copiosè leuitatis, inconstantiæ, atque improbitatis Marcionem accusat : cuiusmodi sunt hæc, quæ ob ipsam gratiam orationis καὶ δύναμιν volui subscribere: Noster, inquit, Marcio Scytha tetrior, Amaxobio instabilior, Massageta inhumanior, Amaxonia audacior, Nubilo obscurior, Hyeme frigidior, Istro fallacior, Caucaso abruptior. Quem locum diuus Hieronymus (vt alia multa) secutus est, transmutatis quibusdam verbis atque transpositis, in libro contra Vigilantium, quem per antiphrasin Dormitantium vocat.

Mos veterum de mittenda Imperatorum imagine ad Vrbem siquando in absentia crearentur : & quòd ipsi Iudæi nullas imagines Cæsarum recipere voluerunt, CAP. X.

RElatum in literis est, quemadmodum Romani Imperatores cũ hoc nomẽ, & Augustã dignitatẽ, in absentia cõsequerentur, soliti sunt propriã effigiẽ ad vrbẽ mittere, quò seipsos Senatui P.Q.R. facilius insinuarẽt. Hoc ego putaui ob eam causam obseruandum, quoniam

Biblioteca de Galicia

niam ante Antoninorum imperium memini, vt opinor, legitur accidisse: permulti autem id effecerunt subsequentibus annis, qui suã imaginem ad Vrbem miserunt: quod Ammianus Marcellinus, & Zosimus historiæ Ro. autores testantur. Nam & Constãtij Imper. imago recepta in vrbem est, & item Galerij: quin & Maxentius effigiẽ suã Carthagini destinauit, vt suo nomini atque autoritati magis conciliaret Carthaginiensem populum: quòd à copijs & militibus Galerianis prohibitũ fuit, renuentibus dignitatem Maxẽtij fieri ampliorem: sicut à Zosimo traditum est. Illud autem minimè omittã, quemadmodũ C. Cæsar cùm Iudæis populis imperasset, vt eius effigiem templo reciperent, nullis rationibus adduci potuerunt, vt hoc perficerent, sed arma potius sumpserunt, quàm vt illud animo Cæsaris concederent. Seruatũ est enim à Iudæis magna religione, vt nullam prorsus imaginem, aut simulacrũ in templis haberent, sed vnũ duntaxat Deũ mente ipsa concipientes colere consuerũt: quod Aegyptij contẽnentes, varias ac multiplices animalium formas pro dijs habuerunt. Itaque sic Tacitus Cornelius de Iudæis: Vnũ, inquit, numẽ sola mente intelligunt: profanos credunt, qui Deũm imagines mortalibus materijs in species hominum effingant: solũ illud & æternũ, neque mutabile, neque interiturum. Nulla igitur simulacra suis

Biblioteca de Galicia

vrbibus, nedum templis sunt: non regibus hæc adulatio, non Cæsaribus honor. Neq; illud quidem ignoratur, morem fuisse Rom. Imperatoribus, suas quoque imagines in templis adorandas apponere: quod à Septimio Tertulliano magnis conuitijs accusatur, atque exibilatur.

Qui sint apud Ælium Lampridiũ Bene nasati homines, ac de Imperatoris Antonini Heliogabali flagitiosa & infanda libidine. CAP. XI.

NOn committam, quò minus apud Aelium Lampridium exponamus, quinam sint homines benè nasati in vita Antonini Heliogabali Imperatoris, qui Bene nasatos homines frequenter appellare consueuit, cum mutoniatos, benéque mentulatos significabat. Quod equidem propterea censui adnotandum, vt eorum insciticæ ac ineptijs occurratur, qui Benè vasatos improbissimè & legunt, & exponunt. Flauius certè Blondus Nasatos homines apud Lampridium pro his insciti ssimè accipit, qui admodum dites, & opulenti forent. Nemini autem non constat, Antoninum quidem Heliogabalum in tota vita fuisse tam extremi luxus, ac nefandæ libidinis, vt potius seipsum naturæ portentum, quàm Romanum Imperatorem probaret. Inter alia enim vitæ scelera atque flagitia, lenones, meretri-

ces

Biblioteca de Galicia

ces, exoletos, ac subactores propè innumeros collegit, illisque nasatos homines adiecit: hoc est (vt Lampridius etiam notauit) viriliores: quoniam illis Heliogabalus ad libidinem & flagitium scelestissimè vtebatur. Quocirca sic Lampridius ad Constantinum Imperatorẽ de prodigiosa eius libidine: Quis ferre posset, inquit, principem per cuncta cana corporis libidinem recipientem, cùm ne beluam quidem talem quisquam ferat? Romæ denique nihil egit aliud, nisi vt emissarios haberet, qui ei bene nasatos perquirerent, eósque ad aulam perducerent, vt eorum cõditionibus frui posset. Sed hanc ipsam vocem sæpius apud eundem comperies: facilè vt appareat, quantum hi homines incurrant, qui sunt in legendis, pensandísque autoribus oscitantes, atque segniores. Nam & Maioris peculij eosdem vocat: quoniam viriliores ferè viderẽtur: vnde & prouerbium vulgò detritum, de nasatorum peculio.

De Architæ Columba volatili ex mechanica eius disciplina: ac de Boëthij philosophi pari ingenio & doctrina, ad mechanica quædam miranda efficienda, ex Cassiodori Variis. CAP. XII.

PErmultum laudatur in veterum commentarijs Architæ Tarentini eruditio & in-

Biblioteca de Galicia

genium. Nam & Plato Philosophus eidē Architæ plurimum concessit: cuius merito factum existimatur, vti Plato idem à Tyranno Dionysio seruaretur. In mechanicis verò magnopere Architas præstitit: sic vt eius quoque columbam ligneam ponduſculis quibusdam instructam, mirificoq; artificio fabrefactam volitasse scribant cùm alij autores, tum Phauorinus: qui vt egregiè vir doctus eam celebrauit, sicuti legitur in Atticis commentarijs. Id ego cùm diligentius considerarem, offendi consimile exemplum de Boëthio philosopho, quod ab Aurelio Cassiodoro relatum est in Variarū libris. Is enim Cassiodorus cum ad eundem Boëthiū scriberet, simulacra eiusmodi atq; mechanica opera libramentis adhibitis, summóque ingenio excogitata ab eo & confecta affirmat: vt aues deuolantes, & angues exibilantes. Et hercle tā magno ingenio fuit Boëthius, tamq; multiplici eruditione, vt facilè ad id credendū animū inducam, asserente hoc maximè Cassiodoro, qui fuisse traditur Regis Theoderici à secretis. Sed apponenda sunt eius verba ex Varijs, quò facilius atque cumulatius hoc totum pernoscatur. Tib. (inquit) ardua cognosse, & miracula monstrare propositum est: tuæ artis ingenio metalla mugiunt: Diomedes in ære grauius buccinatur: æneus anguis insibilat: aues simulatæ sunt: & quæ vocem propriam

nesc

nesciunt habere, dulcedinem cantilenæ probantur emittere. Parua de illo referimus, cui cælum imitari fas est. Hæc in Varijs Cassiodorus.

Mirandum, & adynaton videri, quod à Iosepho traditur de Alexandro Macedone: vt huic perinde ac Mosi mare Pamphylicum patuerit: cùm transfretaret in Persas cum exercitu. CAP. XIII.

DE Alexãdro Macedone, eiusq; maximis & felicissimis gestis, permulta & varia apud veteres scribuntur: sed quod in Iosephi historia compertum est, id omnino videtur maximè mirũ, penéque incredendum: cùm nemo alter ex antiquis (quos equidem legerim) talia de Alexandro retulerit. Iosephus verò (quem Iudæorum vernaculum appellat Tertullianus) cùm omnium Iudæorum historiam libris XX. complexus sit, de Mose, eiúsque vita & gestis eadem propemodum refert, quæ & in sacra historia habentur, & apud Philonem magna ex parte repetuntur, Quo autem loco inquit, cælesti consilio, ac diuina potestate permissum, vt Moses virga accepta mare Aegyptium diuiserit, quò Hebræorum copijs atque militi pervium iter fieret, & expeditio facilior: tãtundem, inquit Iosephus, de Alexandri Macedonis militibus scriptum fuisse Regem

Biblioteca de Galicia

Pamphylico mari imperasse, cumq; vniuerso exercitu transfretasse, disiuncto ac diuiso mari, vt inuadens Persiam victoria potiretur, deuictis atque subactis populis. Quod equidem cõsiderandum diligentius existimo, ac maturo iudicio expendendum. Siquidem miracula illa Mosis, & insignia facinora minimè debent Alexandri gestis comparari, ab his præsertim viris, qui in præsidio Christianæ militiæ à nostris collocentur. Neque mirari admodum oportet, si pro loquacissimo homine Tacitus Cornelius tantopere à nostris inceßitur: quando Iudæos ipsos dixerit superstitioni obnoxios, religioni aduersos, atque ad omnem libidinem proiectissimos: cùm & illi sua insignia & admiranda facinora Græculorum commentis, atque mendacijs comparent: quorum ingeniosa improbitas (vt autores conueniunt) nihil non audet in historia: sic vt mendaciorum parentes veteri prouerbio Græci censeantur.

Aureliani Imperatoris epistola ad Zenobiam Palmyrenorum Reginam: & eius responsum, quàm alto, & generoso animo ad eundem sit redditum. CAP. XIIII.

TEnent me commentaria quædam Græca, in quibus de Amalasiunta, de Zenobia, & Mammea agitur: quæ omnes & egregio quidem animo, & consilio non vulgari præstit

Biblioteca de Galicia

præstiterũt. Itaque magna voluptate, si cubi incidit, ea adnotamus in his commentarijs, quæ memoria digna sunt: quale hoc est, de Zenobia Palmyrenorum Regina, quæ tam generosi spiritus fuerit, vt Aureliani Aug. Imper. minas & dignitatem prorsus contemneret. Sed apponam vtriusque epistolam, ne quid hac in parte possit desiderari. Aurelianus Aug. Imper. Roma. orbis, & receptor orientis, Zenobiæ S. Sponte facere debuisti id, quod meis literis nunc iubetur. Deditionem præcipio tibi impunitate vitæ proposita, ita vt illic Zenobia cum tuis agas vitam, vbi te ex senatus amplissimi sententia collocauero: gemmas, argentum, aurum, sericum, equos, camelos, in ærarium Romanum conferas: Palmyrenis ius suum seruabitur. Ad hæc autem ita responsum est: Zenobia regina orientis Aureliano Aug. S.

Nemæ adhuc, præter te, quod poscis literis petijt: virtute faciendum est, quicquid in rebus bellicis gerendum. Deditionem mei petis, quasi nescias, Cleopatram Reginam perire maluisse, quàm dedititiam in qualibet viuere dignitate. Nobis Persarum auxilia non desunt, quæ iam speramus. Pro nobis sunt Saraceni, pro nobis Armenij. Latrones Syrij exercitũ tuũ Aureliane vicerunt. Quòd si illa venerit manus quæ vndique speratur, pones profectò supercilium, quo mihi nũc deditionem, quasi omnifariã victor,

imper

imperas. Has autem epistolas qui legere apud autores velit: is Flauiũ Vopiscum adeat, in libro ad Bassum primo, de Imperatorum gestis.

Vnde rerum principia atque effectus in vita existant: & quomodo Astrologi, Physici, atque Theologi inter se dissentiant.

CAPVT XV.

NOtandum & illud existimo, quòd ab Aurelio Augustino scribitur de his cõmodis, atque incommodis, quæ in vita ipsa mortalium eueniunt: quo pacto in tam varia, multiplicique rerum fortuna pro disciplinarum decretis, principia atque effectus habeantur. Astrologi (inquit) & hi qui Chaldæi vocantur, omnes morbos, atque calamitates, sideribus ac cælo adscribunt. Philosophi autem, physici, & medici, hæc eadem, aliaq; similia ad naturæ vires, & maiestatem referunt. Theologi verò vni Deo, eiúsque potestati, quàm imperare omnibus, & regere omnia meritò existimamus. Hæc Augustinus. In quo tamen imprudentiæ ac mendacij omnes illos accusat, qui non omnia ad vnius Dei potestatem, atque numen referunt. Quod ipsum & Origenes copiosè persequitur in libris, quos de Rerum principijs composuit.

Qui

Biblioteca de Galicia

Qui sit morbus Tonsillarum: & in qua maximè parte corporis: qualique origine dicantur Tonsillæ. CAP. XVI.

IN commentarijs medicorum inuenio & illa remedia esse relata quæ ad Tonsillas pertinent. Quo loco non minus partem faucium debemus accipere, quàm morbum ipsum qui fauces occupat. Itaque Cor. Celsus de Tonsillarũ curatione in hunc modum scribit: Si Tonsillæ sine exulceratione sunt, ac per inflammationem intumuerunt, caput velandum est extrinsecus, isque locus vapore calido fouendus: multa ambulatione vtendum, caput in lecto sublime habendum, gargarizandumq; ex reprimentibus. Radix quoque ea (quã dulcem appellant) contusæ, & in passo, mulsóve decocta idẽ præstat. Tum medicamina alia subijcit, quæ breuitati studentes omittimus: cùm plura à Claudio Galeno, aliisque medicis de eodem morbo referantur. Est autem hoc verbum per diminutionem dictum, sicuti à Pompeio Grammatico seruatum est ex Ver. Flacci commentarijs. Tolles, inquit, pro tumore faucium accipitur: quem per diminutionem Tonsillas vocamus. Aristoteles verò, & alij complures apud Græcos Paristhmia, & Antiades vocarunt. Inflammantur enim partes secundum fauces absceſsibus hulceroſis, Sed & M. Cicero palatum ac tonsillas

Biblioteca de Galicia

sillas nominat: cùm de hominis partibus disputat. C. Plinius tonsillas in homine constituit, in sue glandulas: quo loco disciplinam anatomicen explicat. Quod à nobis ob id repetitum est, vt quorundam imperitiam denotemus, qui de hoc morbo inscitè atque ineptè verba habuerunt. Neque illud ignoratur, quòd & Tonsas, Tonsillásque pro remis veteres acceperunt: vt Accius poëta, Ennius, atque alij: ex quo illud vulgatum ex Enniani Annalibus:

Pone petũt exim referunt ad pectora tonsas.

Et item:

Tonsillas rapuunt, configunt littus adunicas.

PETRI

PETRI CRINITI DE HONESTA DISCIPLINA COMMENT.

*

LIBER XVIII.

De Hormisda Persarũ principe: & quo astu atque commento è custodia sit liberatus ab vxore. CAP. I.

LIBET *exemplum de Hormisdæ fortuna, viri summi, referre, qui ex familia Persarum regia fuit, sicuti & Zosimus, & Marcellinus, aliíque cõmemorãt. Hic igitur Hormisda in colle quodam relegatus magno studio custodiebatur à Persis, qui fratrem illius minorem natu contra legem in regno maluerunt. Euenit autẽ vt Hormisdæ vxor tale commẽtum excogitaret, quò virum suum facilius posset ex vinculis eximere. Itaq; piscẽ eximia magnitudine ad illum mittit, inq; eius alueo limam ferream recondit, ac simul fidissimo eunucho mãdat, ne*

quo

quo præsente piscem illum comedat: tũ eo vtatur, quod in ventre inuenerit. Camelos quoque vino & cibis onustos custodibus mittit. Ille rei compos strenuè hoc facinus peragit, ac sumpta ibidem eunuchi veste, per medios custodes euasit incolumis. Neque me autẽ latet, alios quoq; similia quædam effecisse: sed hoc ipsum de Rege Hormisda non putaui omittendum, de quo alibi tamen complura retulimus.

Vergilij carmen emẽdatum cõtra quorundam insciti am: Furit intus aquai. ex Quintiliano & aliis autoribus.

CAP. II.

FAbius Quintilianus libro Institutionum primo ad Marcellum Victorium, Vnde picta vestis (inquit) & aquai, Vergilius doctissimus vetustatis inseruit. Sed illud Aquai tulerunt è nouis codicibus indiligentes, imprudentésq; librarij, proq; eo subdiderunt, Aulai, cùm veteres omninò codices, & ille in primis, quem ex Gallia Poggius in Italiam aduexit, Aquai retinent. Fuit autem causa librarijs adulterinam vocem pro vera subijciendi, quòd nusquam apud Vergilium legerant Aquai: cùm Aulai, & Picta legissent:

Aulai in medio libabant pocula Bacchi.

Et alibi:

Diues opum, diues picta vestis & auri.

Sed

Biblioteca de Galicia

Sed ego cogitans, non ab re factum esse, vt in eandem lectionem meliusculæ fidei codices conspirarent: cœpi curiosius indagare, an vsquam apud Vergilium potuerit esse aliquando hæc vox. Nec enim pauca quorundam inscitia, vel immutata hactenus, vel detracta adnotauimus. Inuenisse autem mihi videor, vel in Seruianis quidem commentarijs id ipsum, vt nihil præterea dubitari debeat. Versus igitur Vergiliani sic in libro Aeneid. septimo leguntur:

Sæuit amor ferri, & scelerata insania belli:
Ira super: magno veluti cum flamma sonore
Virgea suggeritur costis vndantis aheni:
Exultătq; æstu latices: furit intus aquæ vis:
Fumidus atque altè spumis exuberat amnis.

Quòd autem loco legimus Aquæ vis: legendum est Aquai, ad hunc modum:

-Furit intus aquai
Fumidus atque altè spumis exuberat amnis.

Cuius me lectionis Honoratus Seruius admonuit, qui diæresin esse hic factam dicit. Quòd si quis codices Seruianos paulò meliores nactus fuerit, facilè in his Aquai comperiet. Nam & in perulgatis ferè sic habetur: Hanc diæresin Tucca & Varus fecerunt. Nam Vergilius aliter scripsit. Quæ enim hoc loco fit diæresis, nisi illud Aquai restituatur? Quin & hoc ipsum in Persiano interprete (qui Cornutus dicitur) inuenias, cum Ennianum hoc exponit:

Biblioteca de Galicia

Lunai portum pretium est cognoscere clues. *Lunai* (*inquit*) *dictum est, secundum antiquã declinationem, sicuti Vergilius, Furit intus aquai. Quod etiam Benedictus Philologus* (*cùm de Vergiliana emẽdatione ad eum scriberem*) *comprobauit, vir vnus ætate nostra, qui de omni antiquitate sit optimè meritus, cùm in ea illustranda atque excolenda assiduo studio ac mirifica diligentia incumbat.*

Dictũ Demosthenis de sua fuga, ac verba Tertulliani exposita: & quo pacto Cicero & Demosthenes in propriis causis maximè degeneres, ac timidi fuerint.

CAPVT III.

NOtum est, & *in commentarijs celebratum Demosthenis oratoris dictum de sua ipsius desidia: Nam cùm is passim pro ignauo & inerti accusaretur, vt qui apud Cheroneam in bello segniorem se gessit, & fuga salutem sibi quæsiuit: percleganti hoc versiculo respondit, suisq; accusatoribus illusit:*

Ἀνὴρ ὁ (*inquit*) φεύγων, καὶ πάλιν μαχήσεται. *Quod à me seruatum est, vt Florentis Tertulliani verba exponerem, qui sententiam hanc eruditè* (*vt alia multa*) *mutuatus est, cùm de Rutilio viro sanctissimo loqueretur, in libro quem de persecutione ad Scapulam composuit. Verba eius hæc sunt: Sed omissis quidem diuinis exercitationibus, illum magis*

Græcum

Biblioteca de Galicia

Græcum versiculum secularis scientiæ sibi adhibent: Qui fugiebat, rursus ibi præliabitur, vt & rursus forsitan fugiat, in quo facilè apparet, quid ipse Tertullianus vir egregiè doctus insinuet. Re autem vera Demosthenes pro ignauo, & maximè timido accusatus est: siquidem vel in propria causa dicturus, prius traditur aufugisse quàm in iudicium deuenerit. Quod etiam in M. Cicerone turpius, & indignius visum est, qui cùm in aliorum causis nemini prorsus concederet: in sua tamen mirum quàm timidum se, ac pauidum præstiterit: sicuti cùm à Clodio in iudicium vocatus est, quòd is Lentulum, & Cethegum ante sententiam à Senatu prolatam supplicio affecisset. Tunc enim non vili modò & sordida veste indutus, sed squallidus, & plorabundus, familiares, amicos, atque notos supplex adijt, obsecrans, atque obtestans omnes: vt risum magis, quàm commiserationem de se concitauerit. Quod Appianus Alexandrinus in Romana historia refert.

Horatij poëtæ versus expositi contra aliorum sententiam de Attæ fabulis, cùm inquit: Rectè nécne crocum, floresq; perambulet Attæ Fabula, Ac de croco in scenis expositum. CAP. IIII.

HOratij Flacci versus hi sunt in epistola ad Octauium Augustum, quo loco de

Biblioteca de Galicia

Romanis poëtis iudicium facit:

Rectè nécne crocum, floresque perambulet Attæ
Fabula. si dubitem, clament periisse pudorem
Cuncti penè patres: ea cùm reprehendere coner,
Quæ grauis Aesopus, quæ doctus Roscius egit.

In his ego versibus cùm aliquando interpretum commentarios desiderarem, legi apud eos deridicula quædam, & planè nugas: siquidem fabulam dicunt ab Atta scriptam, in qua de floribus ageretur: ceu officium poëtæ comici sit, de floribus scribere. Neque hæc vllo quidem autore traduntur, quo nihil potest esse in bonis disciplinis iniquius, aut pestilentius. Quin illud magis fuerat explicandum, quisnam hic Atta, aut quid in scena crocus, & flores. Quæ cùm paulò diligentius pensitarem, haud abre futurum putaui si Horatianum sensum exponerem. Constat igitur Attam ipsum comœdiarum autorem fuisse haud incelebrem: vt in poëtis diximus, ex quo, inquit Horatius, si velim nunc Attæ fabulas (vt critici solent) reprehendere, quod in scenam vix afferri debeant: omnes me insciliæ, atque imprudentiæ arguent. Videbor enim addubitare, an satis in scena suas partes absoluerit: hoc est, crocum & flo-

res

res perambulare. quoniam consuetudo apud veteres, vti cùm fabulæ agerentur, flores ibidem, aliáque odoramenta inspergerentur. Hinc Lucretianum illud in libro ad Memm. II.

Et cùm scena croco Cilici perfusa recens est:
Allaq; panchæos exhalat propter odores.

Nam & P. quoque Vergilius idem intellexit: cùm in Georgicis dixerit, ex Tmolo croceos mitti odores: quo loco Seruiana expositio vt ineptior, atque indoctior iure incessitur. Iam & Hadrianus Imperator in Traiani Augusti honorem balsama & crocum per gradus theatri fluere iussit: quod Aelius Spartianus ad Cæsarem Diocletianum commemorat. Neque scenam ipsam duntaxat, quæ in theatro erat, varijs floribus ornabant: sed & mensas etiam Antoninus quidem Heliogabalus, qui naturæ portentum dici potest, cùm viros summos inuitasset ad prandium, mensam croco struebat, se fœnum, dicens, pro eorum dignitate exhibere. Sed nolo hac in re impendio longius vagari, ne ambitioni potius, quàm autoritati videamur concessisse. Nam de re hac & Plinius Nouocomensis, & Suetonius Tranquillus egerunt: vt poëtas mittamus. Hinc illud etiam peruulgatum:

Pulpita solennes non oluere crocos.

Quid apud veteres Muginari significet & quomodo ea voce vtatur Cicero: &

Biblioteca de Galicia

quid item sit apud Varronem ex prouerbio, min facere. CAP. V.

REprehendi video à quibusdam verbum hoc quod est Muginari, quasi asperum & minus Latinum: vel vt alij dixerunt, obscurum nimis & insolens: quod ego ferendum non puto ne illa omnia pro absurdis, ac plebeis statim reiiciamus quæ cùm veterum vsus concedit tum autoritas doctiorum defendit. Nec enim Lucilius tantùm in satyris hac voce vsus est: sed etiam M. Cicero. Poëta verò Lucilius sic ad Attam:

Muginamur, (inquit) molimur, subducimur Atta,

Quod ipsum alibi apud eundem seruatum est, vt Marcellus Grammaticus notauit in commentario de proprietate sermonis. Sed & M. Cicero (qui vnus omnium Romanè loquutus est) minimè ab hoc verbo abstinuit, quando in epistola apud Pomponium Atticum sic scribat: De Ocella dum tu muginaris, neque mihi rescribis, cepi consilium domesticum. Neque praterea defuerunt, qui in Plinij præfatione ad Imperatorem Vespasianum ita legant: Dum ista (vt ait M. Varro) muginamur, pluribus certè horis viuimus. Festus quoque Pompeius in hoc inquit verbo accipiendum, cùm quid molimur, & quasi tardius conamur. Est enim propè ac Mussitare, et Min facere: sicuti à Varrone relatum est: Quin min facere inquit illos

Biblioteca de Galicia

qui vix proloqui audeant: sed summussando hesitantes in aliquo apparent: ex quo prouerbium contra subuerētes. Quocirca sic poëta Ennius in Roma. Annalibus:

Quod minimum est: neque (vt aiunt) min facere audent.

Quod ita Publius Vergilius imitādo emolliuit:

Quid fortuna ferat populi: sed dicere mussat.

Qui sint proprie milites Ærediruti apud poëtam Ausonium: ac eiusdem verba in epistola explicata. CAP. VI.

AVsonius Gallus verbo vtitur, quod est Aeredirutus, in epistola ad Paulinum super ludicro opere, quod ab eo Centonis nomine inscribitur: Et quia, inquit, sub imperante metu merui, procedere mihi inter frequentes stipendium iubebis: finaliter æredirutum facies: vt cumulo Carminis in fiscum suum redacto, redeant versus vnde venerunt. Hactenus Ausonius. Sciendum verò, quod Aerediruti milites eiusmodi appellati sunt, quibus propter ignominiam stipendium subtrahatur. Iocatur enim Ausonius de versibus Vergilianis quòd sparsos, laceratósque passim collegerit, & in vnum veluti opus contexuerit, vt ex alieno, suum poëma factum sit. Nam si carmen, inquit, redeat vnde venerit, haud quaquam strenuus, & frequens in militia haberi potero: proindéque me potius inertem, & ære-

Biblioteca de Galicia

dirutum dixeris: neque mihi stipendium aliquod velut assiduo poterit assignari. Varro autem in libris de vita patrum, Stipendium, inquit, appellatum est quod æs militi semestre, aut annuum dabatur, cui verò datum non sit, is propter ignominiam æredirutus erat: quod & Nonius Marcellus in libro de doctorũ indagine notauit. Nam & Verrius Flaccus est autor, æs militum, qui ob ignominiam missionem habuissent, non in militiæ sacculum, sed in fiscum mitti solitum.

Quo pacto Varronis verba in libro de agricultura emendari oporteat: & quo sensu accipienda sint. CAPVT VII.

PErmulti olim quæsierunt, quænam in dicendo figura illa sit, qua Terentius Varro in principio libri de Re rustica ad vxorem Fundaniam est vsus: Potius essem consecutus Fundania, & commodius, si tibi hæc scriberem, quæ nunc vt potero exponam. Ex ijs autem verbis nulla quidem sententia elici potest, digna Marci Varronis eruditione, quem Terentianus vndecunque doctissimum vocat. Sed ego antiquissimum è Marciana bibliotheca codicem nactus, quæ Florentiæ admodum nobilis est, inuenio ferè ad hunc modum: Otius essem consecutus Fundania, commodius hæc scriberem tibi, quæ tamen nonnihil etiam sunt interpollata. Quòd si liceat in his tenebris quæ sententiam

sentiam respondere: haud aliter à Varrone crediderim scriptum, quàm in hunc modum: Otium si essem consequutus Fundania, commodius tibi hæc scriberem, quæ nunc vt potero exponam. Nam illud, quod aliquot habent codices, Otius essem: depravatum, violatúmque improbitate scriptorum est: quorum & velocitas plerunque, & inscitia permultum obfuit bonis autoribus. Quanquàm & hoc apud veteres quoque vsitatum, veluti in Plautinis adhuc, Terentianisque fabulis conspicitur, vt vocales adeo literas abiicerent: quò sit credendum facilius, lectionem illam, quam restituimus, genuinam ac propriam esse: nam & consonantes interdum literas pari licentia in prolatione omittebant: quod & Marcus Tullius asserit, & Grammatici passim facilitatum affirmant. Lectio verò hæc, quam & fidei & vetustatis merito intromittimus, quantopere sit à studiosis approbanda, testis erit mihi & Mainardus Ioannes vir diligens, & in bonis literis admodum doctus, qui eam pro verissima tuetur, & asserit. Quòd autem Otium & Negotium per t, literam malim scribere, quàm per c, mouent veterum elogia, & inscriptiones, in æreis & marmoreis monumentis: vt illud Romæ vulgatum & peruetustum, ARGENTARII ET NEGOTIANTES BOARII HVIVS LOCI.

Biblioteca de Galicia

Accij poëtæ versus apud Apuleium recogniti: & quo pacto mutuatus sit illos ex Acciana tragœdia. CAP. VIII.

LVcius Apuleius in oratione ad Seurianum Proconsulem Aphricæ versus Accianos mutuatus est: quo loco de Hippia, eiusq; multiplici ingenio, ac doctrina agit. Sed eos tamen versus, non cuiusque est agnoscere: quoniam nulla ibi mentio sit, vel carmen id esse, vel ad aliquem saltem poëtarum referendum. Sic enim inquit Apuleius: Vno solatio freta est vrbs exẽpli tui, quòd qui legatus mittitur, proconsul ad nos citò reuersus est. Sol qui micantem candido curru atque equis flammam citatis feruido ardore explicas: itémque luminis eius Luna discipula. In his autem interpositi sunt versiculi senarij, qui diligentia nostra facilè autorem suum recognoscent, cùm ex Accij tragœdijs ab Apuleio assumpti sint. Nam & Priscianus non contemnendus autor, pro Accianis eos affert in libro de metris comicis: tum in Phœnissis ab Accio ita scriptum tradit:

Sol qui micantem candido curru, atque equis
Flammam citatis feruido ardore explicas:
Quiq; natũ aduerso augurio & inimico omine
Thebis radiatum lumen ostendis tuum.

Apuleius autem non modo ad ipsum solem se conuertit: sed ad cæteros errones, vt verbo vtar Nigidiano: Sol, inquit, & Luna, necnon quin-

que

que cæteræ vagantium potestates, Iouis benefica, Veneris voluptifica, pernix Mercurij pernicioſa Saturni, Martis ignita.

Egregiè factum à rege Alfonſo in legenda Liuij hiſtoria cõtra imperium medicorum: & de ſimultate inter eum, & Coſmam Medicen. CAP. IX.

MInus indignum fore putamus, neque improbandum ab ijs, qui paulò humaniores ſunt, ſi & eorum exempla in literas referamus, quibus maiores noſtri etiam viuentibus plurimum conceſſerunt. Solent enim quidam ſic in omnibus antiquitatem admirari. vt ingenium, rẽſque geſtas, iuniorum prorſus deſpiciant. Sed ætate quidem ſuperiori extiterunt viri aliquot magno animo, & egregia prudẽtia, cuiuſmodi habiti ſunt, Alfonſus rex Neapolitanus, Franciſcus Sfortia, Othomanus Turcarum princeps, & Coſmas Medices: de quibus ſi quando incidit, nonnulla à nobis relata ſunt. Sed illud celebre Alfonſi regis de Liuiana hiſtoria viſum eſt, quod hoc loco legeretur: nã cum inter Coſmam Medicen, maximæ autoritatis virum, & Alfonſum regẽ ſuborta ſimultas crederetur, miſit muneri Alfonſo Coſmas T. Liuij commentarios: librum quidem, vt par eſt, quàm ornatiſſimum: quoniam rex idem Liuianæ hiſtoriæ maximè fuit ſtudioſus. Id autẽ cùm medici regis, qui aderãt, intelligerent ſtatim Alfonſo imperãt, vt cautim agat

cum Florentino ingenio, neq; vllo modo Liuiũ attingat: librum illum ab hoste missum, in eoq; venenum occultari posse, atq; inter legendum contrahi. Quibus auditis, Alfonsus attentior factus est, quasi assentiri monentibus videretur. Sed ecce, interim Liuianum opus in medium affertur: quod vbi rex cœpit aspicere, nolentibus medicis aperuit, legit, euoluit: simulque (vt homo summi spiritus) Ineptire, vt inquit, desinite: nam regis animus haud priuati cuiusquam regitur arbitrio. Nec enim de nihilo dicebat Homerus, sub Iouis clypeo, ac patrocinio versari principes. Itaque Ioannes Romanus Pontifex in epistola ad Imperatorem Iustinianum vetus illud ex historia sacra mutuatus est, Cor Regis in manu Dei.

M. Ciceronis verba exposita de L. Tubulo sacrilego, & Luciliani versus additi de eodem: quàm acri carmine Romanos ciues Lucilius exagitarit CAP. X.

Marci Ciceronis verba sunt in V. de Finibus libro: Quis P. Numitorem, Fregellanum proditorem (quanquàm reipublicæ nostræ profuit) non odit? Quis vrbis conseruatorem Codrum, Quis Erichthei filias non maximè laudat? Cui Tubuli nomen odio non est? Quis Aristidem mortuum non diligit? In his autem verbis à pleriſq;, vt video, ignoratur, quisnam fuerit hic Tubulus, aut qua improbitate notatus, vt esse odio apud omnes de-

Biblioteca de Galicia

beat. Sciendum igitur, L. Tubulum fuisse in Luciliana ætate hominem multis facinoribus, ac flagitijs insignem : qui præter alia multa rapinator impius, atque sacrilegus est appellatus, & à poëta Lucilio amarulento carmine proscissus. Quod & Cicero idem in libris de natura deorum insinuat: quo loco de Abderite Protagora, qui ἄθεος dictus eiusq; libris publicè combustis disserit. Quid (inquit) de sacrilegis, quid de impijs periurisque dicemus? Tubulus si Lucius vnquam, Si Lupus, aut Carbo, aut Neptuni filius (vt Lucilius refert) putasset esse deos, tam periurus, aut impurus fuisset? Quin & alibi accusatum inquit, eundem in causa peculatus, & quòd in re iudicandi pecuniam dolo malo ceperit. Et in oratione pro M. Scauro audacissimum hunc, atq; sceleratissimum vocauit. Quocirca sic Pedianus Asconius. L. hic Tubulus prætorius fuit, ætate patrum Ciceronis. Is propter multa flagitia cùm de exilio accersitus esset, ne in carcere necaretur, venenum bibit. Lucilius verò Satyrarum autor, non Tubulum modò, sed Mutium, Lupum, Carbonem, ac Lapatum multis versibus est acerrimè insectatus. Ex quo illud:

Secuit Lucilius vrbem,
Te Lupe, te muti, & genuinum fregit in illis.

Quanta

Quanta sæuitia fuerit Auidius Cassius, ac de supplicio illius ad necandos homines per fumum tum de his etiam, qui fumos venderent, non inelegans obseruatio.

CAPVT XI.

INter cætera exempla sæuitiæ, atque crudelitatis Auidij Cassij nomen atque ingenium relatum est: quando & hunc ipsum nonnulli cruoris cupidum, & alterum Catilinam vocarunt. Sed hoc vnum supplicij genus ab eo excogitatum, libitum mihi est adnotare: ne tãta sæuientis animi feritas atque atrocitas non consideretur. Is igitur Auidius trabem seu stipitem longitudine LXXX. *vel* C. *pedum è materia curabat deligi, tum à summo vsque ad infimas parteis noxios alligabat, eosq; in altum erectos incendi, atque concremari volebat sic vt multos incendio, alios fumi cruciatu necaret: quod à Vulcatio scriptum est ad August. Diocletianum. Alexander autem Seuerus fumo eos necari imperabat, qui fucum facerent, & in amicorum causis, atque officijs fumum venderent. Itaque Taurinum familiaritate sibi coniunctum, & quod improbius Imperatorem venderet, in foro transitorio ad stipitem alligatum, fumi cruciatu extinxit: addito per præconem elogio, Fumo pereat, qui fumum vendidit. Hi enim homines fumum vendere dicuntur, qui in officijs aulicis ementient*

Biblioteca de Galicia

tientes, Imperatoris autoritate abutuntur, eiúsque famam & dignitatem infami ambitu dehonestant: quales apud Antoninum Heliogabalum nobiles in hoc genere habiti sunt Cordus, & Herodes: qui eum ex stulto stultiorem faciebant.

Relatum ex lege Menia de comprimendis morientium oculis: & quòd minimè filiis liceret parentum oculos occludere.

CAPVT XII.

DE lege Menia scriptũ sic est: apud vetéres fuisse cautum, ne filij parentibus oculos in obitu sugillarent: quoniam pietatẽ ostendi, atque probari existimarent. Verba legis hæc sunt: vt est autor Terentius Varro:

Ne filij parẽtibus luci claros oculos sugillãto.

Quod ipsum & Marcellus Nonius obseruauit. C. autem Plinius refert, sacrum fuisse magnoritu Quiritum, vt morientibus oculos operirent, in rogo autem patefacerent: quò magis indicari posset, neque ab homine supremum eos spectari fas esse, & cælo non ostendi nefas. Hinc frequens locus apud poëtas ad pathos maximè permouendum, de operiendis, comprimendisque morientium oculis: quo nomine infelices, inquit Plutarchus, eos vulgò solemus vocitare, quorum oculos propter absentiam non potuerint parentes obtegere.

Verbum

Biblioteca de Galicia

Verbum quod est Subulo Hetruscum esse, ac pro tibicine accipi: & Macrobij verba de Subulonibus adscripta. CAP. XIII.

SEruatum est alibi à nobis, fuisse apud veteres qui fabulas Hetrusco sermone componerent: ac in ipsa quoque Vrbe studium fuisse Romanis ciuibus, vt Hetruscam eruditionem perdiscerent: quocirca voces complureis adhuc afferuntur à Grammaticis, quæ suam originem in Hetruria habuerunt: quod à Teren. Varrone, & Fab. Quintiliano scriptum est. Inter alia verò quæ traduntur vocabula, Subulonem, inquit Festus Pompeius, Tuscam esse dictionem, qua significatur tibicen: quod ipsum & Q. Ennius poëta in hoc versu posuit:

Subulo quondam marinas propter astabat aquas.

Vt M. Varro notauit in libro de verbis poëticis: Huius, inquit, verbi radices haud quidem in Latio, verùm in Hetruria petendæ sunt. Sed illud in primis seruandum est, hanc vocem & in cœnis Macrobianis haberi, quo loco de iocis ac dicteriis disserit, quæ in cœnis atque compotationibus ad vrbanitatem, & gratiam meritò exiguntur. Neque illa, inquit, proferenda sunt, quæ Planipedes, aut Subulones solent. quem locum facilius quidam contaminant, quàm exponũt. De Subulis nouum est omnibus, acceptas esse pro mucronatis spiculis, quorum sit vsus

Biblioteca de Galicia

sit usus in lanificijs ad pectenda vellera. Hinc illud ab Anneo Seneca dicitur: Indignum esse pro dijs hominibusq; in aciem, susceptа subula, armatum descendere. Plinius in ceruorũ cornibus subulas nũcupat, quæ à Græcis πτερύγιαι appellantur.

De animantibus quæ in igne viuant: ac ibidem de Chamęleontis facie, ingenio, & coloribus. CAP. XIIII.

INter alia animantia, de quibus scribitur à veteribus, relatum de his est, quorum vita ex ipso tantùm igne constet. Ob eam causam Pyraules bestiæ vel Piraustа vocantur à Græcis quòd in flagrantibus fornacibus medio igne peruolitant. Quadrupedes sunt, ac pennulis instructæ, magnitudine maioris muscæ, vt ab Aristotele, & C. Plinio notatum est. L. Apuleius Flammida appellat, Latino verbo: quæ totum æuum in igne (vt inquit) consumunt: vbi à flammis longiore paulo volatu absunt, protinus emoriuntur. De Chamæleonte verò vulgatum est, eum ex elemento aëris duntaxat constare. Sed hac in re libet verba C. Plinij subijcere, qui in his prosequendis atque explicandis summa diligentia, incredibilique doctrina præstiterit. Chamæleontis figura, inquit, magnitudine Crocodili est, nisi crura essent recta & excelsiora: latera ventri iunguntur, vt piscibus, & spina similis modo: prominet cirstrum,

Biblioteca de Galicia

vt in paruo animanti, haud absimile suillo sit: cauda illi prælõga in tenuitatem desinens, & implicans se viperinis orbibus: vngues adunci, motus tardior vt testudini, corpus asperum, vt Crocodilo oculi in recessu cauo, tenui discrimine prægrandes, & corpori concolores: nũquam eos operit, nec pupillam mouet, sed totius oculi versatione circumaspicit: ille celsus hianti semper ore: solus animalium omnium nec cibo, nec potu, neque alio quidem, quam aëris alimento nutritur: circa caprificos ferus, innoxius alioqui. De colore eius mirificum illud notatur: eum namque subinde mutat, & oculis, & cauda, & toto corpore: ac semper illum reddit, quemcunque proximè attigerit: præter rubrum tamen, & candidum, vt autores conueniunt: ob idque animantium timidissimum existimatur. Hinc vetus prouerbium traditur de ijs hominibus, qui ad omnia commodè atque aptissimè se habent: quod in Athenien sem Alcibiadem relatum est. Visitur hoc animal præcipuè in India, & hybernis mensibus latere solet, vt lacerta. De viribus autem, & potestate eius, complura atque admiranda referuntur ab autoribus, maximèque à Democrito, qui librum de potestate Chamæleontis conscripsit. Neque autẽ ignoramus accusari à criticis C. Plinium, quòd in describendis Chamæleontis viribus Democriti autoritate abutatur.

tur. In quo equidem minimè ſum iudicium noſtrum interpoſiturus, præſertim cùm idem Plinius fidem ſuam ad autores vetuſtiſſimos renocet, in inuestigandis atque aperiendis naturæ arcanis.

PETRI CRINITI DE HONESTA DISCIPLINA COMMENT.

LIBER XIX.

De remedio expergiſcendi à ſomno, & quomodo inter ſe differant autores, de Alexandro Macedone, & Ariſtotele philoſopho enarrantes. CAP. I.

DIGNVM ſanè exemplum Græcis ingenijs celebratur in veterum monimentis, quo ſeipſum facilè quis poſſit vrgente ſomno eximere. Relatum enim de Alexãdro quidem Macedone, quòd is vt in gerendo Imperio occupatior, remedium hoc contra ſomnum excogitauerat. Primò vas æneum propè lectum adſti-

Biblioteca de Galicia

tuens, seipsum ita ad quietem componebat, vti pilam æneam, seu argenteam, manu compressam retineret, brachiumq; super vas prolatum haberet quo pila ipsa (si cubi somno cõcederet) è manu dolapsa, in subiectum æneum procideret, simulq; illo sonitu excitus exurgeret. Vnde hæc Alexandri potius dormitatio, quàm somnus videri poterat. Hanc rem & Ammianus Marcellinus, homo Græcus, in Romana historia retulit: quo loco similem facit Alexãdro Byzantium Iulianum, quòd is in tres maximè partes noctem diuiserat: sic vt quieti, & Reipublicæ, & Musis iustum pensum rependeret. Sed est tamen in quo autores dissentiant: alij enim Aristoteli philosopho id adscribunt, vt Laërtius Diogenes, qui ab eo factum asserit, quò posset experrectius in omnibus ferè disciplinis aduigilare. Nos eiusmodi autorũ differentiam iudicaturis liberam relinquimus.

De instrumentis militarium machinarum, & earum vocabulis, ac de Tellenone & de machina Demetrij ducis, quę Poliorces dicebatur. CAP. II.

VIsum mihi est in otio agenti tormentorum voces, & apta bellis instrumenta percensere, quæ Græci vocant Poliorcitica: ne nihil agendo malè agere discamus. Sunt igi-

Biblioteca de Galicia

tur hæc, quæ prout memoria ſuppeditauerit, minimè duximus ſupprimenda, Teſtudines, Arietes, Fundibulæ, Aſſeres, Balliſtæ, Arcuballiſtæ, Corroballiſtæ, Harpagones, Exoſtræ, Falces, Muſculi, Triſaces, quæ ex Balliſtis emittuntur, Fuſtibuli, Cataphractæ, Plumbatæ, quas vocant Martiobarbulos, Onagri, Heliopolis, Plutei, Sambucæ, Prælа, Scorpiones, quos Manuballiſtas appellant, Ambulatoriæ Turres, Tribuli, Sariſſæ, Poliorces, Vineæ, Tellenones, Phalæ, ex quibus intorquentur Phalaricæ. Nominantur etiam Tragulæ, Bipennes, & Crates metallæ. Eſt autem Tellenon machinæ genus, cùm vna trabes prælta humo defigitur, & ſummo vertice altera tranſuerſa, eadémque longior annectitur: eo videlicet libramento, vt ſi vnum caput deprimatur, alterum ſtatim ſurrigatur. In vno autem capite machina cum tabulatis cratibus contexitur, in qua armati aliquot collocantur: túncque altero capite funibus depreſſo, eleuati milites in muro facilè ſuperponuntur. De hac machina & Plautus poëta mentionem fecit in fabula Aſtraba, cum lepidè inquit:

Quaſi Tellenon, aut pylum Græcum reciproces plana via.

De Poliorce, quoniam & hoc minus frequens, ad hunc propè modum Plutarchus: Erat hæc machina à Demetrio principe hiſ rationi-

Biblioteca de Galicia

bus & habitu constructa. Primò quadratam sedem habebat, cuius singula quidem latera æqualia in latitudinem LX. cubitorum protendebantur, à postrema verò basi vsque ad verticem, sic gradatim videbatur extenuari, vt sedes infima multò latior suprema parte foret, ac mirifica quædam, & egregia videbatur figura ex quacunque parte resultare. Intus præterea latebræ erant, & cauernæ complures ad excipiendos milites accommodatæ: quà verò hostes ipsos spectabat, patefactam frontem habebat, & vndique fenestellas obtectas, quibus citra vllum discrimen facilè poterant milites tela in hostes iacere: & quod supra omnia maximè mirum videbatur, tanta quidem facilitate in quamlibet partem mouebatur, vt etsi strepitum maximum ederet, minimè tamen obseruari aut conspici poterat, in vtram partem inclinaret. Hac verò machina Demetrius ille Antigoni filius, qui Poliorcites est appellatus, ita cupidè ac strenuè vtebatur, vt ex vrbium ruinis nomen illi inditum sit. Plura autem huius generis bellica instrumenta reperiuntur apud Græcos in Athenæi & Philonis commentarijs. Apud Romanos verò autores non Flauius modò Vegetius de his, sed Ammianus Marcellinus, & Pollio Victruuius ad Octauium Augustum scripserunt.

Ennij

Biblioteca de Galicia

Ennij poëtæ distichon de P. Scipione allatum: & Annei Senecę verba in epistolis emendata, atque recognita.

CAP. III.

NIhil inuenio in Romanis literis magis deprauatum, aut corruptum, quàm ea omnia, in quibus veterum poëtarum carmen allatũ sit: vt Accij, Neuij, Lucilij, & eiusmodi aliorum. Mirum enim quàm peruersæ voces, quàm præfracti numeri, & intorta lectio extat: vt magnopere laborandum sit, vel sensum aliquem posse aucupari. Quod ego nuper expertus sum in Annei Senecæ epistolis, in quibus si quando citantur veterum carmina, nullam propè imaginem veræ lectionis, aut effigiem dignoscas. Libro autẽ, vt vulgò nunc creditur, vndeuigesimo, carmen hoc Ennianum affertur de Publio Scipione, quod ille idem de se, vt animo fuit maximo, sic refert:

Si fas cædendo cælestia scandere cuiquam,
Mi soli cæli maxima porta patet.

At in epistola Annei quàm corruptũ hoc est, quàm violatum, quàm peruersum, vt nec verba ipsa satis cohæreant, neque sensus in aliquo appareat: quam rem satis habui pro tempore bonis ingenijs indicare. Quòd si quis Ennianos versus, perinde vt apposui, ex integro apud autorem desideret, Cælium is Firmianum

Biblioteca de Galicia

legatur, in libro ad Imperatorem Constantinum primo de diuinis institutionibus: quo loco & hoc ipsum carmen de Scipione magnis conuitijs inceßitur: quando & M. Cicero in libris de Repub. posuerit: sicuti à Firmiano demonstratur. Vnde illud etiam Vergilianum,

-Quem super ingens Porta tonat cæli.

Cassij Seueri dictum perelegans in Labienū historicum: ac de improba eiusdem Labieni dicacitate. CAP. IIII.

Dictum hercle lepidum, & perinde elegans fertur Cassij Seueri in Labienum historiæ autorem, cuius fortè libri cum fuissent exusti, bellè secum agi Cassius putauit, si quid in hominem, cui credebatur admodum inuisus, scommaticè iocaretur. Itaque dum illius, vt dixi, commentarij ex Sen. Cons. essent concremandi: Me, inquit Cassius, viuum vri oportet, qui illos didici: festiuè nimis atque mordaciter. Huius autem rei meminit Annæus Seneca in epistola ad Nouatum. Nam cùm Labienus idem Pompeij partibus studeret, ac historiam rerum eius gestarum scripsisset, Senat. Consul. actum est, vt eius commentarij cremarentur. Fuit autem in Labieno libertas tanta, vt libertatis nomen excederet: & quoniam passim ordines, honoresque omnes laniabat,

Biblioteca de Galicia

bat, Rabienus vulgò vocatus est: quod in oratoribus nostris copiosius explicauimus.

Quid sit Repandirostrum, & Incuruiceruicum pecus, ex Pacuuio apud M. Varronem: & emẽdata ibidem verba & exposita contra imperitorum sententiam.

CAP. V.

COmplura quidem vocabula reperiuntur, quæ poëtæ veteres non minore studio innouandi, quàm consilio delectandi adinuenerunt: existimantes fore (quod ait Cicero) vt Romanus sermo fieret in dies aptior, atque locupletior. Quòd si in quibusdam compositio ipsa paulò durior, atque improbior videri potest, apud Comicos præsertim autores, pleraque tamen longo vsu atque consuetudine mitiora efficiuntur: eóque gratiora forent, si minus depranata, & corrupta haberentur: cuiusmodi hæc sunt, Repandirostrum pecus, & Incuruicernicum, & arietes etiam Reciprocicornes, de quibus breuiter nunc agemus. Nam delphinos quidam Repandirostrum animal & incurnicernicum vocarunt, sumpto ex habitu animantis vocabulo, quod rostrum habeat repandum, & cernicem quasi incuruam. Quod & M. Varro ad Ciceronẽ, & Fabius Quintilianus in Pacuuianis fabulis obseruarunt. Sic

Biblioteca de Galicia

enim Varro: Secundus gradus à quo Grãmatica dẽscendit antiqua, quæ ostendit quenadmodũ quodq; poëta verbũ cõsinxerit, quod etiã declinarit. Hinc Pacuius Rudẽtisibilus, hinc Incuruiceruicũ pecus, hinc Chlamyde clypeat brachium. Quæ verba in gratiam studiosorum apponere volui: quoniã in vulgatis ferè exẽplaribus præfracta, & fædè inuersa sunt. Quod autem Incuruiceruicum pecus in Pacuuiana fabula dictum sit, demõstrat hoc ipsum & Fabius ad Marcellum Victorium, referens Pacuianum hunc versiculum:

Nerei repandi rostrum, incuruiceruicum pecus.

Sed & Lucilius quoque, qui apud nostros styli nasum primus condidit, repandirostros appellat delphinos in satyris:

Lasciuire pecus iussit, rostrique repandum.

Quod in commentarijs Nonianis inuenitur. Arietes verò primus Laberius (vt existimo) reciprocicornes appellauit, quòd haberent reciproca & obtorta cornua. Id & commentaria quorundam veterum probant, & Septimius Florẽs in libro, quẽ de Pallio inscripsit: Arietem, inquit, non vt Laberius reciprocicornem & lanicutem appellauit, sed trabitextum.

De

De imagine Nemesis, eiusq; potestate, & nominibus: vbi & epigramma Ausonij expositum. CAP. VI.

QVæ dea sit Nemesis, & quo maximè honore habeatur, exponunt ferè complures, tam apud Græcos quàm apud Latinos: sed libuit adnotare hoc loco epigramma illud Ausonij Galli, quod ex Græco poëta ingeniosus (sicuti pleraque alia) in Latinum conuertit. Carmen id est:

Me lapidem quondam Persæ aduexere trophæum
Vt fierem bello: nunc ego sum Nemesis.
At sicut Græcis victoribus astо trophæum:
Punio sic Persas vaniloquos Nemesis.

Quod apud Græcos tamẽ nescio quo pacto pressius multò, atque limatius habetur:

Καὶ μὲ λίθον Πέρσαι δεῖρ' ἄγαγον ὄφρα βάπτωσιν
Σῆμα τῆς νίκης, εἰμὶ δὲ νῦν Νέμεσις.
Ἀμφοτέροις δὲ ἔστηκα, καὶ ἐν μάχαισι βάπτων
Νίκας καὶ Πέρσας τῶ πολέμω Νέμεσις.

Historiã verò ex qua vtrũque declaretur epigramma, Pausanias ponit, ad hanc propemodum sentẽtiam: A Marathone, inquit, stadijs supra LX. Rhamnus abest vicina mari, qua Oropũ itur: paulo autẽ supra mare templũ Nemeseos est, quæ cõtumelijosis maximè hominibus ineuitabilis dea. Videtur autẽ barbaros quoque illos indignatio huius nominis comprehendisse, qui

Biblioteca de Galicia

qui in Marathonem descenderunt: nam cùm Athenas ipsas despicerent, easq; impedimento sibi fore arbitrarentur, lapidem Parium attulerunt, tanquam victoria iam forent potiti: quem lapidem Phidias opifex in ipsam Nemesis statuam formauit. Inest autem capiti eius deæ corona, in qua cerui sunt, & victoriarum exiguæ visuntur imagunculæ: in dextera phialam retinet, in qua cælati sunt Aethiopes, propter ipsum fortasse Oceanum, qui pater Nemesis traditur. Hæc Pausanias: qui tamen idem in hoc ipso libro haud Oceanum Nemesis parentem dicit, sed Iouem: sicuti Helenam matrem, nutricem Ledam. Neque autem me latet, aliter de Nemesi ac Rhamnusia Plinium Secundum scribere: sed ad cognitionẽ epigrammatis, non Plinij verba, sed adhibendus Pausanias fuit. Nam & Ammianus quidẽ Marcellinus de gestis Galli Imperatoris ad hunc modum: Hæc, inquit, & huiusmodi aliquoties operatur Adrastia, quã duplici vocabulo Nemesim appellamus: ius quoddam sublime numinis efficacis humanarum mentium opinione, lunari circulo superpositum. Vel, vti definiunt alij, substantialis tutela, generali potentia partilibus præsidens fatis: quam Theologi veteres fingentes Iustitiæ filiam ex abdita quadam æternitate tradunt omnia despectare terrena. Hæc vt regina causarum, & arbitra rerum,

hæc

hæc disceptatrice vrna sortium temperat, accidentium vices alternans, voluntatúmque nostrarum exorsa interdum alio, quàm quo contendebant, exitu terminans: multiplices actus permutando conuoluit: eademq; necessitas insolubili retinaculo mortalitatis vinciens fastus tumentis, in casum & incrementorum & detrimentorum momenta versabilis: & nunc erectas mentium ceruices opprimit, & enervat, nunc bonos ab imo suscitans, ad bene viuendum extollit. Pinnas autem ideò fabulosa vetustas aptauit, vt volucri velocitate cunctis adesse existimetur: & prætendere gubernaculum dedit: eíque rotam subdidit, vt regere vniuersitatem per elementa discurrens omnia non ignoretur. Et hæc demum, inquit, mutabilis & inconstans, fecit Agathoclem Siculũ ex figulo regem: & Dionysium gentium quondam terrorẽ, Corinthi literario ludo præfecit: & Andriscum Adramytenum, in Fullonia natum, ad Pseudophilippi nomen euexit: ac legitimum Persei filium artem ferrariam ob victũ quærendum edocuit. Verùm de hoc dictum à me alibi copiosius.

De prudenti responso Cæcilij Metelli ad amicum, qui eius animi consilium scire cupiebat: neque esse cuiusquam ingenio facilè confidendum in rebus grauioribus.

CAP. VII.

Nemini

Biblioteca de Galicia

NEmini vnquam dubium fuit, quin prudẽtiores illi homines, atq; consultiores habiti sint, quorũ consilia & in repub. seruanda, & in vita instruenda maximè præstiterint. Qua in re obseruatũ hoc est, cautissimũ quẽque haud temerè animi consultationes, vel intimis etiam amicis committere. Nihil enim dicebat Democritus maiorem arguere imprudentiam, atque vecordiam, quàm ea credere homini, quæ parum æquo animo patiaris disseminari. Itaque responsum Metelli Cæcilij eiusmodi visum est, quòd his quoque commentarijs legeretur. Nã hic ipse Metellus, qui deuicta Macedonia dictus est Macedonicus, cum summæ vir prudentiæ & consilij haberetur, amico cuidam, quid esset in re magni momenti acturus rogitanti, ad hunc modum cordatè respondit: Tunicã, inquit, hanc meam exscinderem, si eam meum scire consilium existimarem. Quo dicto facilè quiuis potest considerare, cuiusmodi sit viri prudentis officium: cùm sit homo ipse (vt inquit alicubi Cicero) acutũ animal, sagax, varium, & multiplex: vt nihil sit minus tutum, quàm hominũ fidei confidere, iuxta sentẽtiam Pauli Tarsensis. Id autem de Metello Nepos Cornelius, & Val. Maximus in exẽplis, retulerũt. Poëta verò Ennius eum præcipuè amicum probat, qui verborum vir paucorum sit, & qui non minus loqui, quàm omnino tacere calleat: qualis

ab eo

ab eo Seruilius Geminus doctissimis versibus commendatur.

Ceruos pro seruis & fugitiuis accipi apud veteres: ac Martialis poëtæ carmen expositum contra aliorum sententiam.

CAP. VIII.

Martialis poëtæ versiculi sunt notissimi in hunc modum: quos adscribam, vt in libris antiquioribus inuenio:

Suppositam fama est quondam pro virgine Ceruam:

At nunc pro ceruo mentula supposita est.

Ita enim veteres adhuc codices retinent, quæ lectio propria & genuina est: vt non puerum, sed ceruũ suppositum legamus. Nam qui lepor, obsecro, in carmine, quæ festiuitas in poëta vrbanissimo fuerit, si, vt quidam legunt, pro virgine ceruam fuisse suppositam, nunc pro puero supponatur mentula? Hoc autem loco ceruum Martialis & eleganter & antiquorum more pro fugitiuo accipit: si quidem & suprà:

Huic comes hærebat domini fugitiuus Achilles,

Insignis forma, nequitiáque puer.

Ceruos verò apud antiquos vocari consueuisse à celeritate fugitiuos, docet etiã Sext. Põpeius, cuius verba ex libro de verborum significationibus XIX. subiecimus: etsi in peruulgatis

illis

istis codicibus neutiquam comperias. Seruorum inquit dies festus vulgò existimatur Idus Augusti, quod eo die Seruius Tullius natus, idemq; Dianæ ædem in Auentino dedicauerit: cuius tutelæ sunt cerui: à quorum celeritate fugitiuos vocant ceruos. Quibus intellectis apertè sensus elicitur: Neque illud alienum videri debet. quod in Terentia fabula scriptum est ab Aelio Donato, quo enim loco Terentius Quadrupedem inquit constringito. Quadrupes, inquit Donatus, ligaturæ genus in cruribus: aut item Quadrupedem posuit pro ceruo & fugitiuo, vnde illud Vergilianum:

Saucius aut Quadrupes nota intra tecta refugit.

Quocirca apud comicos etiam autores Cerum pro fugitiuo dici solitum apparet: sicut & Lupæ item pro meretricibus passim accipiuntur, & Canes pro amatoribus: vt qui lepores magno studio consectentur, quæ ab eodem Donato asseruntur. Hinc illud vulgatum:

Fœcundi leporis sapiens sectabitur armos.

Et illud etiam Terẽtianum ex Liuio Andronico (si Iulio Capitolino credimus) pro militari dicto: Tute lepus es, & pulpamentum quæris.

M. Ciceronis verba emendata, atq; exposita, in libro de optimo dicendi genere Lucianis versibus de Esernino oratore: ac de eo nonnihil. CAP IX.

Mar.

Biblioteca de Galicia

M. Ciceronis liber est, cui titulum fecit de optimo genere oratorum. Quo autem loco de Aeschine oratore Attico, & Esernino Romano habetur mentio, verba quædam corrupta alicubi sunt, & obscurè inuoluta: quod vt facilius extimari, atque iudicari possit, adscripsimus: veluti etiamnum leguntur in omnibus ferè exemplaribus. A me, inquit, quò maximis minima conferam, gladiatorum par nobilissimum inducitur Aeschines, tanquam Esernius (vt ait Lucilius) non spurcus homo, sed acer & doctus: quo modo à Pacidiano hoc componitur optimus longè post homines natos. hactenus Cicero. In quem tamen verbis nullus propè sensus elicitur, nulla carminis Luciliani effigies apparet. Nos autem, qui bonis mentibus elaboramus, non indignum prorsus operæ pretium fore arbitramur, si & Ciceronis verba exponamus, & ipsum Lucilij carmen restituamus. Eleganter enim & eruditè M. Cicero inter nobilissimos gladiatores, hoc est, inter eos, qui in foro velut in acie & arena certãtes dimicent, Aeschinem connumerauit, collata cum Esernino similitudine ex Luciliana satyra. Facilè autem Ciceronis verba intellexeris, si Lucilij versus adscribamus, sicuti adhuc integri seruantur in commentarijs Nonianis ad filium:

Esernius fuit flacco ore: æque quoque sannis

Biblioteca de Galicia

Spurcus homo: vita fuit illa dignus, locóque
Cùm doctus tum acer componier optimus multo

Post homines natos, gladiator qui fuit vnus.

Ex his planè constat, quo pacto Ciceronis locus & interpretandus sit, & emendandus. Quanquàm hoc idē de Eserninо in epistolis ad Pomponium Atticum, & in Tusculanis etiam relatum est. Neque illud præterea ignorandum, quòd idem P. Lentulus Eserninus vocatus est, & promptus in dicendo. Cuius pater Marcellus Eserninus in oratorum quoque numero à M. Tullio intromissus: sed filius (de quo supra) longè doctior, acrior, & exercitatior habitus est. Quam rem & in nostris Oratoribus perdiligenter explicauimus. Apud Senecam verò Annæum, & alter Eserninus Marcellus in Declamationibus celebratur, qui nepos Asinij Pollionis fuit: à quo sic instructus, atq; edoctus trāditur, vt eius eloquentiæ futurus hæres crederetur. Sed hæc alibi diximus copiosius.

Locus elegans Heliogabali imperatoris de suis conuiuiis in discumbendo, ac de Sigmate etiã mensa: & quid ea voce apud Martialem poëtam significetur.

CAPVT X.

Lepidè factum traditur à Vario Antonino Augusto qui Heliogabalus est appellatus, ſi amicorum conuiuijs. Nam cum his cō-

nam

Biblioteca de Galicia

nam fortè exhiberet: quibusdam simul discumbentibus non accubitus quidem pro consuetudine, sed reflatiles folles substerni curabat, idque ipsum mirifica arte & ingenio: sic vt conuiuae reflatis paulatim follibus, infra cæteros sub mensis ridiculè subsiderent. Quin & idem Imperator vt à Lampridio traditum est, primus adinuenit Sigma humi consternere, sine lectulis, vt à pedibus vtres ad reflandum spiritum soluerent. Quod autem Sigma hoc loco Lampridius dixerit, in ea voce accipiendum est, mensæ genus, quæ Lunæ similitudinem haberet, formamq; præferret Σ. literæ Græcæ: quod & Valerius Martialis insinuat:

Accipe lunata scriptum testudine Sigma

Et alibi:

Septem Sigma capit. Tametsi dictio hæc nostris Grammaticis ferè depravari consuevit. Sed enim Lampridius id totum apertissimè explicat. *Habuit hanc, inquit, consuetudinem, vt octo caluos rogaret ad cœnam, item octo luscos, item octo podagrosos, octo surdos, octo nigros, octo longos, octo pingues: cum capi nõ possent vno eodemq; signate, vt ex ratione maior subinde risus spectatoribus moueretur.*

De Cymbio vase, & Carchesio, & quo pacto Macrobius fœdè erraverit cum de his disserit in Saturnalium commentariis.

CAPVT XI.

Biblioteca de Galicia

NOtandum Macrobij Aurelij erratum, & quidem fædum, de vasculo, quod sit Cymbium. Asserit enim in Romana quidem eruditione primùm de hoc factam esse mentionem à poëta Vergilio: cùm alij ante illum de eo meminerint. Vulgatum autem complures apud Græcos de eo disseruisse. Nam præter Philemonem comœdiarum autorem, & Anaxandridem, Eratosthenes quoque, & Demosthenio de Cymbio egerũt: quod apud eundem Macrobium Eustachius affirmat. Sed eius verba subijcienda sunt, quò facilius cognosci veritas, ac iudicari syncerius possit: De Carchesio, inquit, & Cymbijs apud Latinos haud scio an vnquam mentionem reperias. Ac paulo mox: Nec Cymbia, inquit, in Latino sermone reperies: nam sic vnus apud nos P. Vergilius:

Inferimus tepido spumantia Cymbia lacte.

Quod autem incognitum id Latinis ingenijs dicat, neque ab aliquo prorsus vsurpatum ante Maronem, perfalsum esse apertissimis rationibus conuincitur: quandoquidem Varro ipse Terentius, qui ante Vergilium scripsit, Cymbium vas nominauit, in eo maximè commentario, quem de vita patrum inscripsit. Erant, inquit, vasa vinaria, sicuti cymbia, aquilinæ pateræ, gutti, sextarij. hæc hactenus Varro, quæ Nonius etiam Marcellus in libru ad filium agnoscit, quo loco de vasculis agit.

De

Biblioteca de Galicia

De figura autem Cymbij non est agendum nũc pluribus: constat enim ab effigie cymbæ denominatum: nam Cymbium, vt idem ait Macrobius, per comminutionem à cymba deducitur. Quin & alia traduntur poculorum genera, quæ ab ipsis nauigijs formam & nomen acceperunt sicuti Carchesium. Neque mirari quisquam debet, Macrobium hac in re excidisse, cùm in Carchesio etiam pari fermè errore deliquerit: quando & hoc ipsum verbum à Liuio quidem Andronico positum est qui Latinorum poëtarum vetustissimus meritò habetur: sic enim Liuius de Carchesio:

Florem antlabant liberi ex Carchesijs.

Quod & Pompeius Festus obseruauit, cuius doctrinam atque eruditionem idem Macrobius magnopere commendat.

Quibus causis Romanus populus atros dies ac luctuosos haberet: ac de minuendo luctu, & publicè, & priuatim.

CAP. XII.

IN collectaneis Sext. Pompeij, quæ contraxit ex Verrij Flacci commentarijs, rationes affe runtur de minuendo luctu tam publicè, quàm priuatim: quoniam pro rerum fortuna atque calamitate, luctus in ciuitate habebatur: veluti cùm Vestalis ob noxam iussu pontificum confoderetur, cùm cælesti igne Capitolium tangeretur, aut cùm clades aliqua insignis foret

Biblioteca de Galicia

denuntiata. Tolli autem luctum in populo his maximè tribus causis relatum est, in dedicatione ædis, in condendo lustro, quod ad Censorum officia pertinebat: tertio cùm votum publicè susceptum ritè solueretur. Et hæc quidem contra publicum mœrorem constituta sunt. Priuatim verò complura in vnum congruebant, quæ omnem familijs luctum abolerent: hoc est, cùm liberi nascerentur, cùm nouis honoribus familiam honestarent: item cùm pater, aut filius, aut vir, aut frater ab hoste captus domum rediret, cùm puella desponsaretur, cùm propiore cognatione aliquis nasceretur, quàm ille cuius nomine luctus fuisset. Poëta autem Ouidius per decem menses tradit post vxoris obitum supereſſe in coniugibus luctum, quod ex legibus Numæ assumptum est, vt copiosè exponitur à Plutarcho. Putaui hæc adnotanda, vt intelligatur facilius, quæ potissimum rationes forent, quibus Romanus populus ad luctum, aut ad lætitiam adduceretur: quando & in veterum Annalibus frequens mentio fit de luctu publicè comminuendo.

De Necepso rege & philosopho, eiusq; magice, & Paulmi poëtæ versus expositi, ex Firmico Materno & aliis.

CAP. XIII.

CArmen est in poëmate Ausonij Galli, quod à Paulino conditum scribit, cùm Tranq

Biblioteca de Galicia

Tranquilli historiam de Regibus in epitomen referret.

Quique magos docuit mysteria vana Necepsi:
Et qui regnauit sine nomine mox Sesoostris,

Quis autem accipiendus sit hoc loco Necepsus aut quid etiam scripserit, dubitari video à doctoribus. Qua in re legendi sunt veterum Annales, in quibus reperiemus regem fuisse Aegyptiorum Necepsum, qui annos plures imperauit, quod & Manethus autor antiquissimus, & Eusebius tradunt: quin & à Iulio Firmico plurimùm celebratur, non pro viro tantùm in astrorum cognitione peritissimo, sed etiam pro rege iustissimo. Quo enim loco de Apotelesmatibus & Decanis disserit, plura de Necepso adiecit. Sunt Decani, inquit, magni numinis & potestatis, quòd omnia prospera per ipsos, & omnia infortunia decernuntur: sic & Necepsus Imperator iustissimus Aegypti, & astrologus valde bonus, per ipsos Decanos omnia vitia, valetudinésque collegit: ostendens, quam valetudinem quis Decanus afferret. Et quia natura aliam naturam, & quia Deum frequenter alius Deus vincit: ex contrarijs naturis, & contrarijs potestatibus omnium ægritudinum medelas diuinæ rationis magisterijs inuenit. Idem alibi eundem Necepsum, ac Pe-

Biblioteca de Galicia

sosyrim diuinos viros, ac sanctissimæ religionis antistites appellat. Quod & C. Plinius sensit, qui in tradenda ratione humanæ ætatis Petosyrim ac Necepsum autores nominat, quorum sententia Trimoria ipsa in vita hominum redderentur. Quòd autem vana mysteria Necepsi dixerit, ad eius magicen, vt puto, respexit, qua reges ferè Aegyptij præstiterunt, quæq; à C. Plinio non semel inepta vanitas, merumq; præstigium appellatur. Hæc vna, inquit, omnium artium fraudulentissima, quæ in toto terrarum orbe plurimum semel valuit. Sed à Tiberio Imperatore vana falsáque comperta est. Ea enim, vt inquit Plinius, quæ à sphæris, ex aëre & stellis, & lucernis, pelvibus, securibúsque, & multis alijs modis diuina promittunt: & vmbrarum præterea inferorúmque colloquia, falsa omnia, & improbè recepta sunt.

PET

PETRI CRINITI DE HONESTA DISCIPLINA COMMENT.

*

LIBER XX.

De Sibyllarum diuinatione quæ in Brãchis, ac Delphis vaticinia redderẽt: ac ibidem nõnihil de prophetis relatum ex doctrina Platonicorum. CAP. I.

CÆLIVS *Firmianus, Hieronymus, & alij veteres permulta de Sibyllis, earumq; diuinatione scripserunt: quod etsi alias diligenter obseruaui, libitum tamen est ea hoc loco repetere, quæ in Academicorum commentarijs legimus: quo pacto, quibúsque rationibus, & in Delphis, atque in Branchis eiusmodi vates Deum se concipere crederent. Nam Prophetæ ipsi & Vates, vt eruditè à Platone & Iamblico scribitur, per Deos quidem aut Dæmones vaticinandi spiritum capiunt: quo rerum causas cernunt, & futura etiam præuident. Nihil enim sine Dijs perficitur: quorum tanta est po-*

Biblioteca de Galicia

testas & bonitas in subiecta, vt dum in seipsis permanent, ad alia tamen subdita pro rerum genio & similitudine calor ille & potestas accedit: veluti & Solis radijs accidit, sicubi in alia corpora atque elementa influunt. Neque autem possunt homines suopte ingenio quicquam de Dijs cognosse, nisi vis quædam ab illis, & quasi ignis incidat, quo inspirante humana simul & diuina censeantur: quod à Porphyrio & vniuersa Academia copiosè asseritur. Opera enim diuina, quæ penitus absoluta sunt, Dij quidem perficiũt, media Angeli, tertia Dæmones. Verum sic de Fatidicis Chalcidensis Iamblichus ad Porphyrium: Sibylla, inquit, in Delphis duplici ratione Deum suscipere solita est: aut enim per tenuem spiritum & ignem, qui alicubi ex ore quodam antri prorumpebat: aut ipsa etiam in adyto sedens super æneam sellam, quæ tripes vel quadrupes foret, numinijq; dicata, & vtrobique diuino illo spiritu acta, vaticinia fundebat: itaque tum plurimus ignis ex antro euolans vati vndique circunfunditur, eámque suo numine repletam agitat. Aut itẽ sacratæ sedi adhæret, per quã Deo afflata protinus ad vaticinia erũpit. Sed & Vates Fatidica in Brãchis quæ in axe considit, aut virgam manu gestat à numine aliquo sibi concessam, aut pedes interdum limbumque vndis proluit, vel ignis vaporem ex vndis hauriit

haurit simúlque his rationibus diuino splendore completur, Deóque plena, vt dicunt, rerum pandit oracula. Quin & Prophetæ ipsi ac cæteri Vates (vt inquit Iamblichus) cũ Dei numine afflantur nihil timent, nihil verentur. Nam & per inuia incedunt, perq; ignem intacti ferũtur, & flamina transeũt. Quod etiã fieri scribit à sacerdotibus in Cathaballis. Quibus manifestò apparet, vates ipsos omnem prorsus humanitatẽ exuere, cum diuinum ignẽ & spiritũ hauriunt, quo agitati magis extimulantur: vt à poëta Vergilio prudenter traditũ est de Cumana Deiphobe. Scripsimus aliàs de Sibyllarũ numero, & ætate, ex Varrone, Augustino, Firmiano, Capella, & alijs, cùm Varro Terentius à quibusdam temere in hoc accusetur.

Mos veterum relatus in comitiis dirimendis, Ioue tonante, fulgurante: & quòd Flaminica etiam feriata tunc esset.

CAPVT II.

INter alias veterum obseruationes de comitijs dirimendis, illud etiam in augurum disciplina diligenti cura prouisum est, ne quid ageretur cum populo sicubi fulgura aut tonitrua extitissent: quod illa omnia Dys superis improbari viderentur, quæ Senatus, P.Q.R. decerneret. Itaque in iure veterum pontificum sic lege cautum est:

Ioue

Ioue tonante, fulgurante, ne comitia sunto. Quod ob eam quoque rationem referendum est, quoniam apud veteres poëtas insinuari hoc ipsum alicubi videmus, sicuti Plautinum illud nunc subit in statuendo iudicio:

Vt primùm tonuit, citatrix ruffula, sublurida:
Iacent rationes, silet iudicium: quid dicam nescio.

Et illud notum, Tonat augure surdo. Haud enim fas putabatur, eo temporis cum populo agi, Quæ res cùm locis multis apud M. Tullium, tum in orationibus contra Antonium notatur. Vnde vitiosi magistratus atque dignitates dicebantur, si quando Ioue tonante ac fulgurante crearentur. Sed hoc idem Appianus Alexandrinus explicat, vt alia permulta omittamus, qui in celebri illa seditione inter Apuleium Tribunum & Cæcilium Metellum, tam ingenti voce Romanos ipsos refert in comitijs proclamasse, vt tonasse de cælo videretur: Quo tempore nihil quidem, inquit, ex lege cum populo agi conceditur. Illud autem sciendum, quòd ipsa quoque Flaminica, quoties tonitrua audisset, feriata erat: neque agere quicquam fas erat, quousque Deos rite placasset: vt à Vectio Prætextato refertur ex Pontificum commentarijs apud Macrobium.

Quòd

Biblioteca de Galicia

Quòd in Tyberis vndatione draco maximus per vrbem visus sit, Maurico imperante: ac de alio item Augusti Cæsaris dracone, quem pro comitio ostentauit: & alia ibidem consimilia ex historiis veterum allata. CAP. III.

SCriptum est in Romanis Annalibus, ac sæpius notatum, quo tempore dracones, vel qua magnitudine, in Vrbem Romam delati sint. Nam inundante maxime Tyberis fluuio visi per vrbem traduntur: quod ipsum temporibus nostris contigit. Sed illud propè incredendum quibusdam videri solet, quod imperante quidem Maurico Augusto Romæ accidit: qua videlicet tempestate exũdationes aliquot maximæ extiterunt & Athesis, ac Tyberis fluminum: quando ob ingentem vim vndarum Veronæ vrbis mœnia dicuntur alicubi disiecta ac diruta. Tyberis autem fluuius in tantam excreuisse magnitudinem traditur, vt eiusdem alluuiones supra muros vrbis influerent, ac regiones occuparent. Quò factum est, vt quum multa serpentum genera per alueum Tyberis, æstuante fluuio, essent deuecta, inter hæc draco mira quadam & insigni magnitudine per Vrbem transiens, vsq; ad ipsum mare descendit: quod & mox horribile prodigium pestis maxima secuta est. Iam verò & Octauius August. draconem, siue anguem, quin

Biblioteca de Galicia

quinquaginta cubitorum Romæ habuit, eúmq; pro comitio Romano populo ostentare consueuit: sicuti etiam Rhinocerotem apud septa, & Tigrim in scena, siquidem Augustus idem eiusmodi ludis ac spectaculis magnopere tenebatur. Mittimus nunc historiam de illo nobili dracone, quem Attilius Regulus in Aphrica ad Bragadam fluuium, castris ibidem positis, ac machinis admotis tandem interfecit. Cuius etiam corium CXX. pedum longitudine fuisse traditur: cúmque illud in Vrbem mitteretur, diu à Romanis, non sine miraculo, spectatum est: sicuti & Tubero in historia, & Gellius aliíq; ex Græcis permulti scripserunt.

De symbolis Ægyptiæ theologiæ: ac de Loto arbore, super quam Deus locaretur: aliáque obiter non iniucunda de Loto capillata. CAP. IIII.

INter alia symbola, siue notas Aegyptiæ theologiæ, Loton, Persicum, & eiusmodi alias arbores inuenio celebrari, quibus doctrina occultior, atque intellectus signaretur, vt multi ex veteribus testantur. Nam & limnan cum nominabant, symbolicôs mundi molem, seu corpus intelligere soliti sunt, quo ipsa rerum materia exprimitur. Cùm verò Deum Loto insidentem dicerent, id quidem pro Deo ipso, atque diuina intellectus perfectione accipiunt.

Biblioteca de Galicia

piunt. Quod & Chalcidensis Iamblichus ad Porphyrium scribit. Quoniam, inquit, omnia in Loto & orbiculata & rotunda sunt, & poma & folia, quæ figura omnium proculdubio absolutissima est. Sedenim ex ea effigie, inquit Iamblichus, mentis actio denotatur. Deus autem super hanc actionem in seipso totus consistens, ac reliquos principatus exuperans, sanctus & vbique venerandus penitus conquiescit: quod ex ipso etiam sedentis habitu pernoscitur. Nam hic idem, cùm generationis ac totius naturæ virium omnium, quæ insitæ elementis sunt, causa existat, immaterialis quidem ipse, indiuisus, immobilis, ingenitus, totusq; ex seipso, & in se ipse totus, omnia complexus. Qua ratione super aquatilem Loton eiusmodi numen Aegyptij prænotarunt. Proclus autẽ quo loco de Magia disserit, animantia quædam, lapidésque, & arbores recenset, quæ suis dicata numinibus, maximè præstant: Loton etiam inquit, Apollinis numini adscriptam, atq; dicatam: quòd ante Solis emersum sua folia implicat, prosurgente autem sensim ac paulatim explicat: & quatenus ad mediam cæli plagam ascendit, folia expandit, quò veneretionem suo numini peculiarem ostendat. Notum verò, quòd in vrbe olim Roma & Lotos plurimum celebrata est: nec illa tantum, quæ in Lucinæ area esset, & quæ item in Vulcanali

canali: verùm quæ capillata diceretur, quoniam Vestalium virginum ad hanc capillus deferretur. Quas omneis æui longissimi fuisse, testes, sunt & M. Varro, & C. Pli. De eadem arbore, eiusq; magnitudine, fructu, & viribus permulta apud Theophrastũ, & cæteros comperiuntur. Neque enim ignoramus & herbam esse Lothon, & inter palustres etiam caules referri. Hæc in Aegypto fabæ similis traditur: arbor verò in Aphrica frequens, pyri magnitudine censetur, quam Celtin vocitant, vt à Plinio seruatum est.

Scita admodum ac elegans expositio à Plutarcho, de origine verbi, quod est Spurius: ac nonnihil etiam de Latinis prænominibus. CAP. V.

IN commentarijs veterum Grammaticorum, illi homines ferè à Latinis nominati sunt Spurij, qui non ex legitimo genere, sed ex quadam colluuione orti sunt: quòd eorum videlicet parentes ignorentur: nam & ipsi, velut ignobiles, notissimo dicto Terræ filij, olim dicebantur. Sed vnde originem duxerit hoc verbum, quámque rationem habeat, Plutarchus homo in omni disciplinarum genere diligentissimus, egregiè exponit in Romanis quæstionibus. Quum veteres, inquit, Romani complura nomina vnis literis, aut binis, terniſve signarent, veluti P. Cn. Ser. & Sext. hoc est, Publios

Biblioteca de Galicia

Publios, Cneos, Seruios, & Sextos, quæ patrum forent prænomina: Spurium itidem binis literis ita notabant, Sp. quæ descriptio & orbatos parentibus indicabat: quoniam si quos sine parentibus dicerent, Sp. tantùm scriptitabant. Quò factum est, vt Spurios etiam vocarent eos, qui incerto genere crederentur. Quòd autem viris honestissimis hoc prænomen inditum fuerit, Sp. Carbilius Ruga, Sp. Melius, aliiq; complures testantur, tali prænomine insignes. Neque probandum censeo eorum opinionem, qui etymon huius vocis ad ipsos Sabinos referant: tametsi prænomina etiam Romanorum, vt alibi diximus, magna ex parte à Sabinis accepta sunt.

De Vestalium capillis, qui ad arborem Loton obruerentur: ac Plinij locus expositus: tũ quæ arbores felices, aut infelices à veteribus habeantur. CAP VI.

IN libro C. Plinij ad Vespasianum Augustum XVI. *quum de arborum ætate scribit, verba hæc sunt: Antiquior Lotos est, quæ capillata dicitur, quoniam virginum Vestalium ad eam capillus defertur. Quo loco dubitari video à doctioribus, quid Plinius designet de Vestalium crinibus. Nos verò morem virginum putamus insinuari, quo tenerentur omnes, quæ Vestæ sacris forent initiatæ, capillum detonderi, qui deinde ad arborem Loton inter*

Biblioteca de Galicia

felices receptam deuectus humo obrueretur. Quod ipsum ex Flaminum ac Vestalium sacris elicitur: in quibus cautum fuit, sicut in veterum commentarijs traditur, vt vnguium, & capilli præsegmina subter felicem arborem terra obtegerentur: quod Aulus Gellius in Atticis noctibus refert, sic enim de Flaminum sacris notatum:

Capillum dialis nisi qui liber homo est, non detondeto.

Vnguium dialis, & capilli segmina, subter arborem felicem terra integunto.

Quam rem in Vestalibus etiam obseruatam existimo: itaque ad capillatam Loton earum crines depani mos fuit. Sextus autem Pompeius in hoc videtur dissentire: cùm capillarem arborem ea ratione dictam crediderit, quòd ad eam, vt inquit, attonsus capillus suspenderetur. Felices verò arbores sunt, quæ à Veramio traduntur, quercus, æsculus, ilex, fagus, corylus, sorbus, ficus alba, pyrus, malus, vitis, prunus, & cornus. Infelices verò dicit, quæ dijs manibus & inferis, dicatæ sint, vt sanguinem, felicem, ficum atram, & quæ nigranteis baccas, nigrósque fructus ferunt, de quibus copiosè Macrobius ad Eustathium scribit. C. quoque Plinius eas dicit arbores religione damnatas, quæ neque seruntur vnquam, neque fructum ferunt: quod ipse etiam

Theop

Biblioteca de Galicia

Theophrastus non ignorauit.

Quid apud veteres sit Prætextatus sermo: ac de verbis prætextatis, & quomodo in ea voce parum consentiant autores.

CAP. VLI.

TRaditum est à C. Suetonio Cæsarem Vespasianũ plurimæ dicacitatis fuisse, & sic scurrilis ac sordidæ, vt nec prætextatis quidem verbis abstinuerit. Quo loco Prætextata verba, ac sermonem vocat subobscœnum & impudentem, cuiusmodi peculiaris est iunioribus ac pueris, qui prætexta vtantur, nec togam virilem induerint: sic enim ex ipsa vocabuli ratione videretur intelligendum. Quod à me ob id in primis notatum est, quoniam contraria his ac penitus diuersa à Pompeio Sexto referuntur libro XVI. de verbis priscis: Nefas, inquit, apud veteres habitum, vti prætextati pueri verbis obscœnis vterentur: ideoq; Prætextatum sermonem appellarunt, qui nihil obscœnitatis referret: quod ipsum & Vestius Prætextatus apud Macrobium videtur probare: Nam togam, inquit, prætextam ea ratione pueris additam, vt ex colore purpuræ ingenuitatis pudor regeretur: diuque negatum libertinis fuit, vt prætexta vterentur. Idque iudicari facilè potest, vel ex mutatione vitæ apud Romanos verbi signifi-

Biblioteca de Galicia

catum permutatum, aut ipsos quandoque autores pugnantia, & contraria scribere. Neque illorum sententiæ accedimus, qui apud eundem Pompeium sermonem prætextatum accipiunt pro impudico & lasciuo: cùm nihil dixerit habere obscœnitatis. Hinc prætextatæ fabulæ apud antiquos celebres, quibus præcepta & monitiones ad optimos mores traderentur. Neque autem ignoramus in eodem Macrobio Prætextata verba pro impudicis esse accipienda, cùm dixerit, admittendam in symposio venustam alacritatem, quæ lasciuia careat: neque Prætextata, & impudica verba adsint, cuiusmodi Subulones, atque Planipedes faciunt. De Prætextata verò, eiusque initio & causis alibi scripsimus: ac multa in Saturnalibus referuntur, quæ Macrobius è Gellianis noctibus maiore studio, quàm iudicio transtulit: cùm sit obnoxiæ mentis, & ingenij maximè infelicis, nunquam fateri, per quos autores profeceris.

Aenigmata duo allata, vnum scilicet ex Platone: alterum verò ex fabuljs Plautinis, & vtrumque lepidum, & perurbanum.

CAP. VIII.

QVærebatur nuper à viris doctioribus, de studio veterum in his perquirendis ac referendis, quæ propter ipsam obscuritatem à Græcis Griphi & Aenigmata dicuntur. Sed ex plu

ex pluribus quæ relata sunt, libitum mihi est Platonis philosophi ænigma apponere: quo legentium animus in his quoque pensitãdis. atque intelligendis excitetur. Est autem hoc, velut in Parthenicis satyris triplici senariolo expressimus, ludicrum sanè & ridiculum: sed quod à Platone tamen viro grauissimo notatum sit:

Homo non homo, videns non videns, alitem
Non alitem, lapide non lapide perculit,
Cùm super arbore, nõ super arbore degeret.

Quin & aliud de Arietini responso considerandum existimo, quod in Atticis lucubrationibus relatum scimus ex Freto Plautina. Id autem in hunc modum se habet:

Hoc illud, quod Arietini respõsum magnis
ludis dicitur,
Peribo si non fecero, si faxo vapulauero.

Quod & Gellius vir Romanus diligenti studio perquisiuit.

De licentia veterum Poëtarum in notandis hominibus: ac elegans Parodia Metelli Cons. contra Poëtam Neuium. Tum de lege à Censoribus lata, qua Poëtarum maledicentia reprimeretur. CAP. IX.

NOtum est ex veterum historijs, quanta animi libertate ac licentia Poëtæ Græci flagitia hominum, atque improbitatem insectaren

Biblioteca de Galicia

Etarētur: tum hi præcipuè, qui antiquas comœdias scripserunt, cuiusmodi fuerunt Susarion, Machnes, Cratinus, Aristophanes, Eupolis, & alij complures: quorum ingenium & licentiam apud nostros etiam quidem sunt imitati in taxandis, ac nominatim accusandis hominibus. Si quidem Lucilius, Cn. Neuius, & C. Lucullus acerrimi quidem, ac virulenti contra vitia extiterunt. Neuius certè Poëta Metellos etiam ipsos, ac Scipiones suis versibus prescidit, quod & M. Cicero pereleganti Parodia vsus contra Q. Metellum in oratione aduersus Verrem significat, sicuti Pedianus quoque Asconius agnoscit: sic enim Cicero: Te non fato Cōsulem, vt cæteros ex vestra familia: quoniam idipsum Poëta Neuius ita Satyricè dixerat:

Fato Metelli Romæ fiunt Consules.

Cui etiam dicto (vt est autor Pedianus) cùm esset consul Metellus, ita respondit senario hypercatalecto, quem Saturnium vocamus:

Dabunt malum Metelli Neuio Poëtæ,

De qua re & Maurus Terentianus ad Nouatianum meminit. Quin idem Neuius pari licentia atque mordacitate vsus est contra P. Scipionem Aphricanum, nulla tanti hominis ratione habita. Quò factum est: vt Poëta Neuius ob niniam in scribendo Maledicentiam, ac probra in Romanos principes, ab ipsis quidē Triumuiris in vincula coniectus sit, & in car-

cere

Biblioteca de Galicia

cere aliquandiu haberetur, vbi fabulas etiam aliquot composuit. Sedenim maledicendi licentia, & improbitas adeò processit, vt lex Romæ per Censores lata fuerit, qua eiusmodi probra ac maledicta reprimerentur. Quod ab Horatio Flacco demonstratur, qui in epistola ad Octauium Aug. refert veteres Romanos irato animo atque ægerrimo tulisse à Poëtis lacerari. Vnde fuit illis hæc quoque cura, inquit,

Conditione super communi, quinetiam lex,
Pœnáque lata, malo quæ nollet carmine quenquam
Describi: vertêre modum formidine fustis,
Ad bene dicendum, delectandumq; redacti.

De morbo elephantiasi, & vnde nomẽ acceperit: ac de Lichenis ibidem & Gallica scabie contra quorundam insciitiam.

CAP. X.

RIsum nuper mihi mouerunt medici quidam in Academia Florentina, qui cùm de Lichenis & Elephante morbo, seu Elephantiasi loquerentur, imperitè simul & ineptè de his, eorúmque nominibus & potestate disseruerunt. Inter alia enim Lichenas pro eo morbo falsò accipiebant, quem vulgò Gallicum vocitant, in quo contagio ipsa, doloréque, &

Biblioteca de Galicia

alia permulta maximè dissimilia sunt. Elephantiasis (quantum ex veterum commentarijs colligitur) pro Cancro accipi potest, quo vniuersum penè corpus occupetur: itaque nullis propè remedijs sanari potest, iuxta Pauli sententiam. Nam si cancer quòd vnum aliquod membrum vexat, penè insanabile est, quantò minus Elephas curari poterit, qui vniuersum corpus suo passim contagio depascitur? Sed & Claudius Galenus, aliique permulti, in medicina celebres, inter pestilentissimos morbos & insanabiles Elephantiasim referunt. Neque me autem præterit, in Arabum libris ea de Lepra referri, quæ maximè ad Elephantiasim videantur pertinere, quoniam ille morbus Aegyptios maximè afficiat, quòd ibi cæli calores æstuent, cibique crassiores, & pisculenta copiosè suggerantur. Græci verò autores Elephantiasim à Lepra distinguunt, sic vt in lepra cutis impetiginem quandam, & velut scabiem acceperint, quæ Galliæ populos incredibili contagio tenet: in Elephantiasi autem non cutis duntaxat, sed nerui carnésque, & ossa maximè vitiantur, quod & Cor. Celsus aliique permulti tradunt. Iam & T. Lucretius, quo loco de morborum contagione scribit, pedes maximè refert atque oculos Elephantiasi affici, his versibus:

Est elephas morbus, qui propter flumina Nili

Nili
Gignitur Aegypti in medio: neque præterea vsquam:

Hac lue tentantur gressus, oculiq; micantes.

Nomen verò tam obnoxij, támque pestilentis morbi deductum est ex ipsa similitudine cutis Elephanti, quoniam qui eo morbo vexantur, cutem suffuscam plenámque tuberibus, & papulis habent, qualis præcipuè in Elephantis visitur: quod ipsum & Galenus probat. Sed & Serenus in hunc modum de Elephantiasi:

Est Elephas morbus tristis, quoque nomine dirus,
Non solùm turpans infandis ora papillis,
Sed citò præcipitans funesto fata veneno.

Quod ego idcirco putaui obseruandum, quoniam Laurentius Valla, vir alioquì accuratè doctus, quorundam ineptias secutus, ob id Elephantiasin dici existimauit, quòd inter alios omnes morbos ita præstaret, sicuti inter animantia Elephas: quo nihil potest esse, non dico magis absurdum, sed etiam ridiculum.

Biblioteca de Galicia

PETRI CRINITI DE HONESTA DISCIPLINA COMMENT.

LIBER XXI.

Qui maximè dicãtur apud veteres nullo affectu perturbari: ac de M. Antonino Imperatore,& Philippo Augusto.qui nullo vnquam commento ad risum potuit excitari. CAP. I.

NOBILES *sunt in veterum monumentis complures, qui ex ipsa animi constantia & apathia, vt Stoici appellant, eodem statu in omnibus atque tenore ita permanserint, vt nullis propè affectibus, aut perturbationibus mouerentur: quales celebrantur viri sapientes & ingenio præclari, Socrates, Heraclius, Diogenes Cynicus, & Pyrrhõ. Apud nostros verò M. Crassus, qui semel in tota vita risit, ob id appellatus ἀγέλαστος. Sed & visum ad hæc de Romanis etiam Imperatoribus aliquid afferre, vt de M. Antonino Cæs. qui Philosoph⁹ est*

cogno

cognominatus, Ac de Philippo iuniore Augusto, M. enim Antonius tanta animi tranquillitate, ac mentis constantia fuit, vt nullo vnquam affectu, nullis rerum fortunis vultum dicatur immutasse. Quem vitæ rigorem ac seueritatẽ auxit etiam philosophiæ Stoicæ professio, in qua seipsum continuit, præceptoribus ad eã optimis: siquidẽ inter alios cõplures Sextũ Chæronẽem Plutarchi nepotem, & Apollonium Chalcedonium magno studio coluit. Neque obfuit eiusdẽ cõstantiæ, aut filius gladiator, & scelestus aut vxor infamis, vt à Iulio Capitolino relatũ est ad Imperatorẽ Diocletianũ. Philippus verò iunior, qui cũ patre imperauit, anno ab vrbe cõdita millesimo, tã seueri animi, tãque inflexibilis fuit, vt nullo vnquã cõmẽto nullisq; rationib⁹ ad risũ solui, aut excitari potuerit: & quod est maximũ seueritatis exẽplũ, cum patrẽ fortè aspiceret ludis secularib⁹ petulãtius cachinnantẽ, eũ ipsum auersato vultu notauit vt ab Eutropio, traditum est in Rom. historia.

De Mario Gratidiano, viro prætorio: & quanta immanitate à Sergio Catilina dissectus atque interemptus fuerit in Syllanis tumultibus, ex Iulio Firmico & alia de Catilina & Ciceronе addita contra Fenestellam. CAP. II.

CElebrati sunt apud veteres è Mariorum familia complures, qui & rebus gestis, & digni-

dignitate claruerunt: nam Marij duo, ac totidem Catones censentur: de quibus commodè in Rom. familiis egimus. Hoc autẽ loco de M. Mario dicendum est, Marij Gratidij filio, de quo sic Q. Cicero ad M. Tullium scribit, in libro de petitione consulatus. Cùm L. inquit, Catilina consulatum petis, qui hominem charissimum Senatui populoq; Romano M. Marium inspectante Pop. Rom. virgis per totam Vrbem ceciderit, ab bustum egerit, ibidem omni cruciatu laceravit, vivo statim collum gladio sua dextra secuerit, cùm sinistra capillum eius à vertice teneret, caput sua manu tulerit, cùm inter digitos eius rivi sanguinis fluerent. Hunc igitur M. Marium designat, qui à L. Catilina crudelissimè interemptus est. M. verò Cicero in ea oratione, quam habuit contra Antonium & Catilinam competitores, copiosè retulit de hoc ipso Mario. Is enim, vt est autor Pedianus, vir popularis fuit, atque ob eam causam bis prætor: cuius abcissum caput sua manu Sergius Catilina per vrbem circuntulit, quod illi à M. Tullio sæpius obiectum est. Iulius autem Firmicus sic de cæde Mariana scribit ad Mauortiũ Lollianũ: Prætorio viro iuniori Mario, qui iudicio omnium benemeritus de rep. videbatur, Syllana iussione elisa sunt prius crura, deinde deiecta de statu corporis brachia humeris tenus dissoluta ceciderunt, tertio amputata lin-

gua

gua vocem reliquit in faucibus, ad postremum omni parte corporis mutilata, oculi, qui fuerant spectatores & superstites, egeruntur: & in tam angusto corpore à nefario patriæ carnifice tot sunt inuenta supplicia, & vix anima tantis vulneribus erogata est. Quod iccirco adnotauimus, ne tam imperitè quidam à veteribus dissentiant. Nec illud prætereà concedi debet, quod à Fenestella proditum fuit, L. Catilinã à M. Cicerone fuisse in causa defensum, etsi ad Atticũ scripserit, se cogitasse de Catilinæ defensione. Hoc tempore, inquit, Catilinam Competitorem nostrum defendere cogitamus: iudices habemus quos volumus, summa accusatorum voluntate: spero si absolutus erit, coniunctiorem nobis fore in ratione petitionis: sin aliter acciderit, humanuter feremus.

De vaticiniis per aquam, & per vinum, & apud quos maximè populos clara essent, ex Plutarcho & aliis autoribus.

CAP. III.

SCriptum à nobis est superiori volumine de his vaticinijs, quæ in Brãchis, Delphis, atque Cathaballis apud veteres fieri consueuerint: nunc libitũ est ea addere, quæ apud Thracenses populos, & Clarios celebrentur, quò tam dissimilis quidem vaticinandi ratio, tam'que dispar consuetudo in oraculis edendis intelligatur.

Biblioteca de Galicia

gatur. In Thraciæ igitur regione apud Ligureos adytus fuit Libero sacer: ex quo cum vaticinia & oracula reddi solerent, eius templi antistites vino affatim epoto respondebant. Apud Clarios antè, vbi clarij Apollinis templum foret, diuersa res traditur: nam quibus diuina effari permissum esset, aqua prius assumpta rem peragebant: quod ipsum Vectius Prætextatus apud Macrobium refert, quo loco eundem esse Deum Liberum atque Apollinem copiosè disserit. Plutarchus autem Chæroneus & aqua & mero testatur antistites quosdam apud diuersos populos sacra perficere, ac deinde vaticinari. Vt enim vinolenti dicuntur prædiuinare, sic etiam Lympholenti.

Iunonis Monetæ nomen, & origo allata: tum de ejusdem templis, & inscriptione in numinis Cæsaris Domitiani Augusti.

CAP. IIII.

TRaditum est à M. Tullio, cùm de diuinatione scribit, Iunonem ipsam ideirco à Romanis Monetam vocari solitam, quòd ex arce templi Rom. populum commonuerit, vt propter terræmotum, qui acciderat, sue plena rem procurarent. Qua in re video ab antiquis plurimũ dissentiri. Maximus Valerius, & alij, Iunonis tradunt Monetæ imaginem à Veiorum oppido Romam delatam, quo tempore Impera-

tor

tor Furius Camillus suis auſpicijs Veios ſuperauit: nam apud eos præcipua quidem religione Iuno Moneta colebatur. Captis autẽ Veijs, cùm miles fortè Rom. per otium eam rogaret, an volens Romam concederet, annuiſſe ferunt, ac ſe velle reſpondiſſe: quæ res in admirationem verſa eſt, ac protinus læti milites eiuſdem ſimulacrum in Vrbem deuexerũt, atque in Auentino monte collocatum eſt. Neque tamen deſunt, qui Allocutio Deo illa adſcribant; quæ de Iunone Moneta referuntur, quo nihil dici poteſt abſurdius: cùm Deus Allocutius, ſiue Aius, nã idem eſt, cauendum à Gallis ſua voce monuerit, ac infima via nouã arã habuerit, quod apud veteres multi commemorant, ſed eorum inſcitiã alibi cõmodius repreſſimus. Tẽplũ verò Monetæ nõ in Auẽtino tãtũ video ab autoribus celebrari, ſed in ipſo etiã Capitolio, vt idem Maximus Valerius ac Liuius aſſerunt: quo loco Manlij Capitolini domus fuiſſe traditur. Pub. autem Victor in regione Vrbis tertia collocauit, vbi Thermæ Tatianæ atq; Traianæ forẽt. Sed & Macrobius Aurelius ædẽ refert Iunonis Monetæ calendis Iunijs dicatam, Coſſ. Claudio Martio Rutilio. III. & T. Martio Torquato. II. Neq; dubiũ eſt in æde Monetæ ſolitos ſeruari libros linteos, in quibus Ro. Imp. facta cõtinerentur. Quin illud adnotãdũ eſt, quòd in peruetuſtis etiam nummis Domitiani Aug.

tales

talis descriptio seruatur: DIVAE MONETAE. quod & Ber. Oricellarius obseruauit, vir & in gubernanda rep. prudens, & in perquirendis veterum monumentis diligenter accuratus.

De vitibus Dæmonum, & quod eorum sex genera tradantur, diligens adnotatio, ex commentariis Pselli, & Augustini.

CAP. V.

LIbrum fecit Augustinus de potestate dæmonum, in quo eruditè atq; copiosè explicat, quantis viribus polleant, quoq; habitu sint, & quibus maximè rebus aduersari, aut oblectari soleant. Qua in re non tam Christianam videtur Academiam sequutus, quã Platonicorum placita, & commentarios, in quibus multa de his comperiuntur. Quòd autem sex eorum genera habeantur, id ego apud Michaëlem Psellum inuenio, qui ex Marci traditionibus hoc totum egregiè recensuit, Basiliúmque & Paulum viros doctrina & morum sanctitate clarissimos aduocauit in historia dæmonum. Ad hunc igitur modum diuersam eorum naturam, atque potestatem retulit: Primũ, inquit: dæmonum genus Igneum censetur, quod in sublimiori aëre peruagari solitum est, vt Marcus dicebat, qui illud voce barbara Leliureon appellabat. Secundum genus quod in proximo aëre, ac nobis propinquo obuolitat, quod etiam-

num

num à plerisque Aëreum nuncupatur. Tertium porrò Terreum, quod in terræ ipsius regionibus versatur, ex quo multiplici ratione, atque insidijs terrenis animantibus aduersatur. Quartum Aquatile & Maritimum dicitur, quod humoribus se immergit, vndiuagum scilicet, ac in palustribus habitans, vt multos in aquis malè afficiat, æstúsque ac tempestates in mari excitet, ac nauigia ipsa cum hominibus prorsus demergat, atque inobruat. His adijcitur quintum genus, quod appellat Subterraneum, quando & ipsis terræ visceribus inclusos dæmones, atque abditos tradit, vnde motus terræ, fundamentorum ruinæ, ac ventorum colliſiones oriantur. Præcipuè autem infestari hoc dæmonum genere scribit eos homines, qui aut in puteis effodiendis versantur aut in metallis perscrutandis. Sextum & vltimum, quod omnem quidem lucem refugit. Tenebrosúmque ideirco vocitat, quoniam in tenebris assiduè teneatur. Mitto nunc quibus potissimum insidijs, aut quo astu scripserit eos decipere, atque allicere humanum genus. Constat enim (vt est autor etiam Augustinus) omneis ferè dæmoneis hoc ingenio & natura esse, vt Deos pariter oderint, & hominibus maximè aduersentur. Sed alibi hoc totum disseruimus.

Quæ figura sit dicendi in veterũ libris Medius fidius: quáque origine censeri de

Biblioteca de Galicia

beat, ac de Fidio Deo nonnihil.

CAP. VI.

MEhercule, & Mecastor figura est in veterum libris admodum frequens, qua intelligendum est, diligat vel adiuuet: quod à Sex. Pompeio diligenter est obseruatum. In hoc enim, inquit, iureiurando subaudiendum est: me amet, vel adiuuet, quibus figuris multò sæpius Græci autores vtuntur. Quo autem modo accipiendum sit Mediusfidius, pauci adhuc, vt video, probè intelligũt, aut originem percipiunt. Ego verò ita expono, vt eiusmodi quidem locutio perinde valeat, atque mehercules, & Deusfidius, cuius sacra Romanis Annalibus tradunt, eiúsque templa in vrbem à veteribus relata sunt, sicuti Plutarchus. Varro, & Poëtæ Latini testantur. Sed & Sex. Pompeius in libro de priscis verbis XII. *pro Iouis filio accipit, quoniam d, litera cum l, affinitatem retineat. Itaque iusiurandum hoc, inquit per Diui fidem quidam dixerunt. In fabulis autem Plautinis iusiurandum refertur per deum Fidium. Hunc enim Sanctum Fidiumq; appellantes, in Quirinali iugo veteres coluerunt Nonis Iunijs. Quocirca sic in Fastis Ouidius:*

Quærebam nonas Sancto Fidióne referrem.
An tibi Semipater: tũc mihi Sanctus ait.
Cuicũque ex illis dederis, ego munus habebo:
Nomina trina fero, sic voluere Cures.

Hunc

Hinc igitur veteres donarunt æde Sabini,
Inq; Quirinali constituere iugo.

Quibus verbis in Latino sermone vti debemus: & quòd verecunda esse debeat in componendis vocibus tralatio.

CAP. VII.

IN sermone Latino habenda est præcipuè ratio in verbis componendis, atque vtendis: cùm ex infinita vocabulorum sylua, alia quidem ad vsum pertineant, alia ad eruditionem, alia verò ad gratiam. Itaque verba desita & parum frequẽtia cognosse debemus, eorúmque vires, & comparationem scrutari: antiqua verò & propria recipere, Poëticis delectari. Qua ratione Terentius Varro cùm scriberet ad M. Tullium, prudentissimè inquit, Poëticis multis verbis magis delector, quàm vtor: antiquis magis vtor, quàm delector. Tralatio autem in componendis vocibus (vt est autor Theophrastus) non audax, aut insolens debet esse: sed proba, & verecunda. Quod ipsum Pontanus etiam Ioniamus approbat, vir vnus ætate nostra, qui antiquitatem ipsam ac disciplinas honestiores pari facundia atque ingenio exprimat.

De insigni atque mirifico portento infantis, qui duplici pectore atque capite biennium vixerit, historia non cõtemnenda ac de causis portentorum.

CAP. VIII.

Biblioteca de Galicia

NOtum est, quàm multa sunt relata prodigia in veterum annalibus atque historijs, quantumq; admiranda. Sed vnum præcipuè hoc loco repetẽdum existimaui, præ cæteris (quæ vnquam scribantur) insigne, atque monstrificum, si modò hac in re antiquitati fides habeatur. Traditũ est igitur in oppido quidem Emaus, Theodosio Cæs. imperante, puerum natum fuisse, qui vmbilico tenus integer extaret. Supernæ autem partes eiusdem gemina facie apparebant, vt duo pectora, totidemque capita essent suis partibus ac sensibus prædita: nam & vna pars aliquando cibis & potione vtebatur, altera abstinebat. Sic itidem in somno & quiete variè ac differenter se habebant, vt vicissim lusitarent, & risu & lacrymis tenerentur, mutuisque plagis se cæderent, ac si diuersis animis atq; ingenio forẽt. Annis autem propè duobus vixerunt. Factum deinceps est, vt cum alter perierit, qui superfuit, quadriduo post ex agnata tabe computrescens interijt. Quam rem Sigibertus in suis commentarijs retulit: homo quidem diligẽs, atque vt illis temporibus, studiosus magis, quàm eloquens. Quibus autem rationibus eiusmodi portenta oriantur, Galenus & Aristoteles copiosè docent, vt aliorum sententias omittamus. Et affirmat quidem Aristoteles, idcirco fieri monstra in animantibus, quoniam plura ac diuersa semina inter se cohæ

se cohæreſcunt, atque confunduntur, aut cùm fortè materies exceſſus vel defectus extiterit.

Traditum eſſe, quòd ex viris ſapientibus plerũque inſani, ac dementes gignantur, exemplo addito de Ariſtarchi filiis viri doctiſſimi, & aliorum complurium, ex Ælij Spartiani verbis. CAP. IX.

DE Ariſtarcho grammatico qui Alexandrinus fuit, eiusq; multiplici ac ſingulari eruditione complura leguntur in Græcorum commentarijs. Cùm is vnus & cenſor maximus omnium Poëtarum ſit habitus, & Philometoris regis filij præceptor extiterit, qui Philadelphi nepos fuit. Illud autem de liberis Ariſtarchi conſiderandum eſt: nam cùm duos fortè habuiſſet, hoc eſt Ariſtagoram, & Ariſtarchum, vterque demens ac ſtolidus fuiſſe dicitur: ſicuti & Suidæ collectanea teſtantur. Quo nomine haud temerè quæſitum eſt à philoſophis. Cur ex viris ſapientibus plerunque ignaui ac dementes oriantur. Sed hac in re libitum mihi eſt verba Aelij Spartiani ſubijcere ad Imperatorẽ Diocletianũ: Conſtat, inquit, Auguſte neminem propè magnorum virorum optimum & vtilem filium reliquiſſe: denique aut ſine liberis viri interierunt, aut tales habuerunt, plerique, vt melius fuerit de rebus humanis, ſine poſteritate diſcedere. Et vt ordiamur à Romulo, hic nihil liberorum reliquit, nihil

Biblioteca de Galicia

Numa Pompilius, quod vtile posset esse Reipu. Quid Camillus? num sui similes liberos habuit? Quid Scipio? Quid Catones? qui magni fuerũt. Iam verò quid de Homero, Demosthene, Vergilio, Crispo, Terentio, Plauto, cæterisq; aliis loquar? Quid de Cæsare? Quid de Tullio? cui soli melius fuerat liberos nõ habere. Quid de Augusto? qui nec adoptiuum bonum filium habuit, cùm illi eligendi potestas fuisset ex omnibus. Falsus est etiam ipse Traianus in suo municipe ac nepote deligendo. Sed ad genitos veniamus. Quid Marco felicius fuisset si Cõmodum non reliquisset hæredem? quid Seuero Septimio, si Bassianum non genuisset?

Quomodo sit accipiendum Stadium: & quàm multiplex fuerit: ac nonnihil etiam de aliis mensuris. CAP. X.

SCriptum est à veteribus diligenter de mensuris, earúmque varijs ac diuersis rationibus, hoc est, de iugero, miliario stadijs, & paraſangis. Nos hoc loco de ipso Stadio breuiter agemus, quò inscitiam quorundam, atque ineptias denitemus: qui cum de re hac nuper sermonem haberent, imperitè simul atque perplexè disseruerunt. Itaque sciendum est, nomen ipsius Stadij diuersum, ac multiplex fuisse, tum spatio inter se dissimili: præcipuè autem nominatur Olympicum, Pythicum, & Italicum. Nam Pythicum quidem pedibus mille-

nis

Biblioteca de Galicia

nis finitur. Olympicum pedibus CCCC. Italicum pedibus CXXV. sic enim Censorinus refert, qui de Natalitio ad Cerellium scripsit. Neque me latet Herculis quoque stadium ab antiquis celebratum, quo CC. pedes haberentur: quod ipsum stadij spatium Hercules suis pedibus metatus est Pisis apud Iouem Olympicum, de quo & Plutarchus, & in Atticis Gellius meminerunt. Neque desunt etiam autores, qui tradant, octauam partem milliarij ipso stadio fere contineri: tum Diaulon & Dolichen addunt. Vt enim stadij mensura pedes CCCC. habet in vniuersum: ita Diaulus M. CC. Dolichus stadia XII. & Schenus XX. vt ipse etiam Plinius refert: etsi hoc totum in Græcorum commentarijs, cum à pluribus alijs, tum ab ijs relatum est, qui Platonis leges interpretati sunt: quo loco de currendi ratione, & ludis Olympicis disserit. Pollio autem Vitruuius Stadiatas porticus appellauit, ex ipsa stadij, vt puto, mensura, sicuti etiam Milliarias dicimus. Mensuram verò ij, qui Geometræ appellantur, in hunc modũ haberi scribunt: hoc est, quicquid pondere, capacitate, longitudine, altitudine, latitudine ac spissitudine finiatur: vt Boëthius, & Iunius Nypsius. Is enim in libro de mensuris agrorum sic ad Celsum: Mensurarum, inquit, appellationes, quibus in longitudine vtimur, XII. sunt, id est, digitus,

Biblioteca de Galicia

uncia, palmus, sexta, pes, cubitus, gradus, passus, decempeda, actus, stadium, miliarium. Sed hæc suo loco sunt pluribus differenda.

Præclarè factum, atque ingenti animo ab Auidio Cassio Aug. in seditione exercitus: atque eiusdem verba ibidem relata.

CAP. XI.

DIgnum facinus à Volcatio relatum est de Cassio Auidio Augusto eiusq; egregio animo. Nam cùm in exercitu quem Imperator regebat, magna seditio orta esset, ac milites ipsi velut ad conflictum æstuarent: tumultu comperto egressus prætorio Auidius, sagoq; tantùm castrensi tectus. Et me ipsum (inquit) milites percutite, si hoc audetis, & corruptæ disciplinæ flagitium addite. Quo audito omnes quidem quierũt: simúlque illum prosequuti sunt, non sine mirifica obseruatione. Itaque dictum pereleganter est à Volcatio de Auidio Imperatore. Timeri à milite meruit, quia ipse non timuit. Idem Augustus Syriacas legiones luxu ac delicijs defluentes, ad pristinam seueritatem, atque disciplinam redegit. Tum in Armenia, & Arabia, atque Aegypto strenuè ac præclarè rem gessit.

Quibus liceret in Vrbe sepeliri: ac de Posthumio Tuberto viro consulari, de quo M. Cicero in legibus subobscurè intellexit.

CAP. XII.

Notatum

Biblioteca de Galicia

NOtatum alibi à nobis est, fuisse apud Romanos lege cautùm, ne quis in Vrbe sepeliri posset, præter eos tantum, quiꝰ egregiæ virtute, rebúsque clarissimè gestis, meriti hoc essent: quod ipsum exemplo Atheniensis populi factum ab illis existimamus, vt qui Solonis leges de Sepulcris magna ex parte sequerentur. Plutarchus autem in Rom. quæstionibus, eis tradit ex Lyparei autoritate concessum in Vrbe sepeliri, qui de hostibus triumphassent: tum Val. & C. Fabritium nominat, qui ob eorum præclara facinora sepulcrum in foro habuerunt. Sed & M. Cicero cùm leges Romanorum exponit, idem asserit, ac Val. quoque Publicolæ, & C. Fabritio Tubertũ adꝰcit: cuius summa virtus, vt inquit, hunc honorem promeruit. Nos autem de Tuberto ipso diu quæsiuimus, quando eius nomen Latinis annalibus, atque historijs minus videatur compertum. Dionysius verò Alicarnasseus in Rom. antiquitatibus, P. scribit Posthumium virum consularem, ac maximè nobilem, qui Tubertus fuerit appellatus. Anno, inquit, post exactos reges quinto, quo tempore Iscomachus Crotoniates in stadio victor fuit, creati sunt Romæ Coss. M. Valerius Publicolæ frater, & P. Posthumius, qui Tubertus est cognominatus. Itaque dubitari amplius non potest, Tubertum ipsum apud M. Ciceronem virum consu-

Biblioteca de Galicia

larem fuisse: quem & Liuius, & alij posthumium vocant: referentes ab eo prosperè pugnatum contra Sabinos: ac secundo eius consulatu deuictis Sabinis orationem celebrasse, ob præclara eius gesta, Menenimq; Agrippam eius collegam triumphasse. Quibus rationibus factum crediderim, vt in ipsa etiam Vrbe sepulcrum meruerit Posthumius Tubertus: sicuti & Val. Publicola, quod ab eodē Dionysio copiosè explicatur.

De Rom. familiis Fabiorum atque Curionum: & qua maximè dignitate in ciuitate præstarent: tum de Lepidis etiam breuiter adnotatum.

CAPVT XIIII.

RElatum est in veterum commentarijs de Fabijs atque Curionibus, quòd ipsa gens Curionum continua quidem serie tres optimos oratores habuit, atque in agendis causis insignes. In Fabiorum verò familia tres in Senatu fuisse continuos principes, & egregijs factionibus clarissimos, cuiusmodi censentur, M. Fabius Ambustus, Fabius Rutilianus filius, & Quintus Fabius Gurges nepos, quod & C. Plin. ad Vespas. August. refert. De Lepidis quoque illud sciendum, quòd in eorum genere tres in intermisso ordine obducto membrana oculo geniti traduntur, vt non minus naturæ quàm ingeniorum quædam velut insignia in homine

homine existant. Sed hæc in commentario de Rom. familijs commodè notauimus.

Quantum sit ab amoris contagio abstinendum, ex Cratetis philosophi sententia: ac ibidem Panetij verba notata ex Anneo Seneca: in quibus par grauitas atque doctrina existat. CAP. XIIII.

INter alia multa quæ Crates Thebanus prudenter ac sapienter de vita disseruit. illud etiam de amoris potestate ab eo relatum traditur: Amorem inquit fame sedari sin minus tempore. Quòd si duo hæc non sufficerent, ad laqueum esse accedendum. Hæc Crates de amore: ad quæ poëta Ausonius respexit, cùm de insania ac dementia amantium loqueretur. Panætius autem philosophus inter Stoicos insignis, peregregiè (vt constat) videtur respondisse, cùm eiusmodi contagio longè abstinendum moneret: Minimè, inquit, committendum est, vt in rem commotam incidamus, vtpote alteri emancipatam, vilem sibi. Si enim nos respicit quod amatur, humanitate eius irritamur: sin contemnit, superbia accēdimur. Aequè facilitas erroris, ac difficultas nocet: Facilitate capimur, cùm difficultate certamus. Itaque qui suæ imbecillitatis conscius est, is moneo vt quiescat. Quod & Seneca Anneus ex Panetio retulit, & nos in vita obseruandum veluti optimam legem, ac sanc-

Biblioteca de Galicia

Etiora quædam oracula existimamus.

De studio veterum in auspiciis: ac de iis auibus, quæ ominosæ, ac inauspicatæ haberentur: quæq; Oscines aut Præpetes dicerentur. CAP. XV.

NOtum propè omnibus est, quantopere veterum sedulitas in futuris vestigandis, atque prænoscendis elaborauerit: quantóque studio ac diligentia augurια omnia, extispicia, & reliqua diuinandi genera coluerit: vt in varijs quidem animantibus, eorúmque voce, incessu, cibis, colore, volatu, auguria capere consueuerit. Sed hoc loco ea tantum adnotare visum est, quæ ad alitum auspicia, & omen pertineant: quæq; diræ, & ominosæ aues, quæ rursus felices, & auspicatæ crederentur. Inter diras igitur & ferales enumerant, Noctuas, Vlulas, Tinnunculos, Miluos: quòd ij quidem rapacissimi, & semper famelici sint. Bubonem quoque inauspicatissimi ominis dixerunt, idq; in publicis maximè auspicijs, ex quo funebrem etiam vocarunt. Hinc illud notum:

Fædaq; sic volucris venturi nuntia luctus
Ignauus Bubo, dirum mortalibus omen.

Quin & in Coruis dirum & ominosum est habitum, sicubi glutiunt, & vocem velut strangulati emittunt. Quanquam de Coruis, & Cornicibus varia traduntur: si quando ad lœuam aut ad partem dextram conuolitent.

C. verò

Biblioteca de Galicia

C. verò Plinius has ipsas aues inauspicatæ garrulitatis appellat. Sed & Gallos probabant in tripudijs maximè solistimis, quod ab ipsis pullarijs indicabatur. Quidam grammatici in hunc probè modum de augurijs scribunt: ea esse in gestu, motu, volatu, ac voce, veluti signa rerum constituta. Oscines autem vocatæ sunt, quæ ore, cantúque auspicium facerent, vt Cornus, Cornix, Picus. Quæ futura volatu portenderent, vt Buteones, Sanqualia, Aquilæ, & Vultures, si felices fuissent, & prosperæ, appellarunt Præpetes: sin aduersa atque ominosa præmuntiassent, Inebras dixerunt, quòd aliquid fieri inhiberent: vt est autor Sex. Pompeius: tum Inebras etiam vocarunt, quæ tardare auspicium, atque morari existimarent.

PETRI

PETRI CRINITI DE HONESTA DISCIPLINA COMMENT.

*

LIBER XXII.

Copiosè expositum de Asaroticis pauimentis, ac lithostratis seu Tessellatis: tum de opere Vermiculato: ac de Ceroſtratis nonnihil. CAP. I.

OCCVRRENDVM *est quorundam quæstioni, quæ animos etiam doctiorum diu anxios atq; incertos habuit, de hoc picturæ genere, quæ Musiua ferè à nostris dicatur, Tum de his pauimentis disserendum, quæ Lithostrata veteres, seu Tessellata vocarunt, tesserulis variis structa, lapidumque crustis ornata. Scire igitur debemus, ea opera quæ Plinius Musea vocari tradit, pro ijs accipienda esse, quæ posteriores Musiua seu Museacea dixerunt: in quibus vitreis testulis, variisq; colorum picturis, mirifica quædã gratia atque vemstatis species exhibetur.*

tur. Græci hoc opus Asaroton vocarunt: quale in primis cùm ab alys, tum à Plinio commendatur quod olim Pergami fuit à Zenodoro constructum, in eo genere peritissimo. Dictum verò sic existimatur, quoniam cœnæ purgamenta in ipso quoque pauimẽto conuerri solent, veluti relicta: vt est autor C. Plinius: quæ Analecta Græci appellant. De his Asarotis mentionem fecit Papinius in diseripenda Mallij Vopisci Tiburtina villa: vbi pauimentum refert Asarotica elegantia, variáque structura præstitisse, his versibus:

Dum vagor aspectu, visuq; pĕr oĭa duco.
Calcabă, nec opinus, opes: nă splẽdor ab alto
Defluus, & nitidum referentes aëra testæ
Mostrauere solũ: varias vbi picta per artes
Gaudet humus, superantq; nouas Asarota figuras.

Apollinaris itẽ Sidonius lapillos Asaroticos nominat, quibus musea ipsa construerentur, quæ velut eroſi annis punices ad reddendum specus imaginẽ forent dependentia. Inuentum id Romæ Marci Agrippæ temporibus, quando in eius thermis figulinũ opus encausto pictũ fuit. Neque dubitauit Plinius, quin vitreas cameras fecisset Agrippa, si id repertum antea fuisset. Notum verò est omnibus quòd ipsa musiua è vitreis tesserulis atque sectilibus crustis, vario, multiplicique colore constructa sunt, cuius

Biblioteca de Galicia

iusmodi adhuc Romæ visuntur locis multis: tum in propylæo basilicæ Petri nobilis illa & fluitans nauis, quã Ioannes pictor cognomento Cimabous, mirifico artificio, atque diligentia traditur perfeciſſe. Quidã appellarunt id opus Cymbam asaroticam, ex effigie ipsius picturæ. Neque idem est Vermiculatum pauimentũ, & Asarotum, vt quidam falsò existimant: siquidem post Lucilium poëtam Asarota in Vrbe cœpta sunt. Vermiculatum opus vocamus, quod etsi crustis varijs cæmento illitis fiat, non tamen vitro constabat. Quæ res à Lucilio designatur, quum dixerit in Satyris:

Lexim bene compositã: vt tesserulas omnes
Arte, pauimento, atque emblemate vermiculato,

Hoc est, orationem varijs figuris, atque coloribus eleganter compositam. C. Plin. in perquirẽda antiquitate diligens, Vermiculatũ opus idcirco dictũ existimat, quòd esset variegatis crustis, atque maculosis ad effigiem vermiculi. Vt minimè sit improbanda Nonij sentẽtia, qui pro minuto vermiculatum exponit. Verbo autem, quod est Musiuum, vsi sunt apud nos Augustinus, Spartianus, & Trebellius, vt alios omittam. Iulius Firmicus Musiuarios artifices nominat in Astronomicis. Sed agamus nunc de Lithostratis: quæ à nostris ferè Tessellata dicuntur, id est, varijs crustis, ac lapidũ segmentis

tis constructa, ceu visuntur Romæ locis compluribus, ac Florētiæ in æde diui Ioannis, quæ Baptisterij nomē retinet: quo loco miram gratiam atq; decorem præfert, pauimentata structura, tesserulis lapidum multis coloribus, interpositis orbibus è lapide Macedonico, vel Porphyretico. Ibidem visitur totius cæli ambitus, atque signiferi species cum suis imaginibus: adeò vt Sol ipse velut moderator & auriga in medio existat. Et ea ferè debent admitti in lithostratis (vt à veteribus præcipitur) quæ apta varietate, ac multiformi picturæ gratia venustatem simul & elegantiam referant. Quò minimè mirari oportet, si C. Cæsar in suis expeditionibus tessellata ac sectilia pauimenta circūtulerit. Sunt in pretio Ceroſtrata, atq; Xyloſtrata: illa ex cornibus atq; ebore cōstant, hæc ex materia censentur, maximeq; ebeno, larice, tamarice, olea. De Ceroſtratis Victruuius, & Plinius memmerunt: proditumq; est ex Vrorum cornibus effici, quæ Romani ad suas delicias transtulerūt, nunc tincta, nūc sublita. Nūc quæ Ceroſtrata picturæ genere dicerentur, ad sellas principū atq; lecticas parantur, quales Aegyptij reges inter cætera ornamenta habuisse traduntur. Xyloſtrata coloribus varijs distinguūtur: & multiformi materia constant, præcipueq; ad templorum sacraria & subsellia pertinent, quos appellant Choros: ceu spectantur

Biblioteca de Galicia

Venetijs in æde Helenæ, in quibus nobiles Italiæ Vrbes atque clariores additæ sunt singulis subsellijs, miro picturæ artificio, atque elegantia singulari.

De pœna Romanorum ciuium per vites: ac Plinij verba exposita ex historia de Scipione Aphricano: tum de vite Centuriali copiosè. CAP. II.

VErba sunt C. Plinij, quo loco de arboribus disserit: Vitis ipsa & in delictis etiam pœnam honorat. Quæ meum aliquãdo animum suspensum tenuerunt. Haud enim videbam, quibus pœnis homines per vitem afficerentur, quando nihil ad rem illud pertineret, quòd insigne Centurionum id esset, vt quidam parum doctè exponunt. Sed enim quòd ad pœnã vites pertinerent, deductũ hoc existimamus ex lege veteri de supplicijs militum. Nam & Scipio Aphricanus, qui Numantiam obsedit, si cubi extra ordinem milites Romanos deprehendisset, acribus pœnis afficere solitus est: vt qui cines vitibus, alios autem virgis cædi iuberet. Quocirca Plinius pœnæ honorem habitũ scribit, quum ciues non virgis verberatos, sed vitibus refert. Quam rem Liuius in historia Romani populi notauit, vt ex Flori compendijs colligitur. De vite autem, quam Centuriones præferrent, non poëtæ tantum meminerunt, sed Aurelius Macrobi⁹, Aelius Spartianus, ac Plin

Biblioteca de Galicia

ac Plinius, qui incertas, inquit, castris vites summam rerum imperiumque continere, Centurionum in manu vitis, & optimo præmio tardos ordines ad lentas perducit aquilas. De Hadriano item Augusto notatum est, quòd is quidem nulli vitem concessit, nisi robusto, & egregiæ famæ viro: neque Tribunum, nisi plena barba effecit. Hinc etiam Heliopolitani Iouis oraculum de Cæsare Traiano, qui cum scriptis codicillis Deum consuluisset, an Romam peracto bello esset rediturus, (nam contra Parthos monebat) vitem sibi Centurialem Deus in ædem deferri iussit, diuisámque in partes sudario condi, ac perendie efferri. Sed & sub vitem præliari dicebantur milites, quum astantibus Centurionibus sudes eÿcere cogerentur: quod & Sextus Pompeius annotauit.

De Sortibus Pręneſtinis, earumque origine apud Romanos: & quomodo ederęr in templis: ac Liuij Locus expoſitus.

CAPVT III.

TItus Liuius inter cætera prodigia, quæ in historia de gestis Romani populi refert, Sortes inquit extenuatas, sicuti bello Punico, & unam prætereà excidisse ita scriptam, Mauros suum telum concutit. Et nos igitur ad hæc intelligenda commodum fore existimemus, ea de ratione ac origine sortium hoc loco repetere, quibus id totum copiosè aperiatur, &

Biblioteca de Galicia

& Liuij verba intelligantur. Nam & Præneste olim, & Antij templa magno cultu, honoréque habita sunt, vbi sortes ederentur. Origo autem commentitia quidem (vt multi dixerunt) & futilis, sed à veteribus tradita est in hunc modum: Numerius Suffustius, vir admodum clarus, quum assiduis somnijs: etiámque minacibus iuberetur certo in loco silicem excidere, perterritus dicitur sic, vt agere id cœperit, ridentibus hoc ciuibus: sed perfracto saxo erupisse sortes, quæ in robore forent insculptæ, priscarum literarum notis. Quin eodem tempore mel ex olea fluxisse dicunt, & aruspicum monitionibus factum, vti ex eadem olea fieret arcula, & in ea reconditas sortes, ad quas prænonente Fortuna Romani Pontifices accedebant, vt pueri manu commistas educere solebant. Ac talis quidem origo Prænestinarum sortium traditur: quæ diuinatio vt variis passim exemplis atque vrbibus exculta est, ita Iulij Cæsaris tempore penè abolita: neque alibi eam cultus seruatus est, quàm Præneste, Qua ratione dicebat eleganter Carneades, nusquàm se vidisse fortunatiorem Fortunam, quàm Præneste. Hæ verò sortes Romani populi fata continebant, tesseris quibusdam ligneis insculpta. Vnde Liuius extenuatas sortes inter prodigia numerat, quoniã literæ illæ fatales alicubi cõsumptæ viderentur. Imperante autem Aug.

Dom

Domitiano satis lætam, felicémque sortẽ Prænestina Fortuna per nouennium dedit: in sequenti anno tristissimam reddidit, neque sine sanguinis mentione, vt est autor Tranquillus. Neque me latet, alium quoque fuisse morẽ Romanis Imperatoribus in aucupanda per sortes fortuna, versibus ad eam rem compositis, vel ex aliquo poëmate translatis: vt illud vulgatum de Cæsare Hadriano, quum Vergilianas sortes consuleret:

Quis procul ille autem ramis insignis oliuæ
Sacra ferens: nosco crines, incanáque menta
Regis Romani: primam qui legibus vrbem
Fundabit: Curibus paruis, & paupere terra
Missus in imperium magnum.

De sortitione autem iudicium, & sortilegijs suo loco scripsimus.

Quanta prudentia M. Cato iudicauerit, non esse publicè audiendos in Romana ciuitate tres Atheniẽsium oratores, id est, Carneadem, Critolaum, & Diogenem: ac de illorum mirabili ingenio & facundia,

CAP. IIII.

QVanta prudentia & consilio in moderãda ciuitate, quantáque doctrina fuerit M. Cato, qui Censorius dicitur, veterum commentarij explicant. Sed hoc inter cætera eius viri mirificũ videri debet, ijs præsertim homi-

Biblioteca de Galicia

nibus, qui in obeundis Reip. officijs versantur, quod ab eo dictum atque iudicatum est de Athenienſium nobili illa, ac celebri legatione ad Sen. P. Q. R. in qua tres ingenio & eruditione clariſſimi extiterunt: hoc est, Carneades, Academicus, Critolaus Peripateticus, Diogenes Stoicus. Nam quum hi facundia in primis atque oratione pollerent, facilè Romano pop. perſuaſiſſent quæcunq; peterent. Sed hanc rem cùm M. Cato maturè conſideraret, ex re ſua eſſe Romanæ Reipub. aſſeruit, ne tales oratores, támque valida eloquentia prediti, qui poſſent æqua pariter, atque iniqua perſuadere, audirentur publicè. Quoniam Carneade ipſo, vt inquit Plin. argumentante, quid veri eſſet, haud facilè diſcerni poterat: quem vnum traditum eſt, quum pro iuſtitia publicè multa eleganter, ac ſapienter diſſeruiſſet, poſtridie non minori doctrina atque copia contra iuſtitiam peroraſſe. De his autem tribus philoſophis illud à Latinis criticis obſeruatũ eſt, Eloquentia fuiſſe Carneadem rapida & violenta, tereti & eleganti Critolaum, modeſta & ſobria Diogenem. Quod etiam Macrobius (vt alia complura) è penu Gelliane eruditionis in ſuas cænas deprompſit: homo ſatis quidem eruditus, ſed ingenio maximè ingrato, ac propè impudenti: vt qui tanto æris alieni cumulo nuſquam creditoris nomen profiteatur.

Quæ

Quæ differentia tradatur inter Deportatos & Relegatos: & qui maximè autores deportari homines ac portenta scribant.

CAP. V.

IN libris Iureconsultorum scita satis atque elegans differentia ponitur inter eos qui relegati, & deportati dicuntur. Nam Relegatos fere illos vocari asserunt, qui cùm in exilium mittantur, bonis tamen propriis vtuntur. Deportati verò ea lege atque conditione vocãtur, vt nihil è suis bonis possideant: quod à nostris tamen grammaticis minimè obseruatur. Sed enim C. Plinius ac Liuius in aliam magis significationem acceperunt, vt qui portenta atque prodigia deportanda ex vrbe asserant, cùm in alium locum transferenda significent. Cuius modi illud est à C. Plinio relatum inter mirifica prodigia, de Valeria fœmina, quæ regum temporibus inauspicato quidem exemplo cum dẽtibus in Vrbe nata est: ob eámque causam responsum est Aruspicum vaticinijs, exitio futuram ei ciuitati in quam deferretur. Itaque Sessapiam tum florentissimam deportata est, neque citra illius vrbis exitium. Sed & Liuius itẽ deportata nonnunquã monstra in aliam regionem tradit. Posteriores verò, qui Antonini & Constantijs Imperat. scripserũt, Deportatos in exilium aut in insulas, accipiunt

Biblioteca de Galicia

pro ijs, qui descripti ac relegati fuerint. Quòd in Lampridio, Volcatio, Ammiano, ac Hieronymo frequẽs reperitur. Hinc illud in oratione M. Antonini Cæsaris, quum suam clementiam atque pietatem in Cassiani defectione Romanis patribus probaret: Nemo, inquit, senatorũ puniatur, proscripti bona recipiant, deportati in patriam redeant. Quin & Antoninus Caracalla relegatis ac deportatis reditum in patriam restituit: vt ab Aelio Spartiano scriptum est.

De Quadragenario numero, & eius potestate in puerperis & infantibus: tum de festo die, quem Græci Tessaracoston appellarunt. CAP. VI.

QVi de numeris, eorúmque potestate scribunt, diligẽti curæ vidẽtur ea omnia obseruasse, quæ ad quadratos, perfectosq; numeros, & imperfectos pertinent: vt cùm Septenarium humanæ vitæ vehiculum vocent, Quaternarium vim iustitiæ, Denariũ & Quinarium connubij. In quibus Academici ipsi maximũ studium impenderunt. De numero autem Quadragenario illud hoc loco referendum existimaui, quod ad ipsam partus rationem facit. Nam Tessaracoston tempus à Græcis autoribus appellatum, ob eam causam celebratur: quòd illis maximè diebus mirifica quædã intelligantur. Itaque præguantes etiam fœminæ

quad

quadraginta olim dies ante fœturã nefas habuerunt ad sacra accedere: ac totidem quoque diebus post partũ grauiori morbo solent conflictari, vt ægrè possint sanguinem cõtinere. Sed eodem præterea tẽpore infantes morbidi sunt, ac risum continent, magnóque vitæ discrimine viuũt. Quocirca (vt ad Cerellium tradit Censorinus) cùm is dies quadragesimus præteriit, consueuerunt veteres festum agitare, quod Tessaracoston appellarent.

De clementia M. Antonini Imperatoris: & quibus maximè verbis contrà seipsum conspirantibus parcendum monuerit.

CAP. VII.

VEtus dictum celebratur, Nullum esse certius testimonium probitatis atque innocentiæ, quàm ipsam vitæ conscientiam: in qua sapientissimus quisque virtutis bonum collocauit: nam & Academici ipsi hoc abũdè fatentur, Quod etiã Antonini Augusti verba (qui Stoicorum disciplinis incubuit) verissima suffragatione probant. In quibus non modò suam vitæ innocentiam, sed æquissimum ingenium ac maximè probandum asseruit. Nam cùm fortè Auidius Cassius, aliíq; complures cõtra Antonium Imperatorem conspirassent, ac detecta coniuratio esset, parcendum omnibus censuit Antoninus, nec Auidium quidẽ imperandi auidissimum iussit occidi, sed passus

Biblioteca de Galicia

est, vt à Volcatio traditur. Cumq; tam egregiæ singularemq; eius clemẽtiam ac lenitatem plures accusarent, eundémque (vt sunt varia hominum ingenia) passim arguerent, quòd tam mitis in suos etiam hostes foret: simúlque adderẽt, Aliter se res haberet, si Auidius vicisset: grauissimè respõsum est ab Imperatore Antonino: Non sic deos colimus, aut viuimus, vt ille nos vinceret. Tantum adeò anteactæ vitæ conscientia, & immatæ probitatis testimonium potest, vt nihil insidias hostiũ metuat, nihil alienas vires reformidet. Idem quoque Augustus sic in epistola ad vxorem Faustinam de se scribit, Horatianam sentẽtiam mutuatus: Quieto animo sis, dij me tuentur, & dijs cordi mea pietas. Quam rem & Volcatius historiæ autor ad Imperatorem Diocletianum retulit.

Quàm constanti & alto animo fuerit M. Cato: & eius dictum de se, cũ bella inter Cæsarem & Pompeium æstuarent.

CAP. VIII.

MEmoria dignum est, quantum Catonis virtus atque constantia veteres permouerit, præsertímque philosophos Stoicos: vt eius viri animum atque disciplinam cum Socrate, Posidonio, & Chrysippo conferant. Sed inter alia hoc præcipuè admirantur, quòd in ea Romanæ ciuitatis tempestate, cùm ciuilia bella inter Cæsarem & Pompeium streperent,

vbi

Biblioteca de Galicia

varijsq; fortunis Reſpub. premeretur: cum ipſum de animi ſtatu nihil eſſe immutatum. Nam cùm vtrũque Cato improbaret, atque exarmare cuperet, vtrique etiam virtute ſua & animo ingenti occurrit. Dixit enim de Cæſare, ſi vicerit, ſe moriturum: ſin Pompeius, exulaturum: quoniam Pompeius quidem (vt eſt auctor Tacitus) occultior fuit, non melior. Et hæ ſunt illæ voces (vt Pius noſter dicebat) quas familiæ Stoicorum lætis animis agnoſcunt: quæ omnibus ſuffragijs probantur, & in porticis Apathian confirmant. Sed enim Cato nullis vnquam caſibus mutatus eſt, nullis affectibus conceſſit, aut calamitati ſuccubuit: ſed eundem ſemper ſe in tam varia rerum fortuna præſtitit, in prætura, in accuſatione, in prouincia, in vrbe, exercitu, repulſa, atque interitu: ſicuti ab Anneo Seneca relatum eſt.

De Proſa, & Poſtuerta Romanis dijs: ac ibidem de Anteuorta, & quid inter ſe differant, quaq; ratione colerentur à Romanis. CAP. IX.

SErutum eſt ab ijs, qui de veterum religione ſcripſerunt, Proſam & Poſtuertam fuiſſe apud Romanos pro dijs acceptas: atq; illis aras & ſacra etiã cõſtituta ob ipſius pariẽdi rationes, atq; diſcrimina. Nã Proſæ numen & poteſt

potestas ab ijs fœminis maximè colebatur, quæ rectum ac legitimum partum ederent. Postuerta autem ab ægris, atque infirmis. Cuiusmodi habentur ferè hi partus, cùm in ipso nixu non caput primum ex aluo, sed ipsi pedes existunt. Proindéque ab autoribus Agrippæ appellati sunt. Quam rem C. Plinius ac Gellius, vt alios mittam, diligenter persequuntur. Sed & postuertam deam, atque Anteuertam in aliam partem acceperunt, vt à Vectio Prætextato in cœnis Macrobij relatum est. Hac enim ratione illas coluerunt, ac templa dicarunt, quòd ea omnia intelligi oportere existimarent, quæ præterita ac futura essent: ex quo diuinitatis comites aptissimas appellarunt, non secus atq; consilium & prouidentiam, quibus humana omnia, & diuina expendi, ac præuideri possunt. Quod à nobis alibi commodius expositum est.

Quæ sint Samiata ferramenta in Aureliani Aug. epistolis: & Samiare arma, ac de Samiis vasis, & Numæ capedūculis in Romanis sacris. CAPVT X.

QVæsitum nuper ab eruditis, quid essent in Aureliani Augusti epistola, quā de officio Trib. militum scribit, Ferramenta Samiata. Sic enim refert de ipsis militibus: Arma omnia tersa sint, Ferramenta Samiata, calceamenta fortia, Quo loco cum doctiores etiam dubitare soleant, eorum quæstioni occurrend

Biblioteca de Galicia

rendum à nobis est. Samiata igitur tela pro his acceperunt veteres, quæ in spiculum mucro nata, atque acuminata forent. Quod & Nonius Marcellus probauit. Samium enim pro acuto acceptum est, ac Samiare pro acuere. Quoniam in Samo (vt est author Nonius) hoc artis genus præcipuè claruit: qua voce & Lucilius poëta est vsus in satyris. Sed & Samia vasa à multu celebrantur, quibus Romani pontifices pro Numæ Regis instituto in sacris vterentur. Itaque sic M. Cicero in libris de Rep. Quæ sunt, inquit, imperia pontificum dijs immortalibus grata sine Samijs? Quæ vasa Capedines etiã, & Capeduncvlos vocarunt, vt apud autores frequenter habetur. Vnde & illud Persianum:

Aurũ vasa Numæ, Saturniaq; impulit æra:
Vestalesq; vrnas, & Tuscum fictile mutat,

De oratore Isocrate, eiusq; insignifacundia: & quomodo tria in primis notanda præstiterit, ex historia Pausaniæ.

CAP. XI.

TRia dicuntur in oratore Isocrate memoratu digna inter alia accidisse, eúmque in ijs præstandis non minore iudicio, quàm fortuna valuisse. Primum, vt vegeto ac solido corporis robore, modestia singulari, & summa animi libertate præstaret. Nam & ad nonagesimum octauúmque annum cùm peruenisset, nunquàm adeò defecisse, aut elanguisse scribitur, qui

quin suos quoque discipulos pro veteri instituto instrueret, atque edoceret. In altero tam modestus & probus, vt ab omni ciuitatis administratione prorsus abstineret: neque de rebus item publicis curam vllam susciperet: in quo liberum ab omni cupiditate animum, maximéque syncerum probauit. Quam rem (vt alios omittam) & Pausanias historiæ autor in Atticis commemorat. Hic autem Isocrates ille est, cuius elegantiam atque iucunditatẽ M. Cicero apud nos in dicendo egregiè expressit, cùm vim Demosthenis ac Platonis magnitudinẽ adiecisset.

De eruditione Crispi Paisieni, & eius eleganti sententia in habendis, probãdisque amicis. CAP. XII.

LAudatum est Paisieni ingenium, ac eruditio à multis: præcipuéque ab Anneo Seneca, qui locis aliquot asseruit, nihil se Chrisippo Paisieno subtilius, atque insignius cognosse, in distinguendis maximè vitijs atque curandis. Sed inter alia multa dictum eiusdem perelegans quidem, & egregium est adnotandum. Nam quum habere amicos velimus, & prudẽtia pariter, & gratia, liberalitateq; ornatos: habenda ratio est in vtroque genere. Sic enim Paisienus dicebat, quorundam se malle iudicium, quàm beneficium: & quorundam beneficium, quàm iudicium. Cui sententiæ tantum concedit noster Oricellarius, vt is vnus

in

Biblioteca de Galicia

in legendis, colendis, atq; seruandis amicis non minus prudentiam & iudicium, quàm constantiam & probitatem obseruet: ad exemplum (credo) principis Augusti, qui solitus est iudicium in eligendis, constantiam in seruandis adhibere.

PETRI CRINITI DE HONESTA DISCIPLINA COMMENT.

LIBER XXIII.

Quòd Octauius Augustus tria potissimum in votis habuerit: ac de Fortunæ viribus, honore, & nominibus apud Romanos. CAP. I.

LIBRVM fecit Plutarchus Chæroneus, de Romanorum Fortuna: in quo accuratè (vt solet) atq; egregiè permulta de illius cultu, potestate, ac templis disseruit. Tum præcipuè illorum exempla refert, qui cùm meliorem aliquando fortunam, atque feliciorem habuerint, maximo illam honore ac veneratione prosecuti sunt

Biblioteca de Galicia

sunt: vt Ancus, Camillus, & alij. Quod autem de Octauio Augusto tradit, hoc equidem non putaui alienum aut indignum, vt adnotarem: Octauius, inquit, Cæsaris filius (qui primus Augusti nomen habuit) quum quartum & quinquagesimum annum ageret, precatus à diis est Scipionis fortitudinem, beneuolẽtiam Pompeij, Cæsaris fortunam: quam quidem inquit fortunam rerum esse omnium maximarum victricem. Hæc enim M. Ciceroni, Lepido, Pansæ, Hirtio, atque Antonio plurimum aliquando indulsit: cúmque hos omnes ad summum decus & gloriam extulisset, demum deseruit, atque vni tantùm Cæsari seipsam seruauit: vt aperte cognosci posset, quibus ludis, atq; blandimentis humana omnia versare & commiscere consueuerit. Sed hæc apud autorem copiosè referuntur: cùm Romani ipsi (vt constat) varijs quidem nominibus illam & colendam, & appellandam duxerint: vt Fortem, Viscatam, Mulierem, Reducem, Victricem, Primigeniam, Obsequentem, & Mammosam: de quibus in Epistolicis scripsimus.

De immodico luxu Antonini Heliogabali Imperatoris, ac de eius culcitris cum leporinis pilis, & perdicũ plumis: ibidémque expositum de accubitis. CAP. II.

DE vario Antonino Imperatore, qui Heliogabalus dictus est, permulta à Gre-

ci,

tis, & Latinis autoribus scribuntur, quo luxu quibúsque libidinibus, atque flagitijs Imperium gesserit: vt naturæ magis prodigium ad omnem vitæ improbitatem haberi posset, quàm Romæ vrbis Imperator. Is igitur eo studio, atque ingenio fuit, vt nihil auidius, quàm de luxu, variisque voluptatibus cogitaret: sicuti copiosè ab Aelio Lampridio traditum est, ad Constantinum Imperatorem. Nam vt de prodigiosa illius mollitie breuiter agamus, primus triclinia, lectos, ac porticus omni florum genere strauit, Liliis, violis, Hyacinthis, & Narcissis, ac per eos ambulauit, neque in culcitris, seu accubitis (vt appellant) facilè cubuit, nisi quæ leporinum pilum haberent, aut perdicum plumas subhalares. Tãta inerat animo eius mollities: quod idem Lampridius retulit: vt ex his mirandum non sit, si deinceps vrgente fato, & à tali monstro scelerum pœnas reposcente, in latrina occisus fuerit. Quòd autem Accubitas diximus, id quidem verbum ab accubando deductum est, neque in Lãpridio tantùm legitur, sed apud ipsos etiam iurisperitos, qui hac voce pro culcitris & toralibus vtuntur, vt Varro appellat. Hinc & Accubitalia pro ipsis stratis, seu stragulis accepta sunt, vt in epistola Valeriani Imperatoris habetur ad Zosymionem Syriæ procuratorem. Nam cùm Claudio legionis Martiæ præ-

M fecto

fecto complura forent pro militiæ instituto tribuenda misit illi Valerianus Imperator accubitalium Cypriorum (vt vocat) paria duo, interulas puras, togam, & Laticlauum, sagochlamydes, & subsericam albam.

Quæ diuinationis species habenda sit Capnomantia, & Statij poëtæ versus allati atque expositi super hac vaticinandi ratione. CAP. III.

INter alia diuinandi genera, de quibus veteres scribunt, illud etiam in antiquorum monumentis notatur, quod Græci Capnomantiam nostri per fumum diuinationem dicunt: cum ipse videlicet fumus vel in orbem voluitur, vel in obliquum flectitur, aut in rectum protenditur: quocirca meliorem sibi fortunam quis pollicetur, vel aduersam præsagit: vt est animus mortalium omnium ad futura prænoscenda magno ambitu intentus. Itaque Capnomantia Græcè appellata est. Et Capnomantes, qui diuinationum eiusmodi forent interpretes. Statius autem Papinius perelegãti carmine id expressit in Thebaide, cũm de Menecei cæde ageret:

Vincatur pietas (inquit) pone ea altaria virgo:
Quæramus superos: facit illa: acièque sagaci
Sanguineos flammarum apices: geminumque per auras.

Ignem

Ignem, & clara tamen mediæ fastigia lucis
Orta docet: tunc in speciem serpentis inanem
Ancipiti gyro volui, frangiq; rubore
Demonstrat dubio, patriásque illuminat umbras.

In his enim versibus & per ignem diuinatio, ac per fumum describitur: nam sicubi ex flamma geminus apex extitisset, dissidium indicari existimabant: vt Marcus Cicero tradit. De Capnite autem vino & gemma commodè diximus, quæ interiectis veluti spiris fumidum quiddam refert.

Quòd imperante Tiberio vitrum flexile ac ductile redditum sit: & qua pœna tantæ inuentionis autor damnatus fuerit.

CAPVT IIII.

TRaditum est à C. Plinio inter alia multa, & hoc maximè mirandum, ac memoria dignum de vitro, quemadmodum flexile atque ductile redditum sit imperante Tiberio Aug. adeò nihil in rerum natura intentatum, aut inexpertum reliquit antiquorum solertia. Quod equidem non alijs verbis asserendum est, quàm eiusdem autoris C. Plinij, sic enim quo loco de vitri inuentione, atque origine scribit: Excogitatum, inquit, est Tiberio principe vitri temperamentum, quo flexibile esset: sed eius officina abolita est, ne æris, argenti, aurive metallis pretia detraherentur. Hoc

Biblioteca de Galicia

idem & Isidorus recenset: tum adjcit, huic inuentioni Principem Tiberium maximè iratum, sic vt opificem ipsum necandum imperaret, ne aurum vilescesset, ac pro luto (vt inquit) haberetur, cæteriq; metallis pretium decreteretur. Id autem verúmne, an falsum existimari debeat, malim hercle pro suo quisque arbitrio iudicet: in tanta præsertim rerum atque ingeniorum varietate.

Quibus maximè cibis venenata quædam animantia viuant: vt Viperæ, Scorpiones, Stellionésque: ac de Amphiuiis etiam, & aliis. CAP. V.

RElatum est cùm ab aljs multis, tum ab his autoribus, qui animantium historiam descripserunt, quibus maximè cibis vesci, & quandiu viuere consueuerint: nos eam partem breuiter nunc exequemur, qua naturæ ipsius vires, ac maiestas in capiendis cibis probari possit. Sic igitur obseruatum, Anates in Ponto venenis viuere: item capreas, atque cothurnices aues venenis pinguescere, animalia (vt inquit Plinius) placidissima. Mures verò auiditate maxima salem lambunt, eóque (vt traditum est) redduntur prægnantes: quod ex Aristotele Plinius (vt alia multa) refert. Scorpiones terrã ferè exedentes viuunt. Ascalabotes autem seu Stelliones, & aranei minimo suctu. Hæc enim animantia (vt adnotatum

tum à nobis est) vitreis inclusa poculis, nullo quidem cibo supra semestre spatium vitam protrahunt, & si eorum oculi extumescunt. Sed & lupi cùm maiori fame vexantur, terram etiam depascuntur. Serpentes verò (sicubi adest facultas) cupiditate summa vinum appetunt. Itaque minimè mirandum est, si viperas à Claudio Galeno scribitur repertas quandoque in amphoris vinarijs. Quin & pleraque animantia, quæ Græci Amphibia vocãt, non minus venenis, quàm alijs cibis viuunt. Ea M. Cicero vitæ ancipitis Latina voce appellat.

Deos esse accipiendos tam fœminino genere, quàm masculino: ac de Luno etiã deo pro Luna, & quo cultu atque institutis apud Carras coleretur. CAP. VI.

SCripseram paulò antè (vt inter amicos fit) epistolam ad Cosmicum, in qua positum hoc fuit: Venerem quidem, ac Cererem inter Romanos deos locauimus. Id autem (vt relatum mihi est) veluti minus Latinum & imperitè dictum reprehenditur, quòd in genere aberrauerim: non enim deos asserunt scribi oportere, sed deas. Qua in re miratus sum quorundam imperitiam, qui dum cæteris se præferunt, & quasi censores publicos in literis constituunt, tam impudenter, atque ineptè decipiuntur. Nam quis est obsecro tam alienus à

Biblioteca de Galicia

veterum lectione, aut ita demum imperitus, qui nesciat, ipsos deos pro fœminis interdum accipi: etiamsi ἀφωνικῶς pronuntiemus? quod & Macrobius Aurelius, aliiq; copiosè probant: vt nihil sit istis hominibus impudentius, qui se criticos, atque Aristarchos in disciplinis nominant. Sanè vero hoc permulti asserunt, vt Vergilius, Atherianus, Caluus, & Leuinius, vt Aristophanem mittam, qui Venerem Aphroditon appellauit: quorum suffragatio & quidem honestissima nostræ sententiæ abundè patrocinatur. Nam Varro Terentius Palem deum scripsit: sed & Lunum deum pro Luna quidam dixerunt, cuius templum Carris viseretur, vt ab Aelio Spartiano relatum est, qui Cæs. inquit Antoninum Caracallam templum dei Luni accessisse, quem mirifica veneratione Carrenus populus coluit: adeò vt mulieres virili veste, viri autem muliebri sacra illi perficerent, quod & Philochorus, & Spartianus tradunt. Qua ratione Græci, quoque, & Aegyptij (etsi Lunam fœminino genere habent) deum tamen appellant. Sed nolo esse in re aperta longior, ne videar magis habuisse rationem alienæ insciticæ, quàm nostræ in studijs diligentiæ: cùm permulti quidem sint, qui vt maiore audacia, quàm iudicio iudicant: ita inuident potius alienis laboribus, quàm ipsi aliquid in cõmunem vsum moliãtur.

Iudi

Iudicium à poëta Marullo factum de Latinis poëtis: & quo vitio notati sunt, aut quo ordine habendi. CAP. VII.

FActum est iudicium nuper à nostro Marullo de poetis Latinis, egregiè profectò, & prudenter. Nam cùm fortè incidisset mentio de veterum disciplinis, ac de poëtis maximè Latinis: Poëticè, inquit apud Romanos plures habuit versificatores, quàm poëtas: si paulò diligentius id expendatur, quod exigendum sit in illis, qui iure debeant poëtæ appellari, In Publio, inquit, Ouidio reprehendi potest lasciuiens ac nimium sibi indulgens ingenium: quod & Fabius, in omni antiquitate Romanus Aristarchus, asseruit. In Statio durum nimis carmen, & anxium: prætereáque supra modum timidum. Silium verò Italicum, inquit forum redolere: ac vulgarem profluentémque magis venam carminis, quàm elegantem & probam. Flaccum Valerium, & Lucanum cõcitatos esse, sed audaciores interdum, quàm graviores. Itaque legendi quidem sunt omnes, inquit: sed hi maximè probandi pro suo quisque genere: Tibullus, Horatius, Catullus, & in comœdia Terentius, Vergilium verò & Lucretium ediscendos asserebat. Quod ipsum, vt posteris etiam probaret, hisce versiculis expressit:

Amor Tibullo, Mars tibi Maro debet:
Terentio soccus leuis,

Biblioteca de Galicia

Cothurnus olim nemini satis multum,
Horatio satyra, & Chelys.
Natura magni versibus Lucretij,
Lepore Museo illitis,
Epigramma cultu teste Rhallo adhuc nulli.
Docto Catullo syllabæ.
Nos si quis inter cæteros locat vates,
Onerat quàm honorat verius.

De Iuliorum, & Antoninorum familiis, & quòd in hominibus improbissimis atque monstrosis defecerint. CAP. VIII.

NEc illud omittendum est, quod à probis autoribus notatur de Iuliorum, atque Antoninorum familijs, quæ, vt viros maximos atque insignes complureis habuerunt, ita in eiusmodi hominibus desierunt, qui ob nimia scelera atque flagitia impurissimi habiti sunt. Nam Iuliorum quidem vltimus fuit Domitius Nero quo nullum vnquam animal crudelius, sæuius, immanius fuit. Vnde notum illud: Progenies Cæsarum in Nerone defecit. In Antoninis Aug. Varius Heliogabalus, cuius flagitia & insanæ libidines prodigium fuisse, non hominem asserunt.

Vinum esse remedio contra Aconitum: ac defensus à calumnia quorundam Macrobius, qui Cicutam pro Aconito audacius quàm verius in eius Saturnalibus reponunt. CAP. IX.

Paulò

Biblioteca de Galicia

Paulò improbius, atque etiam indoctius quidam fecerunt, qui apud autorem Macrobium cicutam pro aconito reponunt, quo loco de viribus ac potestate vini disputat: asserentes ea in re vel ipsum Macrobium errasse, vel cicuta, seu Conion, pro Aconito legendum: quoniam vinum (vt aiunt) contra eius venenum præcipuum remedium creditur: quod Alexander medicus, Plutarchúsque & alij complures testantur. Ego autem non puto statim concedendum, vt quod in omnibus sit exemplaribus descriptum, tam audacter id contra publicam fidem immutetur. In quo etiam doctiores maximo damno incurrunt, quòd eorum plerumque iudicium probari soleat, próque ratione haberi. In hoc autem non modò potest à Criticorum calumnia defendi Macrobius, quòd Aconito scripserit vinum mederi, sed egregiè commendari. Nam quis est tam alienus à lectionibus veterum medicorum, támque absurdo ingenio, quin apud Corn. saltem Celsum, & Plinium legerit, vinum maximas vires habere contra aconitum? vt Galenus, & alij plures omittantur. Plinius certè ad Impe. Vespasianum, de potestate ac viribus vini, sic disserit: Merum quidem remedium est contra cicutam, coriandrum, aconita, viscum, meconium, argentum vivum, apes, vespas, crabrones, phalangia, serpentum, scorpionumq; ictus:

Biblioteca de Galicia

contráque omnia quæ refrigerando nocent. Itaque ignoscent nobis hac in re præceptores nostri, si ab illis liberè dissentimus: quando nihil etiam magis debet incumbere agenti rem posteritatis, quàm præsidium inueniendæ veritatis.

Quàm iniquo animo Porphyrius philosophus Christi religionem sit insectatus: ac eiuldem falsum atque improbum vaticinium appositum: in quo Christianos ipsos per CCCLX. annos duraturos scripserit. CAP. X.

SCriptum apud complures autores, quàm infenso & acri animo Porphyrius philosophus Christianam religionem sit insectatus: quibúsque voluminibus eam lacerauit, atque vexauit: sed eiusdem vaticinium, quod ab eo de illa factum est, ponendum existimaui, vt iudicari facilius possit, quàm vanum hoc, quàm audax & ridiculum fuerit: præsertim in eo homine, qui & ingenio, & multiplici disciplinarum cognitione præstiterit. Cùm igitur videret Christianum nomen magis in dies polere atque illustrius fieri, non conuitijs tantum in Christianos sæuiendum putauit, sed & Petrum apostolum magicæ disciplinæ insimulans, edoctum illum asseruit à Christo: vt in ea (sicut impudentissimè vocat) deceptione, quasi princeps, ac signifer foret. Tum non amplius eam duraturam scripsit, quàm per

Biblioteca de Galicia

CCC. & LX. annos. *Quod ipsum quàm iniquo animo atque perturbato dictum fuerit, referendum non est. Augustinus certè & insciliæ & iniquitatis Porphyrium accusat, qui tam audaci illecebra, vanissimóque commento crediderit multorum animos decipere, atque ab ipsa veritate depellere: quod & Petrarcha scribit, eo maximè opere, cui de religiosorum otio titulum fecit. Is autem Porphyrius Tyrius fuit, præceptorémque audiuit Plotinum: de cuius vita & moribus multa retulit, eiúsque opera correxit, & in nouenarios digessit. Neque defuerunt, qui Porphyrianis iurgijs, atque insectationibus in Christianos ferulam referrent. Siquidem ab Eusebio, Apollinare, Laodiceo & Methodio copiosè respõsum est. Ex his Apollinaris XXX. libros contra Porphyrium exarauit, Methodius autem vsque ad decem millia versuum, quod in Epistolicis diligenter disseruimus.*

De Val. Homulli ingenio, & eiusdem dictis contra M. Antoninũ Imperatorem, eiúsque constantiam.

CAPVT XI.

NOtatum est à veteribus, quàm elegãs & vrbanus fuerit Val. Homullus, quibusq; dictis, atque leporibus sit vsus, vt nec Romanis etiam principibus parceret: cuiusmodi illud quàm lepidissimũ traditur in M. Antoninum

Aug

Aug. Nam cùm fortè Imperator eiusdem Homulli domũ viseret, columnasq; ibidem è Porphyretico lapide insigneis, atque egregias miraretur: rogauit Homullum, vnde eas habuisset: tum ille, Imperator, inquit, cùm in alienam domum veneris, & mutus, & surdus esto. Idem quoque pari licentia cùm Lucillam Antonini matrem (qui Pio Imperatori successit) venerantem Apollinis simulacrũ vidisset, in aurem Augusti insusurrans; Et illa, inquit, nunc rogat pro tuo obitu, vt filius imperet. Quæ tamen ipsum Imperatorem nihil omnino mouerunt, sicuti à Iulio Capitolino memoratur. Tanta erat Marci probitas, & insignis modestia, vt non modò vrbanè dicta, sed importunam præterea dicacitatem æquissimo animo tulerit.

De Disciplina Arabum in Astronomicis: & quòd ipsa hominum ætas certis temporibus ad planetas referatur. CAP. XII.

PEreleganter multa ac eruditè scripta sunt in Arabum commentarijs: tum ea maximè, quæ ad cæli siderúmque potestatem, ac disciplinas pertinent. Neque videtur apud alios quidem populos fuisse studium acrius, aut maior solertia in astronomicis speculandis: etsi magna ex parte Græcorum quoque ingenia imitati sunt. Illud autem mirificum existimo, ac memoria dignum, in quo Mathematici

Biblioteca de Galicia

matici ipsi, & Chaldæi vniuersam hominum ætatem ad planetas referunt: vt quæcunque in vita aguntur, ea quidem statis, certísque temporibus planetæ ipsi propemodũ efficiant. Luna (inquiunt) ab ipso natali vsque ad quintum ætatis annum moderatur, atque disponit: sequens Mercurius per decennium: Venus per annos octo Sol vndeuiginti: Mars XV. Iupiter XII. Saturnus reliquum vitæ tempus. Ita enim digesta atque diuisa vitæ mortalium tempora traduntur, vt nuper cum Iano Theologho astronomiæ peritissimo disseruimus. Neque illud ignoramus, aliam fieri diuisionem ab alijs autoribus de hominum ætate. Nostri enim Lunæ infantiam, pueritiam Stilboni, seu Mercurio, adolescentiam Veneri, iuuentam Soli, virilitatem Marti, senectutem Ioui, senio Saturno adscripserunt: adeò vt singulis sua quæque officia & affectus tribuant.

Expositum diligenter quid Hostorium sit, quid Rutrum, & Rutellum, ex Lucilij carmine, ac de imaginibus etiam cum Rutro.

CAP. XIII.

SCripsit ætate nostra Iouianus Pontanus inter alia suæ diligentiæ monumenta, de Aspiratione libros, in quibus studiosè complura & accuratè obseruauit: secutus veterum Grammaticorum exemplum, qui & in minimis etiam perscrutandis maxima solertia

i.. cub

Biblioteca de Galicia

incubuerunt: vt Fabius, Varro, Martianus, Nigidius, & Messala. qui de litera ſ, librum compoſuit. Quo autem loco à Pontano traditur Hoſtilios lares, Hoſtias, & Hoſtire cum aſpiratione ſcribenda eſſe: Hoſtorium quoque, inquit, ab hoſtiendo, id eſt, æquando dictum eſt: nam ſic vocamus, inquit, lignum æquatorium, ac teretem bacillum, quo in dimetiendo tritico modij æquantur. Quibus apparet Hoſtorium pro Rutro illo, ac bacillo accipiendum, quo in menſuris frumenti cumuli exæquantur. Tametſi haud ſatis memini an apud veterum quenquam de Hoſtorio legerim. Lucilius autem poëta Rutellum vocat in Satyris eiuſcemodi inſtrumentum, vt ex eius carmine colligitur:

Frumentarius eſt, modium hic ſecum atque rutellum
Vnà affert. Quod & Nonius ponit.

Rutrum verò ab eruendo dictum eſt, non à radendo, vt quidam volunt. In Capitolio preterea effigies fuit Ephebi rutrum tenentis, arenámque eruentis, cauſa exercitationis, pro more Græcorum: quod ſignum ex Bithynia Romam deportauit Pompeius Bithynicus, ſicuti ex Feſti Collectaneis ab Hermolao etiam notatum eſt. Nam & Var. Terentius inter ruſtica inſtrumenta Rutrum enumerat, in libris de origine verborum ad M. Ciceronem: vt aratrum

aratrum, ſarculum, raſtrum, & alia generis eiuſdem. Neque omittendum eſt, quod ab Euſebio refertur, Remum fuiſſe à Fabio Romuli duce occiſum rutro paſtorali. Sed & Rutabulum hinc dictum, quo ad exquoquendos panes ruſtici ferè uterentur in proruendo igne: propterèáque poëtæ veteres allegoricòs hoc verbũ pro virili membro acceperunt. Vt poëta Næuius, qui retritum rutabulum lepidiſſimo verſu vocauit:

Senile tractet retritum rutabulum.

Vnum eſſe hominem inter omnia animantia, qui calidis in potu vtatur, & ad Venerem pro libidine quocunque anni tempore accedat. CAP. XIIII.

RElatum eſt ab ijs, qui ſcribunt hiſtoriam de animalibus, vnum eſſe hominem in omni animantium genere, qui calidis in potu vtatur. Nam cætera quidem animantia in totum abſtinent. Sicuti etiam de Venere illud ſeruatum à Philoſophis homines ipſos quocunque anni tempore pro libidine ad Venerem accedere, & in coitu eſſe: cùm alia ferè animantia cuſtodiant ſuum tempus, & proprios coitus certis temporibus habeant, quos vocant ſtatos. Sed hæc an vera ſint, haud equidem prorſus aſſeruerim in tanta naturæ varietate, tametſi optimis autoribus comprobantur.

PET

Biblioteca de Galicia

PETRI CRINITI DE HONESTA DISCIPLINA

* *
*

LIBER XXIIII.

Quantum Aristoteles Platoni magistro concesserit, ac versus in ara ab eo positi: & quòd Magi etiam Platonì immolarunt, propter absolutum nouies nouenarium numerum. CAP. I.

RECEPTVM *vulgò est, Platonem Academiæ principem fuisse à discipulo Aristotele in tradendis disciplinis neglectum, aut saltem minus commendatum: cùm & ab eo liberè dissentiat, ac ignorantiæ alicubi (vt quidam opinantur) arguat. Quod ego aliter accipiendum existimo sicuti Macrobius, & alij veteres exponunt. Neque enim viginti annos duntaxat in Academia Platonem audiuit: sed eidem tantũ tribuit, atq; concessit, vt eius quoque nomini aram in templo cõstruxerit, statuámque consecrarit, in qua descriptum esset: hunc esse illum*

Biblioteca de Galicia

illum, quem probi omnes meritò debeant & imitari, & commendare. Quod & nos in Parthenicis nostris attigimus his versibus:

Hæc ill' est ara floribus redimita suaueolentibus,
Quam gratus benemerenti statuit discipulus seni,
Tituloq; hoc testatus animum suum atque officium,
Platonem probandum probè à probis: ab alijs nefas.
Sic ille princeps & autor egregius sapientiæ,
Tam diuturnæ disciplinæ, & sacri muneris tulit
Dignum pro meritis tantis ab alumno suo præmium.

Idem præterea Aristoteles Platonis nomen sanctum, atque diuinũ vocitabat: egregiámque orationem de Platonis laude composuit, vt ab Olympiodoro proditum est. Mitto autem nunc illud, quod Anneus Seneca de Magis Persarum tradit, quòd hi quidem Platoni defuncto immolarunt, quoniam suo natali decessisset, annúmque vnum supra octogesimum absoluisset, sine vlla prorsus additione, vel deductione. Asserunt enim inter alia suæ disciplinæ dogmata, eum esse omnium perfectissimum numerum, quem nouies nouenum multiplicant, qua ætate Platonis Philosophi fuisse interitum

Biblioteca de Galicia

constat. Hinc Labeo Romanus theologus eundem Platonem inter semideos, vt Herculem, ac Romulum, referendum putauit.

De cultu quorundam animãtium à variis populis: & de Syria dea, eiusq; effigie relatum. CAP. II.

IN commentarijs eorum, qui de animantibus scripserunt, notatum est, pleráque animantia propter mirificum sui genium, atque officia in vita mortalium, à propriis viribus & populis coli, & veluti certa numina consecrari: vt columbas à Syrijs, ciconias à Thessalis, apud quos capitale habitum est, ciconiam occidisse: anseres à Romanis, quibus ob Capitolium seruatum publicè à Censoribus alimenta præbebantur. Quin & Syrij ijdem magna religione diu seruarunt, vt abstinerent à piscibus: quod cum alij plures scripserunt, tum Porphyrius Philosophus ad Imperatorẽ Constantinum in libris, de abstinendo ab animantibus. Qua in re Menandri Poëtæ versiculos affert, qui huic sententiæ suffragantur. Abstinent autem ea potissimum ratione, quòd Faceltis Veneris filia in piscis formam commutata est, quam Syrij pro dea colucrunt. Huic argenteos pisces, vt à Basso relatũ est, in templis consecrare consueuerunt. Non me præterit hoc loco, quæ tradantur de Syria Derceto, seu

Atar

Atargate. Cuius templum insigne fuit iuxta Ascalonem, in quo imago eius muliebri facie, reliquum corpus figura piscis haberetur. Porphyrius autem sic in libro de sacrificijs: Rhadamanthus, inquit, ac deinceps Socrates, per animalia iurare soliti sunt. Græci quoque imagini Iouis arietis cornua adiecerunt, & Dionysio tauri: Sed & Panis effigiem ex capella & homine composuerunt: Iouem quoque ipsum in aquilam, taurum, & cygnũ aliquando se transformasse aiunt. De Aegyptijs omittẽdum non est, quorum prodigiosa superstitio multiplices, variasq; animantium formas pro dijs maximo cultu habuit: vt feles, crocodilos, ichneumones, ibes, vultures, & alia eiusmodi. De quibus cùm alij plures, tum Diodorus, Herodotus, Strabo, & Appion in Aegyptiacis commentarijs complura explicarunt.

Mercurij Ægyptij verba relata de natura ac de maiestate Dei: deque spiritu & Mundi materia, ac de homine.

CAPVT III.

QVantum præstiterit Aegyptius Mercurius in perquirendis atque intelligendis rebus diuinis, Græci autores, & Latini copiosè asserunt: qui hunc ipsum velut disciplinarum omnium principem, atque conditorem existimant: adeò vt ab hoc vno credatur scientia illa rerum diuinarum, atque humanarum

narum diligenter fuisse meditata, optimè percepta, egregiéque explicata. Quod ipsum cùm locis multis probauit, tum in ea disputatione, in qua de ipso Deo, déque Spiritu, & Mundi materia eleganter & doctè disserit. Sed hanc rem libitum est illius verbis adnotare. Fuit Deus & Hyle, inquit, quam & Mundum dicimus: mundo autem Spiritus aderat: sed non tamen vt ipsi Deo, neque Deus sunt hæc, de quibus mundus est. Iccirco neque erant, quum nondum nata erant: vnde nascendi potestatem habuerunt. Non enim ea sola non nata dici debent, quæ necdum nata sunt: sed ea quæ carent fœcunditate generandi, ita vt ex his nihil nasci potest. Quæcunque igitur sunt, quibus inest generandi natura, generabilia sunt, de quibus nasci potest, tametsi ex se nata sint. Neque enim dubitatur ex his, quæ ex se nata sunt, facilè nasci posse, de quibus cuncta nascuntur. Deus ergo sempiternus, quocirca nec nasci potest, nec potuit: hic est, hic semper fuit, hic semper erit. Hæc itaque est, quæ ex se tota est natura Dei. Hyle autem, vel Mundi natura, & Spiritus quamuis nata videantur, à principio ex se nascendi procreandique vim possident, atque naturam fœcunditatis. Etenim initium in qualitate naturæ est, quæ conceptus & partus in se possidet vim atque materiam. Hæc sine alieno conceptu est sola generabilis.

Quæ

Quæ autem vim ſolam concipiendi habeant, ex alterius connexione naturæ ita diſcernenda ſunt: vt hic locus mundi, cum his quæ in ſe ſunt, videatur eſſe non natus: qui vtique in ſe vim totius naturæ habet: locum dico in quo ſunt omnia. Neque enim hæc omnia eſſe potuiſſent, ſi locus deeſſet, qui omnia ſuſtinere, & capere potuiſſet. Omnibus namque rebus, quæ fuerunt, præcauendum eſt de loco: nec qualitates, nec quantitates, nec poſſeßiones nec affectus dignoſci potuiſſent earum rerum, quæ nuſquam ſunt. Sic ergo & Mundus, quamuis natus non ſit, in ſe tamen omnium naturam habet: vt pote qui omnibus his ad concipiendum ſinus præſtat fœcundißimos. Quocirca totum hoc eſt qualitatis, materiæque creabilis, quamuis creata non eſt. Sicut enim in ipſa natura materiæ qualitas fœcunda eſt, ſic & malignitatis eadem eſt æquè fœcunda. Neque ego ô Aſclepi, & Hammō, illud aſſero, quod à multis dici ſolet: non poterat Deus incidere atque auertere à rerum natura malitiam. Quibus reſpondendum nihil omnino eſt: quæ tamen cauſa fuerit, hoc proſequar, & in eo rationem reddam, quod acceperam. Dicunt ipſi omnifariam Deum liberaſſe mundum à malitia: nam ita in mundo eſt, quaſi membrum ipſius videatur eſſe. His enim rebus, quibus cæteris anteſtamus animalibus, ſoli poſſumus malitiæ frau-

Biblioteca de Galicia

des, ac dolos vitare: ea enim qui antequam sit illis implicatus, ex aspectu vitarit: is homo est diuinæ intelligentiæ prudentiáque munitus. Fundamentum verò disciplinæ est, quod in summa bonitate consistit. Spiritu autem ministrantur omnia, atque vegetantur in mundo: & quasi organum vel machina summi Dei voluntati subiectus est. Itaque hactenus intelligatur à nobis, mente sola intelligibilis: summus qui dicitur Deus: Rector, gubernatórque sensibilis Dei, eius qui in se complectitur omnẽ locum, omnem rerum substantiam, totámque gignentium, creantiúmque materiam, & omne quicquid est, quantumcunque est. Spiriritu verò agitatur seu gubernatur omnis in mundo species: vnaquæque secundum naturam suam à Deo distributam sibi. Hyle autem, seu Mũdus omnium est receptaculum, omniúmque agitatio atque frequentatio: quorum Deus gubernator, dispensans omnibus rebus humanis quantum vnicuique necessarium est. Spiritus verò implet omnia, cuiuscunque naturæ qualitas est. Mundi enim rotunditas cana est in sphæræ modum: ipsa sibi qualitatis insitæ vel formæ suæ causa inuisibilis tota: vt ex his constat, quæ ex orbe variis locis prominent. Quod ab ipsis etiam Pythagoricis assertum est. Probat enim Mercurius ab ipso mundo corpora nutriri, à spiritu animas, à sensibus mentes: neque tamen

omnes,

Biblioteca de Galicia

omnes, sed eorum duntaxat, qui tantum beneficium capere possunt: Quod ipsum Timæus Locrensis, & alij quidam Academici opinantur, qui de Dijs atque animis magna ex parte cum Mercurio sentiunt. Plato autem & Pythagoras pleraq; (vt est autor Iamblichus) è columnis Mercurij acceperunt, quæ doctrinis variis, atque reconditis fuerunt refertæ. Sed hæc multò copiosius prosequimur in nostris Theorematis.

Poëtæ Lucretij obitum eodem die contigisse, quo Publius Vergilius virilem togam induit, Licinio & Pompeio Consulibus: ac de natali Poëtæ Vergilij.

CAPVT IIII.

QVi studium, ac diligentiam collocarunt in obseruanda, atque describenda vita, & moribus veterum, de Poëta Lucretio, & Pub. Vergilio id referunt, dignum sanè adnotatione: quòd eodem die Vergilius virilem togam induit, quo Lucretij obitus contigit. Qua in re naturæ benignitas atque propensio visa est Romanæ eruditionis patrocinium suscepisse: ne deessent in re Latina, qui Græcorum ingenijs atque disciplinis non minores haberentur. Natus autem traditur Vergilius Octobris Idibus, Cn. Pomp. & M. Licinio Crasso primum Coss. Togam verò sumpsisse in adolescentia ijsdem Coss. quibus natalem habuerat:

Biblioteca de Galicia

etsi quidam existimant eodẽ anno Lucretium periisse, quo Vergilius natalem habuerit. Idus verò illas præcipuè seruauit, ac maxima religione coluit Silius Italicus. Valerius quoque Martialis in hunc modum:

Maiæ Mercurium creastis Idus,
Augustis redit Idibus Diana,
Octobres Maro consecrauit Idus,
Qui magni celebras Maronis Idus.

Sed hanc rem & in Poëtis nostris retulimus, qui paulò post in communem vsum atque publicam vtilitatem edentur: ne instituto operi videamur deesse, iuuandi atque instruendi bonorum ingenia.

Quàm seuerè factũ sit à Romanis contra insolentiam: & de conuitiis atque contumeliis, quæ publicè in triumphantes à seruulis dicerentur. CAP. V.

VVlgatum est, quanta diligentia ac studio Sen. Popu. Q. Rom. contra hominum insolentiam, atque fastum ierit: quibúsque legibus ac decretis insolentis animi improbitatem repressérit. Sed inter alia complura illud obseruandum existimo de his, qui iure victoriæ cæsíq; hostibus triũphare soliti sunt. Nam triumphantibus quidem pro instituto maiorum conuiuiũ dapsile, atque magnificentissimum parabatur: idq; in Capitolio celebrari mos fuit. Ac ne fortè animus eorum nimium efferretur,

aut,

Biblioteca de Galicia

aut immodestius in maiore fortuna insolesceret, propè assidebat seruulus, qui subinde in conuiuio diceret: Magis seruo tuo pareo, quàm tibi: quo velut probro admonitus seipsum, atq; hominum conditionem æquo animo æstimaret. Mitto nunc quæ Planipedes, cæteriq; Mimorũ scriptores liberè atque mordaciter in eum dictitabant. Notum & illud de triumphantibus, quòd annulo etiam ferreo uti consueuerunt. Quod & C. Plinius testatur, qui C. Marium scribit cum ferreo annulo triumphasse de rege Iugurtha.

De animantibus, arboribus, ac lapidibus, quæ naturali consensu cum Solis & Lunæ viribus consentiant. CAP VI.

Disputatum sæpius est, ac diligenter probatum à Philosophis, inesse rebus superioribus vim insitam, atq; ingenitam, quæ magna ex parte cum inferioribus conueniat: quocirca Sympathiam quandam, & quasi concentum inter hæc elementa statuerunt: vnde animantium motus, atque taciti consensus congruere cum diuinis corporibus videantur. Qua in re Academici in primis complura tulerunt: arboresq; & lapides etiam sentire has vires, eorumq; affectibus moueri, atq; affici asserunt. Quo nomine adscribuntur hæc inferiora suis

Biblioteca de Galicia

numinibus. Inter animãtia, quæ dicata Apollini traduntur, Aries, Crocodilus, Cantharus, Astur, Leo, & Gallus à Cheremone Stoico, & Porphyrio referuntur. Insitũ Gallis est (inquit Proclus) numen Apollinis aduocare, & velut propriis canticis exurgenti applaudere. Pythagoras autem cauendum monuit, ne quis gallum mactaret, quoniam Soli & Lunæ dicatus foret. Inter arbores de Lauro, Palma, & Loto scribitur, quòd ad Solis potestatem maximè accedant. Lotos enim ante emersum Solis folia sua implicat & contrahit: eo autem existente, sensim reuoluit, atque explicat. Heliotropium præterea, & Selinotropium herbas enumerant, quæ Solis vires ac Lunæ, consensu mirifico subsequantur, vnde inditum illis est nomen. De lapidibus multa ab Aegyptijs, & Magis tradantur: vt de Helinite, Selinite, Asterite, Vranothalino, & alijs pluribus, quæ vel siderum imaginem præferunt, vel potestatem eorum affectus sentiunt. Quod ipsum & Proclus in commentario de Magica existimauit: qui & Dæmones inquit solares aliquando fuisse cum leonis facie: quibus quum galli obijcerentur, confestim euanuisse. De quo in Epistolicis nostris copiosè disseruimus.

Versiculi aliquot in Vergiliano Poëmate emendati: ac de dactylicis & spondaicis numeris nonnihil. CAP. VII.

Paulo

PAulò antè rogatus sum per epistolam ab amicis, vt aliquid pro Vergiliana emẽdatione in communem vsum conferrem: Quod à nobis factum satis accuratè pro studio ac diligentia nostra in bonis disciplinis. Inter alia verò quæ notauimus, monui depranatum esse carmen illud in Georgicis, quo curationes atq; remedia pecudum morbis describit:

Et spumas miscẽt argẽti, ac sulphura viua:
Idæasq; pices & pingues vnguine ceras.

Sed legendum est. Viuaq; sulphura: ita enim vetustiora exemplaria retinent: & Honoratus Seruius, ac Macrobius agnoscunt. Illud etiã in sexto Aeneidos libro ita scribere oportet:

-Quin protinus omnia
Perlegerent oculis: ni iã præmissus Achates
Affaret.

Quæ nostri Grammatici ferè omiserunt, vt pridem scripsimus ad Aldum Romanum, qui de omni antiquitate, bonisq; literis optimè meritus est. In his Dactylicos versus accipere debemus, quoniam in vltima sede dactylum habent: vt Spondaicos illos, qui spondeum in quinta. Etsi vocantur præterea spondaici versus, qui omnibus spondeis constant: vt ille Poëtæ Ennij:

Ciues Romani tunc facti sunt Campani.

De quo Grammatici multa, & Censorinus in Natal

Natalitio ad Cerellium scribit. In ijs autem quos posuimus versibus, secutus est Homerum Vergilius: pariq; licentia, & acephalos, & longiusculos delitiisque profluentes imitatus est. Quod Eustathius in Macrobianis cœnis copiosè disseruit.

Qua ratione intelligatur Ver sacrum fieri: ac verba Plinj exposita, de populis Sabinis ex historia Sisennæ. CAP. VIII.

Picentes populi (vt à Plinio scribitur) originem à Sabinis acceperunt voto Vere sacro. Qua in re secutus videtur Sisennæ historiam, qui de Sabinis agens, eos refert vouisse vel sacrum se facturos, si melioribus locis constitisset. Quã rem Nonius Marcel. apud ipsum Sisennam obseruauit: vt in libro habetur de ijs, quæ à doctis quæruntur. Quo loco, Ver sacrum pro religioso, inquit, à Sisenna acceptum est, cùm alij pro vitali, atque execrando intellexerint. Relatum de Lacedæmonijs est quòd ij quidem ver sacrum destinauerunt, quo tempore Vrbem Heracleam condiderunt. Sex. autem Pompeius ob eam rationem dictum existimauit, quòd in magnis periculis vouendi mos fuit, se cuncta animalia immolaturos, quæ Vere proximo nascerẽtur. Quæ res (inquit) cùm paulò crudelior atque atrocior videretur, pueros, puellasque innocentes interimere, in adultam ætatem perductos velabant, atque

que extra fines exigebant. Hinc appellati sunt Sacrani ex oppido Reate orti, quòd in sacro Vere nati haberentur. De his sacris & in commentarijs Græcorum mentio habetur, qui maiore diligentia atque studio Romanos ritus ac institutiones perquirunt.

Plauti verba exposita in prologo Pœnuli: quo loco Aristarchi Achillem nominat, contra imperitorum sententiam.

CAP. IX.

IN comœdia M. Plauti, quæ Pœnulus inscribitur, sic à prologi persona refertur:

Achillẽ Aristarchi mihi cõmentari lubet.
Inde mihi principiũ capiam ex ea tragœdia.

In quibus exponendis, nostri Grammatici coniecturis tantùm nituntur: neque afferunt aliquid de Achille Aristarchi dignũ Plauti eruditione, quo sententiam satis explicare videantur. Ego verò pro Enniana fabula intelligendum existimo, cuius hæc ipsa inscriptio foret: quoniam Q. Ennius Tragœdias aliquot composuit quales à priscis citantur Stratocles, Medea, Alcinous, & Achilles Aristarchi. Quod abundè probatur, cùm ex antiquis autoribus, tum ex Collectaneis Sexti Pompeij, in quibus ad hunc modum legitur: Prolato ære astitit, Poëta Ennius quum dixerit in Achille Aristarchi, significat clypeo ante se protento. Quod ipsum in vulgatioribus istis exemplaribus neutiquam

tiquam comperies. Voluit autem Plautus argumentum fabulæ Ex Ennij tragœdia transferre in Pœnuli prologum. Qua in re complures variè differunt, sed nullis (quòd sciam) probis ac receptis autoribus.

Perlepida historia de Phryne meretrice, & Praxitele: & quo commento vsa sit in explorãdis Præxitelis operibus, quę absolutiora forent. CAPVT X.

SAtis lepida, & perurbana historia refertur de Phryne meretricula: quo commento atque arte vsa sit in explorandis, cognoscendúq; Praxitelis operibus, quæ ab autore ipso haberentur in summo pretio. Nam cum Praxiteles illius formam in credibili amore deperiret, eique polliceretur se concessurum, quòd illi opus pulcherrimum videretur: sed ea conditione, vt nihil dicente illo, quodcunque vellet pro suo iudicio eligeret: Phryne puerum instruit, qui oportunè accurrens, nuntiat officinã ipsam Praxiteles magno incendio correptam, ac iam pleraque opera flammis absumpta. Ad hæc Praxiteles ex templo ad officinam se proripiẽs. Et simul actum est, inquit, de meis omnibus laboribus, si Satyrus, & Cupido concremati sunt, Tum Phryne Mane, inquit, & bono animo sis. Nihil tibi ignis obfuit. Quo dolo victus Praxiteles, quæ forent operum absolutiſsi

Biblioteca de Galicia

tissima professus est. Phryne autem Cupidinem delegit. De quo cùm à Poëtis Græcis plurima afferuntur, tum à Pausania in Atticis. Neque illud omiserim, factam fuisse à Praxitele imaginem meretricis lætantis quam putarint nonnulli Phrynen esse, quòd in ea deprehenderent amorem artificis, & mercedem in vultu meretricis. Quæ res cùm ab aliis, tum à Plinio refertur.

De doctrina Ioannis Scoti: & quàm sęuissima cęde ab ingratissimis discipulis interemptus fuerit. CAP. XI.

NOtum est ferè omnibus, quàm egregia eruditione, clarissimoq; ingenio præstiterit Ioannes Scotus in rebus diuinis: vt qui omnem Christianæ theologiæ disciplinam maximo studio coluerit. Qua in re illud mihi visum est admotatione dignum, quod in Gallorũ annalibus legitur de sęuitia discipulorũ in eum ipsum, atque incredibili immanitate. Is enim Scotus, quum fortè in Britannia Christianæ religioni se dicasset, atque discipulos aliquot (vt fit) erudiret: factum est vt illi contra præceptorem conspirarent, graphiisque assumptis, illum sęuissimè interimerent. Quo scelere nihil atrocius, aut flagitiosius dici potest. Idem Ioannes Græcas literas calluit, quæ illis temporibus magna ex parte amissæ fuerant.

Hinc

Hinc Francorum rex Carolus (qui Caluus est appellatus) quum Christianæ theologiæ studio teneretur, Ioanni Scoto mandauit, vt Dionysij Areopagitæ libros, qui de sacra Hierarchia scribuntur, Latinitate donaret. Quod ipsum pro officio suo erga regẽ accuratè absoluit, etsi maiorem diligentiam, quàm elegantiam tali opere indicauit.

Verba ex epistola Octauij Augusti relata, de luxu & mollitie Mecœnatis: & quã impudenter, atque insciti ssimè ab imperitis deprauata sint. CAP. XII.

CElebrantur epistolæ aliquot diui Augusti ad C. Mecœnatẽ, in quibus viri mollitiem atque fluentes delicias pereleganter & venustè irrisit: sicuti in his etiam verbis appareret, quæ Auienus in cœnis Macrobianis retulit. Vale Mecœnas mel gentium, ebur Hetruriæ, lasar Arretinum, adamas Supernas, Tyberinum margaritum, Cilneorum smaragde, iaspi figulorum, berylle & carbunculum Porsenæ. Ita enim legere oportet, quod & veteres codices docent. Quibus verbis ab Augusto insinuatur Mecœnatẽ ipsum permultis Italiæ populis gratum fuisse: quanquàm hoc loco magis id affertur, vt effœminatum, atque molliss imum hominem argueret. Id ipsum eò libentius putaui obseruandum, quòd in quibusdam commentar

Biblioteca de Galicia

mentarijs Annij Viterbiensis, qui pleraque omnia impudentissimè confinxit, depravari hæc video: & æsar, pro eo quod est lasar: & figulos pro Poëtis exponi tam omnino insciтè, quàm improbè atque insolentissimè: quum nihil dici absurdius, atque ineptius possit. Augustus enim Mecænati illudens, affectatas illius cacozelias lepidissimè incessebat: vt qui consueuisset eius myrobrechos (vt inquit Suetonius) ac cincinnos inscribendo persequi, & imitando per iocum irridere. Quocirca perurbanè ipsum vocat mel gentium, Hetruriæ ebur, & Arretij lasar, Anneus quoque Seneca discinctum Mecænatem, eiusq; mollissimas delicias, & portentosam orationem appellauit: quod alibi diximus.

De impia & vanissima superstitione Templariorum: & quomodo à Clemente Pontifice Max. abolita fuerit, non iniucunda cognitio. CAP. XIII.

DE Templarijs hæreticis, eorumq; disciplina: & insigni flagitio complura referuntur in quorundam annalibus. Nos pauca quædam de his pro tempore adnotabimus. Fuerunt igitur anno post Augusti Imperium circiter millesimo & trigesimo in Solymis ciuitate qui sub prætextu religionis Templarios se nominarunt breuique tempore tantum nominis atque fidei obtinuerunt, vt præter ingentes

Biblioteca de Galicia

diuitias, quas cumularunt, templa etiam variis regionibus atque urbibus adepti sint. Eáq; ratione templarios quidam putant fuisse appellatos, quod in templis frequentes atque assidui versarentur. Hi autem pro insita hominum libidine, tanta animi insolentia ac peruersitate elati sunt, vt Christi sacris impudentissimè abdicatis, in flagitia quædam, atque fœdissimam falsitatem diuerterint. Traditur enim eos simulacrum quoddam summo artificio composuisse, cui hominis cutem superinduxerant, eidemq; binos præfulgentes carbunculos sub ipsa fronte collocasse, qui vice oculorum promicarent. Quod si quis tali factioni nomen dabat, primò ad hanc statuam perductus erat ordinémque & vitam Templariorum perdiscebat. Qua in re illud in primis cautum fuit, vt abnegata Christianæ veritatis religione, ac reiecto sanctissimæ Crucis vexillo, sacra ritè peragerent. Morientium præterea cadauer in cineres adactum, cæteris in potum conferebant: qua potione firmiores, atque constantiores se futuros putabant. Eos verò, qui ex Templary, virginisq; coniugio fuissent nati, subiecto igne torrebant, simúlque ex humore deliquato suum simulacrum perungebant: quò maiorem decorem atque religionem probarent. De his sacerdotibus & illud notatum est, quòd amore masculorum fœdissimo tenerentur. Quocirca creditur

ditur fuisse tam nefarium scelus detectum, atque in Viennensi concilio damnatum asserente hoc Pontifice Maximo Clemente, qui Benedicto successit. Nã eo tempore quicunque ex Templarijs deprehensi sunt, propter impiam atque scelestam disciplinam concremati fuerunt: quæ trecentis propemodum annis perdurauit, non sine maxima bonorum calamitate.

Tertulliani verba exposita de Curio aleatore: & quàm nobilis tradatur fuisse in talari ludo, ex Marco Cicerone, Pædiano, & aliis. CAPVT XIIII.

IN libro Tertulliani, quẽ de Pallio inscripsit, mentio habetur de Curio aleatore his verbis: Taceo Nerones, & Apicios, & Russos: dabo autorem Tacitum impuritatis Scauri, & aleæ Curij & vinolẽtiæ Antonij: & memento interim istos ex multis togatos fuisse. Quo loco dubitari video à plerisque de ipsius Curij alea. Sed ne quis in hoc perquirendo nimium fatigetur, sciendum est, Curium hunc fuisse virum quæstorium, ac satis nobilem temporibus M. Tullij, cuius aleam & eruditionem in talis Poëta etiam Caluus celebrauit. Cicero in oratione, quam habuit contra C. Antonium, & L. Catilinam competitores, Licinium gladiatorem & Q. Curium accusat, vt homines flagitiosos. Quocirca Pædianus Asconius eũdem Curium notissimum aleatorem vocauit: qui

Biblioteca de Galicia

posteà, inquit, damnatus est. Caluus autem Poëta elegantissimus tali versiculo aleatorem Curium demonstrat:

Et talis Curius pereruditus, vt ab eodem Asconio traditur.

Quid significent hæ voces, hoc est, Tricones apud Iulium Capitolinum: & Lymphiones in epistola Phlegontis liberti: ac de Lympholentis nonnihil. CAP. XV.

IN historia Iulij Capitolini verba hæc legũtur de Vero Imperat. Fertur & nocte perpeti alea lusisse, quum in Syria contraxisset id vitium: atque in tantum vitiorum Caianorum, & Neronianorum, ac Vitellianorum fuisse æmulum, vt vagaretur nocte per tabernas, ac lupanaria, obtecto capite, cucullione vulgari viatorio: & commisceretur cum triconibus, committeret rixas, dissimulans quis esset, sæpeq; afflictum liuida facie redijsse, & in tabernis agnitum, quum se absconderet. Quòd autem dixerit Verum Imperatorem triconibus se commiscuisse, ac temerè inseruisse: videtur eos homines Tricones intelligere, qui Gerrones à veteribus, seu rixatores dicuntur: quales ij sunt, qui contentiones ac rixas auidius consectantur. Id ex Satyris Poëtæ Lucilij assumptum est, qui primus (vt puto) ab intricando hanc vocem deflexit. Carmen Lucilij id est ad Panætium:

Cotta

Cotta senex Crassi pater huius Panæti
Magnus fuit triconum : idem manus soluere nulli

Lentius. Quo loco Tricones Nonius accipit pro morosis hominibus, & ad quanque rixam paratis. Lymphiones autem pro ventosis, & furibundis quidam exponunt : qua voce Phlegon Hadriani Imperatoris libertus est usus, in epistola ad Seruianum ter Cos. in qua omneis Aegyptios refert cuiusque artis Lymphiones videri: hoc est (vt ego existimo) discursantes, atque satagios : cùm podagrosi (vt inquit) & chiragrici homines habeant, in quo se maximè occupatos ostendant. Quod apud autorem Vopiscum comperies in vita Aug. Saturnini. Quidam Lympholentos pro eodem accipiunt, seu (quod idem est) Nympholentos, quasi furentes & debacchantes : quos Græci frequentes Nympholeptos appellant, vt à Sexto Pompeio exponitur, qui paulò tamen ieiunius etymon huius vocabuli explicauit.

Quis apud veteres Ægyptios maximus omnium Deus haberetur, qualiqi imagine sit ex oraculo Serapidis celebratus.

CAPVT XVI.

QVis apud veteres Aegyptios Deus deorum fuerit habitus, qualique effigie : id ipsum ex celebri oraculo seruari potest, quod à Serapide Aegyptiorum Deo prolatum tradi-

Biblioteca de Galicia

tur: cùm Nicocreontes Cypriorum tyrannus paulò curiosius hoc indagaret. Sic enim Serapis cõmonuit eum suprà cætera omnia pro maximo numine habendum atque venerandum, cuius caput cælum foret, venter maria, pedes terra, aures in ipso æthere locarentur, oculi præfulgentes, clarissimum Solis lumen. Sed est apponendum oraculum suis versibus, quò melius considerari, atque clarius possit innotescere:

εἰμὶ Διὸς τοῖος μὲ μαθεῖν οἷον κ' ἀγὼ εἴπω,
Οὐρανίος κόσμος κεφαλὴ, γαστὴρ δὲ θάλασσα,
Γαῖα δέ μοι πόδες εἰσὶ, τὰ δὲ οὔατ' ἐν ἀθέρι κεῖται,
ὄμμα τὸ παναῖτες λαμπρὸν φάος ἠελίοιο.

Quod à Vectio Prætextato relatum est in cænis Macrobianis, cùm de Iside, & Serapide disserit. Romani autem paulò tardius, in urbem acceperunt Serapidis numen: etsi magno cultu atque veneratione quidam principes eum prosequuti sunt. Templum ipsius in regione urbis nona (quæ circus Flaminius dicitur) locatum fuit: quo loco & Iseum, & Mineruam Chalcidicam fuisse constat: vt à Publio Victore traditur.

PET

PETRI CRINITI DE HONESTA DISCIPLINA COMMENT.

LIBER XXV.

Qui maximè homines comitiali morbo vexentur: & quibus argumentis hoc agnoscatur, ex L. Apulcio, & aliis. CAP. I.

ET ARISTOTELES *philosophus & medici aliquot asserunt, eos maximè homines comitiali morbo teneri, qui atra bile vexentur, & ingenio ac doctrinis excellant, quod in quæstionibus physicis copiosè ab Aristotele probatum est. Sed visum mihi hoc loco exempla quædam referre, quibus probari possit, eos plerunque homines comitiali morbo affectos, qui & ingenio summo, & animi magnitudine præstiterint. Neque ob aliam causam medici Herculeum appellarunt, quàm quòd ille infestaretur tali ægritudine. Iulius Cæsar extrema iam ætate animo repentè linqui consueuit, atque etiam per somnium exterreri. Comitiali quoque morbo (vt est autor Suetonius) bis inter*

Biblioteca de Galicia

res gerendas correptus est. Sed & Plotinus Philosophus insignis (cuius libros digessit Porphyrius in nouenarios) eodem morbo laborauit, vt in Græcorum commentarijs legitur. Mitto alios complureis, qui apud autores memorantur. L. verò Apuleius in oratione ad Claudium proconsulem, non modò hunc maiorem morbum vocari ab antiquis tradit, sed etiam diuinum ac sacrum: quod in rationalem maximè partem, quæ longè sanctissima est, desæuiat. Quocirca religiosum fuit apud Romanos, eo tempore cum populo agere, quo morbo comitiali quisquam in senatu opprimeretur: à qua superstitione denominatum esse Comitialem morbum Grammatici existimarunt. Hinc illud carmen apud A. Serenum:

Est subiti species morbi, cui nomen ab illo est
Quòd fieri nobis suffragia iusta recusat.
Sæpe etenim membris atro languore caducis
Consilium populi labes horrenda diremit.
Ipse Deus memorat dubiæ per tẽpora Lunæ
Conceptum: talis quem sæpe ruina profudit.

Inter alia verò eius morbi indicia, hæc à nostris medicis referuntur: Cùm caput grauedine oppressum est, ceruix obtorpet, tempora ipsa velut ictu quodam pulsantur, aures tinnitum emittunt, in labris rorem quendam & spumam reddunt, ac subinde oculos circunducunt. Illi autem sanari ægrius atque difficilius dicun-

tur

tur, quibus dexteræ partes magis afficiantur. Quod etiam Aristoteles probat, vt Hippocratem & Galenum mittamus, qui libros integros de hoc morbo composuerunt. Neque illud ignoratur, Liuium Drusum (qui tribunus plebis fuit) cùm tali morbo laboraret, Anticyrã contendisse, & in ea insula assumpto Elleboro conualuisse: quod à Gellio seruatum est in Atticis noctibus ex historia C. Plinij. Solæ autem coturnices in omni animantium genere præter hominem comitiales habentur, vt ab antiquis est adnotatum.

De nominibus veterum auspiciorum, ac de illorum superstitiosis obseruationibus, ex antiquis Grammaticis.

CAPVT II.

DE auspicijs veterum complura à M. Tullio, Augustino, & alijs referuntur, cùm ea ferme omnia Romani auspicato perficerent quæ ad publica & priuata officia pertinerent. Inter alia & hæc apud autores nominantur, hoc est, Cælestia, Pedestria, Solistima, Canaria, Pestifera, Caduca, Piacularia: item cliua & Inebra, quæ fieri aliquid inhiberent, quoniam veteres ferè cuncta ardua & difficilia consueuerunt Cliuia appellare, vnde & Cliui pro locis arduis dicuntur. Cælestia vocarunt, cùm tonitrua, vel fulmina ederentur: quo tempore nefas habitum est apud Romanos agere

Biblioteca de Galicia

quicquam cum populo & ob eam causam Iouem Elicium, tonantem, & fulguratorem in Hetruscorum libris nominarunt, Pedestria verò pro illis accepta sunt, quæ ex vulpe (vt inquit Festus) lupo, serpente, equo, cæterisq; quadrupedibus redderentur, Solistima, quæ ex tripudijs gallinaceorum, vt alibi diximus. Canaria item, quòd in illis rutilæ canes immolarentur, quæ sacra pro frugibus fiebant cõtra vredines, atque sæuitiam caniculæ sideris. Pestifera, in quibus cor ipsum in extis, aut caput in iocinore non extitisset. Caduca, cùm in templo aliquid decidisset, in quo exauguratio facta diceretur: quod accidebat, si quando in augurando virga augurantis è manu decidisset: quæ comtemplari, & auspicium capere mos fuit. Piacularia, ex quibus tristia & ominosa portendebantur, cum hostia profugisset ab ara, aut percussa mugitum dedisset, aut in aliam partem corporis, quàm oporteret, concidisset. Mitto nunc Osimia & Regalia, de quibus cũ ab alijs agitur, tum à Festo Pompeio. De dijs auspicijs, quæ per acumina fiebant, non satis hactenus mihi compertum: etsi M. Cicero in libris de diuinatione hæc celebrat Bellicam rem (inquit) maiores nostri nisi auspicato administrari noluerunt: quanquàm multi amisimus, cùm bella à Proconsulibus & Propraetoribus administrantur, qui auspicia non habent. Itaq;

nec

nec amnein transeunt auspicato, nec tripudia auspicantur: nam ex acuminibus quidem (quod totum auspicium militare est) M. Marcellus quinquies Cos. totum omisit: idem Imperator & augur optimus. Soliti autem sunt veteres augures quinque signorum genera in auspicijs obseruare, hoc est ex cælo, ex auibus, ex tripudijs, ex quadrupedibus, & ex diris: quod à Festo Pompeio diligenter exponitur, ex commentarijs Verrij Flacci.

Quanta fuerit Esdræ sacerdotis eruditio: & quàm mirifica eiusdem memoria in ordinanda atque componenda Hebræorum philosophia, ac de Cabala etiã nonnihil ex verbis Pici Mirãdulæ. CAP. III.

DE Esdra Hebræo relatum id est, dignum prorsus memoria atque obseruatione, eundem tam egregia ac singulari eruditione præstitisse in legibus atque disciplinis omnibus Hebræorum exponendis, vt vniuersas eorum doctrinas in memoria habuerit. Eundem præterea Iudæorum literas immutasse, ne cum populis Samaritis cõgredi possent: ac volumina illa sacræ theologiæ digessisse, eóque ordine condidisse, quo imperante mox Philadelpho in Græcam eruditionem sunt à LXX. interpretibus conuersa. Quod & Hieronymus, aliique veteres ita probant, vt inter admiranda, atque insignia Hebræorum referant. Neque

sint

Biblioteca de Galicia

sunt omittenda hoc loco, quæ à Pico nuper Mirandula audierim, cùm sacra hæc apud Hebræos diligẽtius atque curiosius indagaret. Diuinæ legis interpretatio, inquit, quam Moses ab ipso Deo accepit, subinde per animos reuelata est, & Cabala appellata: quod idem est apud Hebræos, quod apud nos sciẽtia secretior: ob eam scilicet rationem quòd illam doctrinam non per literarũ monumenta, sed ordinarijs reuelationũ successionibus alter ab altero, quasi hæreditario iure susciperet. Sed postquàm Hebræi à captiuitate Babylonica per Cyrum restituti sunt, & instaurato templo, sub Zorobabele ad legem substituendam animum adiecerunt: Esdras tum præfectus Ecclesiæ, post emendatum Mosis opus, cùm intelligeret per exilia, cædes, fugas, captiuitatem gẽtis Israëliticæ, institutum à maioribus morem tradendæ par manus doctrinæ seruari non posse: futurúmque vt sibi diuinitus indulta cælestis doctrina arcana perirent, quorum commentarijs non intercedentibus durare diu memoria non poterat: constituit vt conuocatis, qui tunc supererant, sapientibus, afferret vnusquisque in medium, quæ de legis mysterijs memoriter tenebat adhibitisque notarijs in LXX. *volumina relata sunt: quoniam totidem in Synedrium sapientes conuenerant. Qua de re qui minus fidei mihi habent, Esdram ipsum*

audia

Biblioteca de Galicia

audiant ita loquentem: Exactis XL. diebus loquutus est altissimus, dicens: Priora quæ scripsisti propalam pone, vt ea vniuersi legant. Nouissimos autem LXX. libros conseruabis, vt eos tradas sapientibus de tuo populo. In his enim venæ intellectus continetur, & veræ sapientiæ fons, & scientiæ flumen: atq; ita feci. Hi sunt, inquit Picus, LXX. libri scientiæ Cabalæ in quibus meritò Esdras venam intellectus, id est, ineffabilem de altissima diuinitate theologiam, sapientiæ fontem, de intelligibilibus, angelicisque formis absolutam metaphysicen, scientiæ flumen, id est, de rebus naturalibus firmissimam philosophiã esse, clara in primis voce pronuntiauit. Hi libri, cùm summa diligentia, & incredibili studio à Xysto III. Põt. Max. essent perquisiti, curauit vt in publicam nostræ religionis vtilitatẽ Latinis literis mandarentur: quod ab eo propter importunum obitũ absolui nõ potuit. Nostra verò ætate in tanto pretio atq; religione habẽtur apud Hebræos, vt neminem liceat nisi quadraginta annos natum eos attingere: miriumq; est quàm Cabalæ ipsius doctrina Christianis decretis consentiat: quàm eadem locis multis cõperiuntur, quæ apud Paulum ferè, Dionysium Hieronymum, Augustinum, & alios nostræ religionis principes leguntur. Hactenus Picus: quæ mox in suum opus retulit, vir vnus ætate nostra, qui propter

pter multiplicem rerum, doctrinarumq; scientiam cum omni antiquitate comparari possit.

Quid sit apud Iureconsultos Præscriptio quinq; pedum in finibus regundis, ac M. Ciceronis verba exposita in libris de legibus. CAP. IIII.

QVæsitum est superiori ætate à viris doctioribus: quidnam in iure nostro ciuili Præscriptio quinque pedum signaret, qualisque foret in ea intellectus. Quam rem Laurentius Valla, & alij complures, cùm non satis percipe-rent, hac vna se ratione defendebant, quod Ioannes Baialardus, inter eos, qui ius ciuile profitentur, vir consultissimus, ingenuè affir-marit, se illud ignorare. Nos autem minimè ab re futurum existimamus, si totum hoc nostra diligentia exponatur. Sciendum igitur sum-ptum id ex XII. tabulis fuisse, in quibus quin-que pedes habiti sunt inter vsucapiones: & si in Digestis ipsis Iustiniani Imper. præscriptio quinque pedum sublata est, sicuti alia permul-ta, quæ propter nimiam vetustatem abolita fuerunt: vt à Sex. Cæcilio Iurisconsulto tradi-tur. Sed actionem hanc quinque pedum ex legi-bus Solonis in XII. tab. transtulerunt: in qua controuersia haberetur de finibus, si quando spa-tium quinque pedum interceßisset. Ita enim cau-tum fuit à Solone, vt est autor Plutarchus, de iure vsucapionum:

Si

Biblioteca de Galicia

Si quis in agro aliquid plantarit, quinque pedes à vicino abesto:

Si ficum, vel oleam, pedes nouem abesto.

Quoniam istiusmodi arborum radices longius proserpunt, damnúmque ob id, ac perniciem finitimis afferunt. Caius quoque Iurisconsultus legem Solonis citat in finibus regũdis, ad hunc propè modum:

Si qui sepem, vel maceriem ad alienam regionem effoderint, limitem ne excedunto:

Si murum, pedem vnum: si domum, pedes duos relinquunto: Si sepulchrum aut foueam, quantum sit altum, tantundem relinquunto:

Si puteum, passum: si oliuam aut ficum, nouem pedes relinquunto:

In cæteris arboribus quinq; pedes seruanto. Hinc Cicero pereleganter & eruditè iocatus est in legibus, cùm dixerit, se non permissurum depasci possessionem academiæ à Stoicis: quoniam vsucapionem, inquit, XII. tabulæ intra quinque pedes esse voluerunt, quod in finibus tantùm dissentirent, in cæteris omnibus optimè conuenirent, Iulius Nypsus de hac re meminit in libro ad Celsum, quem de mensuris agrorum composuit. Quinque pedum, inquit, præscriptione summota finalis iurgij vel locorum libera peragatur intentio. In quo Theodosij, & Valentiniani Imperatorum epistolas citat, ex quibus tolleretur istiusmodi actio

in reg

Biblioteca de Galicia

in regundis finibus.

Quæ foret in libris pontificũ dea Tutulina: & de sacerdotibus Tutulatis in Saturnio carmine diligenter notatum.

CAP. V.

IN veterum libris, qui Pontificales appellati sunt, mentio inuenitur de Tutulina dea, cuius nomen, vt interpretatur M. Varro, à tutãdo deductum est. Itaque de poëta Ennio legitur illum Tutulinæ loca habitasse, vt à Porcio scriptũ est. In magno cultu & religione fuit, adeò vt piaculum haberetur, si quis eã fortè inauspicato appellasset. Proinde sic adnotatum est in antiquis sacris:

Obseruanto ferias, si quis Salutem, Semoniam, Setiam, Segetiam, Tutulinam inauspicato nominasit.

Refert Augustinus eius numen tutandis frumentis præfuisse: vt Nodinam, Patelenam, & Hostilinam, de quibus commodè diximus. Sed & sacerdotes Tutulati ob eam rationem vocati sunt, quòd in sacris capitibus, ceu mitram habere consueuissent, quæ Tutulus diceretur, quod etiamnum Christiani sacerdotes ferè custodiunt. Matres quoque familiàs conuolutos ad verticem capitis crines tutulos dixerunt, vt Varro asserit, qui Saturnium carmen exponens, de Argeis atque Tutulatis copiosè

disse-

Biblioteca de Galicia

disseruit. Qua in re Sex. Pompeius videtur dissentire, qui Tutulũ pro ornamento capitis Flaminicarum accepit, quod innexa crinibus purpura in verticem extaret. Hinc Tutuli milites, & Tutanus deus nobilis, quem omnes mortales (vt inquit Varro) labore affecti inuocarent: quòd ijs præsidium atque opem afferret. Tutelares item dij, qui Lares, Patrij, & Magni dicti sunt: Tutelariúmque sacra veteran annalibus celebrata: in quibus patrocinium & salus vrbis, velut à certis numinibus, rogabatur. Fulgentius Tutulum pro pallio exposuit, quo Rom. sacerdotes caput obnuberent, cùm in sacris versarentur, in quo Varronis ac Numæ testimonium citat. Vnde & illud inquit Vergilianum:

Et capita ante aras Phrygio velabat amictu.

Lapidáre, & Lapidationes vario significatu intelligi: & quid item Lapidescere, & Lapire sit. CAP. VI.

MVltiplex ac diuersa significatio est in ijs verbis, quæ Lapidare, & Lapidationes dicimus. Nam de cælo lapidatum inter prodigia legimus, pro eo quod est, lapides pluisse, vt apud autores frequenter comperies. Hinc illud apud C. Suetonium de Germanici Cæs. obitu. Quo defuncto est die, lapidata sunt templa, subuersæ deorum aræ, lares à qui-

Biblioteca de Galicia

busdam familiares in publicum abiecti. Lapidationem verò factam in aliquem intelligere debemus, cum in eum lapides coniecti sunt: quod ipsis principibus Roma. alicubi accidit, vt conspiratione facta, impetum, atque lapidationes contra eos populos faceret. M. Tullius hoc verbo vtitur locus multis, & in gestu Clodij: Marcellinus, inquit, cùm grauiter questus esset de Clodianis incendijs, trucidationibus, lapidationibus, sententiam dixit. Macrobius autem vt interdum audacior, nimiúsque nouitatis affectator, paulò durius, Lapidare pro incessere, & notare vsus est. Nam cùm de Laberij poëtæ mordacitate disserit, eiúsque versiculis in C. Cæsarẽ: Vniuersus, inquit, Rom. populus ad vnũ Cæsarem oculos & ora conuertit, notantes eius impotentiam hac dicacitate lapidatam. Dicuntur etiã Delapidata itinera, quæ lapide strata sunt, vt à Sex. Pompeio traditur: sicuti Dilapidare, pro expugnare, & deperdere. Elapidare apud Plinium, pro eo quod est lapides eximere. Lapidescere verò apud eundem nihil est aliud quàm obdurescere, & in lapidem conuerti: quod Græci λιθόειν dicunt In flumine, inquit, Silere vltra Surrentum, nõ vigulta modò immersa, verùm & folia lapidescunt. Quæ figura sunt: notescunt, senescunt, caulescunt, viresc unt, opulescunt, lutescunt: & alia generis eiusdem, quibus maximè

trad

Biblioteca de Galicia

traditur delectatus Furius Antias: etsi à Cesellio Vindice accusatur, quòd in his Latinam linguam dedecorauerit. Apud C. Plinium sæpe idem comperies: quod illi necessariũ fuit in tã varia rerum historia, ac multiplici naturæ opere describendo. Insolentius verò Pacuuius Lapire dixit, pro rigescere, in Tragœdia:

Lapit cor cura, ærumna corpus conficit.

Quod ipsum & Nonius diligẽter obseruauit.

Quo nomine apud veteres Manna diceretur: ac de illius vsũ, & cognitione apud medicos: tum de Manna thuris nonnihil.

CAP. VII.

PAulò antè accidit vt Venetijs agerẽ, atque in sermone (vt fit) hominum doctiorum adessem: inter quos bilem mihi mouit, ne risum dicam, quorundam medicorum insciti: qui cùm de Manna mentio haberetur, pari improbitate atque ignorantia asseuerabant, non multis antè seculis, neque ante Galeni ætatem ad nostros inuectã fuisse mannã: quòd à vero maximè dissidet. Si quidem mannæ vsus (vt nostri vocant) vel Tiberio Cæs. imperante à medicis probatus est, tametsi alio nomine romani autores eam appellant: vt in plerisque alijs contigit, quæ ad vsum vitæ pertineant. Astipulatur huic sententiæ Cor. Celsus, qui curari quædam vlcera tradit, si perungantur melle addito rore Syriaco, aut amaris nucibus. Quo

Biblioteca de Galicia

loco Syriacũ rorem pro eo intelligi oportet, quod à nostris medicis Manna, Hebraico nomine vocatur: cuius humor, vt constat, Syrijs olim populis celebratus est. De quo cùm plures, tum Dioscorides copiosè ad Ariũ scribit: Mannã referens, quæ ἐγκάρσιος dicitur, probari in Libano cãdore præcipuo, eamq; adulterari, si addatur resina ex pinu, vel tenuissima siligo, quã γόμφωσιν appellat. Sunt qui in Papinio poëta de mãna intelligant, quo loco Palæstinos & Hebræos liquores nominat. Orpheus vates & hãc inter Thymiamata refert. Mitto Galenum & alios medicinæ autores, qui nobis hac in re patrocinantur. Nostris temporibus ea maxime in pretio est, quàm Calabrensem vocant, cuius cõmendatio habetur, si albicans & fricabilis sit. Neque desunt, qui hanc Syriacæ præferãt. Minimè autem me præterit, vel in ipso thure mannam dici à Plinio, & alijs, micas turis, quæ elisæ sunt. In thure, inquit Plinius, elisas concussu micas mannam vocamus. Quod & Barbarus Hermolaus non ignorauit, vir in perquirenda omni antiquitate diligẽs & accuratus.

Quæ habita sit apud veteres autores minor mulcta: & maxima, ac de mulctandis iniurijs, ex XII. tabulis diligẽter obseruatum. CAP. VIII.

APud eos autores, qui ius ciuile profitentur, complura ac varia de antiquorum pœnis

pœnis traduntur: sed hoc loco illud adnotandum existimo, quod à Grammaticis seruatum est de Minore mulcta, & Maxima. In XII. igitur tabulis viginti quinque asses illi appellati sunt, ad quos mulcta hæc minor pertineret: quòd intulissent alicui iniuriam. Quocirca sic in XII. tabulis scriptum fuit.

Si qui iniuriam alteri faxit, XXV. æris pœnæ sunto,

Tunc enim singuli asses librarij erant, quos S. P. Q. R. in vsu haberet: vt à Sex. Cæcilio Iurisconsulto asseritur. Neque me latet, paulò mox hanc legẽ de vigintiquinque assibus fuisse abolitam, & à prætoribus reiectam, iudicesque additos recuperatores, qui dammum illatæ iniuriæ vindicarent: quod & Q. Labeo retulit, vt à Gellio in Atticis commentarijs scribitur. Notum præterea est, quòd & ijs literis signarentur, qui tali pœna essent damnati.

V. Q. A. L. C. S. hoc est,

Vigintiquinque asses legitimè condemnati sunto. De Maxima pœna, quæ summa & suprema dicitur, scriptum est à Pompeio in hunc modum: Mulctam maximam veteres illam vocarunt, quæ trium millium & XX. assium foret. si quidem nefas habitum est, quenquam pluris quàm XXX. bobus, & duabus ouibus mulctari. Existimabatur autem bos centussi-

Biblioteca de Galicia

bus, ouis decußibus : diuq; ſeruatum Romæ fuit per ipſas pecudes mulctare ciuium delicta : in quibus ferè ſuas diuitias habuerunt: vnde Pecunia, & Peculium nomen accepit: quod à Columella, & alijs pluribus traditur. Non me præterit hac in re diſſentire A. Gellium, qui minorem mulctam ad vnum ouem referri ſcribit, ex autoritate M. Varronis. Cùm citatus, inquit, eſt reus, neque reſpondit, excuſatus non eſt. Ego ei vnum ouem mulctam dico. De pœnis verò in hunc modum Cicero : Octo, inquit, pœnarum genera in legibus continentur : hoc eſt, Damnũ, Vincula, Verbera, Taliones, Ignominiæ, Exilia, Seruitutes, & Mors. De quibus anno ſuperiore, cùm Ferrariæ agerem in palatio Herculis Principis, permulta diſſerui cum Pandulpho Collenuccio Iuriſconſulto, qui ætate noſtra veteres omnes diſciplinas ſtudio ac diligentia ſingulari proſequitur.

Quàm ſit fugienda illa Reſpub. in qua magis diuitiæ, quàm virtus æſtimentur: & quòd homines prædiuites damnoſiores plerunque ſunt in ciuitatibus: ex verbis Ioannis Canaccij. CAP. IX.

PLato philoſophus, & alij veteres copioſè diſſerunt, quàm ſit calamitoſa illa ciuitas, atque deteſtabilis, in qua plures, & ampliores honores diuitijs habentur, quàm virtutibus,

bus. Quoniam vbi diuites atque locupletiores Imperium habent, cæteri omnes non modò contemnuntur, verùm etiam iniurijs plerunque, & iniquissimis contumelijs afficiuntur. Neque enim respiciunt ad æquitatem, & rationem, cũ tales in regenda ac moderanda ciuitate versantur: sed affectibus, atque libidine ducuntur. De quo egregiè nuper & grauissimè disputauit Ioãnes Canaccius, vir vnus (quantũ equidem video) præclaris moribus, & excellenti virtute insignis. Turpe est, inquit, cum in proba ciuitate, beneq; institutа magis conceditur improbis voluptatibus, quàm bonis disciplinis: sed illud in primis turpissimum, cũ viri sapientes, & qui optimis consilijs præstant, à diuitibus occupantur, ac velut facta conspiratione reijciuntur. Nam ingentes, nimiæq; diuitiæ in libera ciuitate luxum primò, & libidinẽ, deinde ambitionem atque scelera pariũt. Proinde, inquit, minimè imprudenter factum ab ijs est, qui decretis, atque legibus statuerunt in suis ciuitatibus, ne qui ciues maiorem censum, quàm par videretur, possideret. Quæ res quandiu obseruata est, optimè consultum existimatur humano generi: felicioresq; illæ vrbes, atque firmiores habitæ sunt, in quas auiditas ista cumulandæ pecuniæ tardius deuenerit. Sed in ciuitate, inquit: nostra si quem forte voluerus cognosse, primũ hoc rogamus, quãtũ habet, quã locuples

cuples est, quantis opibus ac diuitijs excellit: neminemq; existimamus habere prudentiam, aut præstare ingenio, præter hos homines, qui magnis largitionibus, & ambitiosis sumptibus sese ampliores, clarioresque demonstrant. Quò fit, vt quæstum pro innocentia, pro virtute diuitias, pro sapientia aurum habeant. Quod ab ipsis Academicis probatur, qui diuites plerunque malos esse referunt, atque alijs perniciosos: quoniam cæteros omnes despiciunt, cùm ad auri fulgorem, quasi ad veram felicitatem, omnem vitæ cursum atque industriam dirigunt. Hactenus Canaccius. Qua in re Euripidis poëtæ carmen adscribendum est, quod ab eo sub auari diuitis persona refertur:

Sine me vocari pessimum, vt diues vocer.
An diues, omnes quærimus: nemo, an bonus.
Nō quare, & vnde quid habeas tātū rogāt.
Vbiq; tantus quisq; quantum habuit, fuit.
Quod esse nobis turpe sit quæris, nihil.
An diues optem viuere, aut pauper mori.
Bene moritur, quisquis moritur dum lucrum facit.
Pecunia ingens generis humani bonum.
Cui non voluptas matris, aut blandæ potest
Par esse prolis: non sacer meritis parens.
Tam dulce si quid venit in vultu micat.
Meritò illa mores cælitum atque hominum vincet.

In

In his Euripides prædiuites homines, eorúmque insolentiam pereleganter accusat: quorum inanis gl ia est, & bracteata felicitas, vt ab Anneo Seneca scribitur.

De oraculis, quæ ederentur in Dodone ex sonitu peluium: & Ausonij poëtæ carmen expositum. CAPVT X.

IN epistola poëtæ Ausonij leguntur hi versus ad Paulinum:

Nec Dodonæi cessat tinnitus aheni,
Ad numerũ quoties radijs facientibus ictæ
Respondẽt dociles moderato verbere pelues.

In quibus Paulinum ipsum arguit nimij silentij cùm omnia quidem animantia, vt inquit, vocem aliquã emittant: nihilq; sit à natura constitutum, in quo non reddatur aliquis sonitus: vt in sistro, cymbalis, ac peluibus Dodonæis. Vt autẽ hoc intelligatur de sonitu Dodonæo, legendi sunt Græci autores, qui morem fuisse referunt, vti vaticinantes mulieres ad quercum agerent, quæ in vrbe Dodone erat. Qui verò ad capiendum responsum ingrederentur, protinus moueri quercum, ac sonitum fieri credebant. Ibi enim statua visebatur virgam ferens, qua Lebetem, qui propè aderat, percutiebat: ex quo responsum (vt inquit Ausonius) moderatis ictibus pelues referrẽt. Hinc à P. Vergilio Dodonæi lebetes dicuntur. Hoc ipsum de responsis Dodonæis per sonitum, cum

Biblioteca de Galicia

locis multis apud Græcos exponitur, tũ in Suidæ collectaneis. Ausonius pelues posuit quas Græci lebetes nominant. Quod iccirco notandũ fuit, quoniã epistola hæc Ausonij à paucissimis adhuc legitur. Neque sunt referenda hoc loco, quæ Herodotus atque alij scribũt de Dodonæis columbis & oraculis: quoniam nihil fere pertinent ad explicandum Ausonij carmen.

Quid sit Sonticus morbus, in legibus decemuiralibus, & causa sontica: quóue significatu accipiẽdum sit Sontire verbũ: ex sententia Iurisperitorum. CAP. XI.

SEx. Cæcilius & alij veteres Iurisperiti, qui XII. tabulas interpretati sunt, morbum sonticum, pro vehementi & grauissima ægritudine acceperunt. Cassius verò & Veuuleius (vt in Pandectis habetur) pro iusto & perpetuo Sonticũ exponunt, quod alicui rei gerendæ impedimẽto est: proindéque in militaribus decretis non tenebatur is esse iureiurando astrictus, qui sontico morbo esset affectus: quod apud autorem Cincium obseruauit Gellius. Iurabant enim milites, qui scripti erant, se affuturos pro voluntate & imperio Consulis, nisi harumce causa aliqua interueßisset, hoc est, funus familiare, feriæ denicales, Calendæq;, quæ non eius rei ergò in eum diem collatæ sint, quo is, eo die minus ibi esset, morbus sonticus, au-

spit

Biblioteca de Galicia

ſpiciumve, quod ſine piaculo præterire non liceret, ſacrificiúmue anniuerſarium. Quæ verba in Atticis noctibus deprauata ſunt. C. Plinius eſt autor, eius lapidis ſuffitu, qui Gagates vocatur, morbum ſonticum, & virginitatẽ deprehendi: definitumq; eſt à Marco iuris ciuilis legumq; peritiſſimo, qua in re ſontieus morbus à febri differat: cùm de habendis probandiſque iudicijs diſſerit. Apud poëtam Næuium Sõtica cauſa pro iuſta & legitima exponitur. Sonticam eſſe oportet cauſam, quamobrem perdas mulierem. Elius Stilo Sonticum exiſtimauit pro noxio dictum: vnde Sõtes homines pro obnoxijs & deperditis: & Sontire verbum (vt refert Pompeius) pro eo quod eſt, in aliqua re obeſſe, & grauiter nocere: quæ tamen vox propter nimiam antiquitatem, atque inſolentiam, magis intelligenda eſt, quàm vſurpanda: ne illorũ ingenia ſcribendo imitemur, qui ſuis ineptijs ac friuolis affectationibus impudentiſſimè contaminant Latinam eruditionem. De hoc ipſo morbo & Perottus Sipontinus diligenter multa perquiſiuit, ne videar eius viri ſtudium contempſiſſe, qui de omnibus quidem literis eſt optimè meritus.

De nominibus & poteſtate Deorũ apud veteres, & quàm inanis ac futilis eorum ſuperſtitio foret, copiosè enarratum.

CAP XII.

MAR

Biblioteca de Galicia

MAR. Varro, & alij veteres complura diligenter quæsierunt de Romanis Dijs, eorumq; potestate: nos hoc loco breui adnotatione quædam colligemus, vt facilius agnosci, atque intelligi possit, quàm friuola, inanis, ac prorsus ridicula fuerit eorum superstitio. Quæ res illorum studium atque commentarios instruere, & adiuuare poterit, qui de antiquorum sacris, atque ferijs scripserunt. Auspicabimur verò à Dijs maioribus, & quasi patricijs, deinceps ad alios accedemus. Iupiter, quem optimum maximum dixerunt, pro sublimi æthere acceptus est, in quo allegoricè potestatem totius luminis intellexerunt: vnde Lucretius: Diespiter, Elicius, Fulminator & Feretrius vocatur. Iuno pro aëre: quòd elemento superiori subditus sit: & ob id Lucinam, Fluonam, Hecaten, Matrem, & Dianam nominarunt. Neptunus ad maria, Pluto refertur ad terram: eósque cùm suis coniugibus Salacia, & Proserpina componunt. In focis domesticis Vesta collocatur: in fabrorum fornace Vulcanus, quibus ignea ferè atque feruidiora (vt inquit Varro) conueniunt: sic enim de Vesta in antiquis legibus:

Virgines Vestales ignem foci publici sempiternum custodiunto.

Publicè & priuatim modo ritúque agunto. In vaticinijs, atque diuinationibus Apollo, cuius numen atque egregia potestas, cum ab alijs

alijs multis, tum à Vectio Prætextato describitur in cœnis Macrobij. In emundis vendundisq; mercimonijs Mercurius: cuius festa ob id à mercatoribus magno cultu seruata sunt. In Iano rerum principia, ianitores, portitores, messores, ac terminatores. Eundem pontifices multis varijsq; nominibus vocant: vt Geminum, Bifrontem, Quadrifrontem, Patrem Quirinum, Iunonium, Clusium, & Patulcium. In Saliari carmine Deus deorum est appellatus. In Saturno tempora & ætates, cui surculorum insitiones, pomorúmque eductiones, & omnem agricolendi disciplinam tribuunt. Quo nomine à Romanis etiam Stercutius creditur dictus, vt est autor Prætextatus, quòd ab eo sit inuentum, vt in stercorandis agris fœcunditas adderetur. Martem & Bellonam ad conflictus, & cædes referunt: Cererem cùm suo Triptolemo, ad frumenta & segetes: Liberum, ad vites, & vineas, quem Bacchum, Bromium, Lenæumque dixerunt: Dianam ad lucos, nemora & syluas: Mineruam, seu Palladem ad ingenia, disciplinas & artes: quam Cicero etiam inter patrios deos & vrbis custodes locat. Hactenus de dijs maioribus. Plebei & ignobiles ingentem turbam, ac infinitũ quasi agmen conficiunt: vt nihil propè inueniatur in officijs vitæ mortalium, quin ad aliquod numen retulerint, qua in re probant, quàm ridiculæ vanitati honores

dicar

Biblioteca de Galicia

dicarent. In his quæ ad hominum vitam, educationesq; pertinent, Statilinum, Statanũ, Fabulinum, Vagitanum, Pilumnũ, Picumnũ, Cuninam, Leuanam, Ruminam, Edulinam, Potinam, Carnam, Stalinum, & Statanum, quòd eo tempore pueris præsideant, cum standi, & consistendi potestatem habent. Fabulinum & Vagitanum, cùm fandi ac vagiendi auspicium esset. Picumnum verò, & Pilumnum, prodijs coniugalibus acceperunt, in quorum æde Lectisternia parabãtur, vnde pueris vitæ præsidium foret, vt à M. Varrone traditum est. Cuninam, cùm in cunis agerent: Leuanã, cuius ope de terra subleuarentur: Ruminam, quòd exugentibus opem ferret: nam veteres Rumam pro mamma acceperunt, vnde Subrumi agni, ac Ficus ruminalis apud autores nobiles. Edulinam & Potinam, quòd escam, atque potiones exhibeant: Carnam, quod humanis vitalibus præesset, cui sacrum in Cælio monte constitutum fuit. Volupiam, quoque & Libentinam propter voluptates & libidines. Ad officia hominum, Adeonam, Albeonam, Volumam, & Volumnũ: Vacunã præterea, & Fessoniã propter vacantes & fessos: hinc apud Horatiũ Vacunæ templũ celebratur. Pelloniam, ad hostes depellendos: Agenoreã, Strenuã, & Stimulã, quòd excitarent ad agendum, & excitatos stimularent. Numeriam ad numeros. Quietam, ac

Mute

Murcidam, propter quietem, ac desidiam: quoniam Murcidos (vt ait Pomponius) pro desidiosis atque ignauis habuerunt: cuius templum in Auentino fuit, ob eamq; causam (vt creditur) Murcus est appellatus. Virtutem præterea, Mentem, Honorem, Fidem, Victoriam, Pietatem, Concordiam, pro dijs statuerunt: vt omittamus Metum, Spem, Pallorem, & Febrē, cuius ædes in palatio collocatur. In morbis Angeronam, Orbonam, Prosam, Postuertam: quibus templa constituerunt, vt quisque præcipuè illos coleret, quorum auxilio magis egeret: tanta est ambitiosæ mortalitatis socordia. Sentiam, dicendis sententijs: Consum, consilijs præposuerunt. Vnde Cōsualia feriæ publicæ, & in circo ludi ad Aram Cōsi, propter raptum Sabinarum. Carmenta ad fata, Camænæ ad cantus relatæ sunt, quarum ædes in regione Vrbis, quæ porta Capena dicitur. Vitunus, & Sentinus ad vitam & sensus. In coniugijs quoque, menstruis, partu, & funeribus deos confinxerunt: vt Syluanum, Deuerram, Intercidonem, Domiducum, Domitium, Mantuam, Virginensem, Subigum, Premam, Partundam, Populoniam, Menam, Tellumonem, Rusonem, Orcum, quem dixerūt etiam Quietalem, & Naniam, cuius templum fuit extra portam Viminalem. Ad frumenta, & segetes Segetia, Seia, Tutulina, Proserpina,

Nod

Biblioteca de Galicia

Nodina, Volutina, Patelena, Hostilina, Flora, Lactucina, Matura, Runcina, Rubigus, Auerrũcus, & Spinẽsis. Segetia, cui segetes ipsæ commendantur: Seia, quæ satis frumẽtis opitulatur, antequam è solo existant: Tutulina, collectis atque recõditis: Proserpina, germinantibus, Nodina, geniculis & nodis culmorum: Volutina, inuolucris illis folliculorum: Patelena, cùm patescunt folliculi, vt spica exeat: Hostilina, cùm segetes nouis aristis coæquantur, quoniam veteres Hostire & hostimentum dixerunt, pro exæquatione: Floram, Lactucinã, & Maturam vocarunt, quoniam florentibus, lactentibus, matureſcentibus præsidio sint. Rubigum, ne contrahant rubiginem, qua interdum segetes occupantur: Auerruncum, ne auerruncari vlla tempestate, aut conuelli possint. Rũcinam, ad runcationes: Spinensem, propter spinas, & vepres: Pomonam, propter poma, quam magna religione coluerũt: vnde Pomonales flamines, & sacra in pontificum commentarijs tradita. Fructesam propter fructus: Aesculanum, & Argentinũ, ab ære & argento. Quocirca diuus Augustinus (vt eorum dementiæ illuderet) Aurinum quoque adiecit.

Ad agros & latifundia Rurinam deam, ruri tribuerunt, Collinam collibus, Vallonianam vallibus, Iugatinum montium iugis, Forulum foribus, Cardam cardinibus, Limentinum, ac

Ter

Terminum liminibus & terminis: vnde Terminalia sacra in Pontificum fastis relata. Palem pastoribus, Empandam paganis, Arculum arculis & capsulis, Lauernam furunculis: qui ob id (vt puto) Lauerniones vocati sunt. Fornacem fornacibus: & hinc fornacalia sacra farris torrendi gratia. Prætereo Nundinam, Tanagream, Allocutium, Antenortam, Matutam, quæ Leucothea dicitur: Larundam, Monetam, Februum, Furinam, Fiduum, Larentiam, Mutinum, Alburnum & Inuum, seu Panem cum sua Canna: Maiestam quoque Cloaciniam, Veniliam & Maniam, in cuius honore compitalia essent constituta. Opem Consiuam, Bonum euentum, & Vertunnum, qui Hetruriæ Deus existimatur. In qua deorum colluuione agnoscuntur vrbani, rustici, militares, agrestes, patricij, opifices, funerarij, coniugales, desidiosi, ac frumentarij: de quibus accuratissimè scriptum est à Marco Varrone in libris de rebus diuinis, quos ad C. Cæsarem misit. Nos Augustinum in his Tertullianum, Lactantium, & alios complures secuti sumus, qui ex Varronis thesauris talia collegerunt. Sic autem scriptum fuit in antiquis legibus de ipsis dijs:

Ollos diuos, qui cœlestes semper habiti, colunto:

Olloſq; quos in cœlum merita vocarunt,

Biblioteca de Galicia

Herculem, Lilerum, Aesculapium, Castorem, Pollucem, Quirinum.

Et ollis, propter quæ datur homini ascensus in cælum,

Mentem, Virtutem, Pietatem, Fidem, Delubra sunto.

Nec vlla vitiorum sacra solennia faciunto.

Certásque, fruges, certasq; baccas publicè libanto.

Quæ veterum flagitia, ineptam superstitionem, autores nostri prolato crucis vexillo sic deiecerunt, vt ipsam quidem veritatem nõ tantum è Cleanthis puteo extraxerint, sed ad communem omnium vtilitatem super montem (vt inquit Hieronymus) collocarint.

Admonitio operis ad legentes.

ABsoluta sunt ad hunc diem volumina XXV. *de Honesta disciplina, in quibus plurimum diligentiæ ac laboris posui, quò magis prodessem cæteris, & meo nomini consulerem in tanta studiorum varietate. Et erũt hæc veluti subsidia quædam, quibus memoria reddi instructior possit, atque locupletior in his omnibus, quæ ad vsum viuendi, eruditionémque antiquitatis pertinere videantur. Neque posthac defuturi sumus incæpto operi, imandi bonorum ingenia: quoniam semel huic militiæ nomen dedimus, nec licet à signis decedere, aut aciem refugere. Edentur paulò mox*

Libri

libri complures, quos inscripsimus Epistolicarum responsionum. Nam docendo, vigilando, & scribendo magis cupio fatigari, quàm malo otio, atque voluptatibus (vt plerique faciunt) animum deprauare: in ea præsertim ciuitate, in qua ambitio pro virtute, pro modestia improbitas, eruditio pro desidia habetur. Satis autem mihi futurum est, si consenescere in hoc nostro otio licuerit: atque vitæ reliquum disponere, vt omnes facilè intelligant, nullo modo defuisse præclaro instituto bonarum disciplinarum, quod ab ineunte ætate suscepi. Et quoniam decet agentem negotium posteritatis potius bonis aduigilare, quàm multis: ea potissimum ratio me monuit, vt me ipsum probarem liberalibus studijs, quàm vt infami ambitu, prauisque artibus laudem nominis, atque gloriam quærerem. In his verò commentarijs legem hanc volumus esse adscriptam è sacris Eleusinis, quæ plebis inertiam, profanúmque vulgus longè arceat: quoniam paulò antè experti sumus, nihil magis obesse probis ingenijs atque optimis institutis, quàm rudem imperitorum audaciam, quæ nullo quidem indicio aut ratione, sed insciitia atque libidine omnia expendit. Quod sicubi de veterum dijs ac religione (vt fit) disserui, hoc ipsum propterea factum à nobis est, vt literis humanioribus consuleremus: neque renouare quicquam volu-

Biblioteca de Galicia

mus, aut eam superstitionem probare, vt quidam temere obloquuntur: quam non modò reiecì, vt vanam & improbam, sed vt nefariam, flagitiosamq; locis multis coargui.

Legis cautio contra ineptos criticos.

Quoi legent hosce libros, maturè censunto:
Profanum volgus & inscium, ne attrectato:
Omnesq; legulei, blenni, barbari procul sunto:
Qui aliter faxit, is ritè sacer esto.

Autoris protestatio.

ILlud in calce operis addimus, Petrum Crinitum in his commentarijs nihil omnino approbare, nisi quod à Romana tantùm ecclesia decretum, atque assertum fuerit: ne quis maiore audacia, quàm iudicio ad maledicendum, atque obtrectandum rapiatur.

FINIS.

PET

PETRI CRINITI LIBRORVM DE POETIS LATINIS, AD COSMVM PACCIVM PONT. ARRETINVM,

*

PRÆFATIO.

LIBROS *nostros de Poëtis Latinis, Cosme Pont. Arretine, tuo nomini dicare constitui: qua in re videri possum rectè atque ordine fecisse. Multa enim (vt constat) magno cultu, atq; veneratione haberi solent, quòd ipsis templis Deorum rite dicata sunt: quò magis tibi gratulandum est, qui summa eruditione, optimisq; disciplinis excellis. Ego verò permultum in hoc opere elaborauí, ea perquirendo, ac diligentissimè obseruando, quæ ad hanc historia partem componendam pertinerent. Neque mihi consilium fuit, ea omnia complecti, quæ infi-*

Biblioteca de Galicia

zitis penè autorum commentarijs traduntur. Multa de industria prætermisi: ne quis fortè diceret, plus laboris atque studij à me impensum in congerendis Poëtis, quàm prudentiæ ac iudicij in eligendis. Itaque fore quidem existimo hos libros minimè ingratos illis hominibus, qui rectè iudicare voluerint. Neque præterea obscurum est, quantum Romana ciuitas in hac studiorum facultate claruit, siquidem Rom. etiam principes, aucto Imperio, & rebus clarissimè gestis, magna cura, incredibiliq; diligentia Poeticam coluerunt. Octauius Aug. Germanicus Cæs. & alij plures, maxima animi voluptate in hoc disciplinarũ genere versati sunt. Nos à Liuio Andronico exorsi sumus, qui princeps apud Latinos habitus est in edendis carminibus, vt suo loco à nobis dicetur. Perueniumq; est vsque ad Theodosij Augusti tempora, quibus Romana omnis eruditio, simul cum maiestate Imperij cõminuta est, ingruẽtibus in Italiã varijs populis, atque barbaris nationibus. Idq; effecimus summa breuitate, imitati Suetonium Tranquillum, his maximè libris, quos de Grammaticis ac Rhetoribus Latinis composuit. Neque desunt exempla doctissimorum virorum, qui de Poëtis apud veteres diligenti studio scripserunt: vt apud Græcos, Zeno Cytieus, & Aristoteles: apud nos M. Varro, & Vulcatius Sedigitus: quorum opera interci

tercíderunt iniuria longæ vetustatis. Eorum nos industriam sequimur. Nihil enim potius aut antiquius mihi potest accidere, quàm versari in hoc liberali officio bonarum disciplinarum: etsi nullum omnino præmium constitutum est probis ingenijs, propter aduersam rerum fortunam, & iniquiorum temporum conditionem. Sed nolim videri cuiquam in hac parte nimis ambitiosus, referendis his malis, quæ nostra tempestate inualescunt. Laurentius Medices auunculus tuus, cùm illi relatum foret, in ciuitate sua nonnullos, qui præclaro ingenio: ac excellenti eruditione præstarent, primùm lætitia incredibili affectus est, deinde multum his pollicendo, claréque & munificè agendo effecit, vt & benè meriti viderentur de suis studijs, & acrius atque attentius in dies peruigilarent in prosequendis atque excolendis optimis disciplinis. Haud enim satis dignum existimauit, vir consilio & prudentia clarus, in ciuitate sua eos homines haberi sine vlla mercede, qui assiduam operam, singularemque industriam ponerent in tam præclaro opere indagandæ, atque illustrandæ antiquitatis. Sed his missis ad institutum nostrum accedamus, quo per suas ætates Poëtæ omnes Epici, Comici, Tragici, Lirici, & alij veteres transfigurantur, qui apud Latinos in hoc scribendi genere præstiterunt. Et sanè ni-

Biblioteca de Galicia

hil toto opere magis me ipsum variè agitauit, quàm diuersa scriptorum traditio de temporibus, cum magna ex parte inter se longè dissentiant. Tu interim munus hoc nostrum læto animo capias: monumentum quidem perpetuum summæ erga te beneuolentiæ. In quo testes habemus locupletissimos, cùm alios plures tũ Bernardum Oricellarium, cuius libri de vrbe Romana facilè probaturi sunt omnibus posteris, quantum illius diligentiæ iure optimo sit concedendum, in obseruandis atque illustrandis antiquorum monumentis. Bene Vale. Calend. Nouembris, M.D.V.

DE ORIGINE POETICAE.

QVi apud veteres Latinos paulò diligentius de Poëtice scripserunt, eiusq; originem accuratè inuestigarunt: serò asserunt à Romanis fuisse hanc facultatem receptam: annos post Vrbem conditam supra CCCC. *Ante id tempus Rom. ciues illi habebantur nobiliores atque egregij, qui strenuè pugnando acres forent, ac in rebus gerendis excellenti animo. & virtute præstarent. Sic laudabatur bonus ciuis Romæ, vt bonus colonus, & fortis miles. Quo nomine malebant ea tempestate ab alijs sua gesta describi, quàm ipsi aliorum narrare. Sed postea quàm Imperium ad id magnitudinis accessit, vt rebus clarissimè gestis, pacem sibi*

Biblioteca de Galicia

sibi & pacis commoda vindicassent, satis pulchrum atque magnificum putabant Reipubli. operam nauare, & in Senatu benè dicendo. reliquísque disciplinis percipiendis ingenium suum instruere. Atque vt de Poëtica rectius, ordineq; agatur, imperante adhuc Numa Pompilio, & occupata iam tum armis ciuitate, Saliorum carmina facta sunt, quæ sacerdotes Gradiui Martis ancilia gestantes cum tripudys & solemni saltatu certis diebus decantarent. Et hæc quidem inculta, atque incondita traduntur fuisse, pro temporum vetustate: proptereáque parum posteris seculis intellecta, Paulo mox cantica quædam, & deuotionum sacra vulgata sunt, laudésque Deorum immortalium versibus absolutæ: quibus more suo Deos comprecari consueuerunt, aut expiare Vrbem insigni aliquo prodigio. Neque tum Romæ defuerunt, qui vaticinys edi tis Popu. Romani fata describerent: vt Pub. Licinius Tegula, & Martius Vates, qui perobscuris versibus futuras clades Punicis bellis prænunciauit ac de ludis præterea Apollinaribus carmen reliquit, Per eadem fermè tempora (quantum ex antiquorum monumentis colligere possumus) primus omnium studium Poëtices in Vrbem intulit Liuius Andronicus, eámque facultatem illustrare cæpit edito carmine de bello Punico, vt suo loco prosequemur. Auxerunt hanc paulò

Biblioteca de Galicia

mox præcipuéque instruxerunt, Q. Ennius, M. Plautus, Næuius, Pacuuius, Accius & Lucilius: qui Græcorum disciplinas imitati, permultum excoluerunt suis saculis atque carminibus Romanorum ingenia. Qua in re illud minimè prætermittendum existimo, quod à M. Catone relatum est: Poëtas ipsos principio in Vrbe contemptui habitos, & crassatores vulgò appellatos, qui poëticæ studio tenerentur. Quocirca minimè mirari oportet, si M. Fuluio Nobiliori vitio datum est, quòd is consul cùm esset, in Aetoliam prouinciam Q. Ennium secũ duxisset, Factum tamen est, vt paulò mox principes etiam viri, aucto Imperio, & domi foriſque pace adepta, ad hanc studiorum partem animum inclinarint. Summóque cultu, atque honore illos habuerint, qui carmine absoluendo viderentur admodum excellere. Gratissimus fuit P. Scipioni Ennius, Mario L. Plotius, C. quoque Lælio viro clarissimo P. Terentius, qui adeò familiariter cum eo vixisse traditur, vt illius fabulæ à nonnullis Lælio adscribantur. Decius præterea Brutus, vir maximus, atque Imperator egregius, magnopere Poëtam Accium dilexit: nullam quidem ob aliam rationem, præterquam quòd in scribendo carmine præclaro ingenio foret. Hinc sacratum in ipsa Vrbe Musis templum, & magna religione habitum. Quoniam existimarent à Gratijs abesse

Biblioteca de Galicia

esse illorum ingenia, qui paulò doctiores haberentur, & quasi à Musarum sacris alieni. Sed hæc non debeo prosequi longiori oratione. Nam secreto opere de hac materia diligentissimè cõplura collegimus. Quæ suis & ipsa temporibus edentur ad communem studiosorum vtilitatem. Nunc ad eos Poëtas accedamus, qui scribendis carminibus præcipuè apud Latinos claruerunt.

COMMONITIO AD LEGENTEIS.

MOnendi sunt, qui legent hos libros, ne vitio mihi vertant, si cubi viderint literas nonnullas perperam locatas: id enim necessariò accidit, dum ipsi opifices (qui libros formis excudunt) in rem suam attentiores complura passim peruertunt, aut temerè postponunt: quò fit, vt quædam literæ egrediantur de præscripto aliæ interdum subsistant. Qui sunt paulò doctiores, perfacilè hæc cognoscunt, atque inter legendum corrigunt, in communem studiorum vtilitatem. Ad eos prouocamus, ne videamur decedere ab instituto nostro probandi mea studia illorum iudicijs, qui magis rationem ipsam sequuntur, quàm libidinem in censendis atque æstimandis ingenijs. Reliquum est, vt subijciamus eorum Poëtarum nomina, de quibus eginus per singula volumina.

LIBERO

Biblioteca de Galicia

LIBRORVM DE POETIS LATINIS CAPITA,

EX LIBRO PRIMO.

L. Liuius Andronicus Epicus. Caput I.
Q. Ennius Epicus. II.
M. Plautus Comicus. III.
Cn. Næuius Comicus. IIII.
M. Pacuuius Tragicus. V.
Statius Cæcilius Comicus. VI.
L. Accius Tragicus. VII.
Pub. Terentius Comicus. VIII.
C. Lucilius Satyricus. IX.
Sex. Turpilius Comicus. X.
Cn. Marius mimographus. XI.
L. Afranius Comicus. XII.
Fabius Dorsenus Comicus. XIII.
M. Attilius Tragicus. XIIII.
Q. Trabeas Comicus. XV.
Cn. Aquilius Comicus. XVI.
C. Licinius Imbrex Comicus. XVII.
Q. Nouius Comicus. XVIII.

EX LIBRO SECVNDO.

T. Lucretius Physicus. XIX.
L. Pomponius Bononiensis Comicus. XX.
Decius Laberius mimographus. XXI.
Q. Catullus epigrammatum scriptor. XXII.
Q. Atta Comicus. XXIII.

Pub.

Biblioteca de Galicia

Pub. Syrus mimographus. XXIIII.
Porcius Licinius epigr. XXV.
Valerius Aedituus epigr. XXVI.
C. Valerius Catullus. XXVII.
Cor. Licinius Caluus epigr. XXVIII.
Q. Cornificius epigr. XXIX.
C. Heluius Cinna. XXX.
M. Furius Bibaculus. XXXI.
Pub. Terentius Varro Atacinus. XXXII.
C. Ticida epigr. XXXIII.
Furius Antias. XXXIIII.
L. Iulius Calidius. XXXV.
Laurea Tullius. XXXVI.

EX LIBRO TERTIO.

Pub. Verg. Maro Heroicus. Cap. XXXVII.
Q. Horatius Flaccus, XXXVIII.
Titus Valgius. XXXIX.
Albius Tibullus Elegiacus. XL.
M. Mallius Mathemat. XLI.
Cn. Cornelius Gallus. XLII.
Sex. Aurelius Propertius Eleg. XLIII.
Lu. Varius Tragicus. XLIIII.
C. Mecœnas. XLV.
Pub. Ouidius Naso. XLVI.
Cassius Seuerus. XLVII.
Domitius Marsus epigr. XLVIII.
Iulius Montanus. XLIX.
C. Germanicus. L.
Au. Cæsius Bassus Lyricus. LI.

Aemel

Biblioteca de Galicia

Aemelius Macer Veronensis. LII.
C. Rabirius. LIII.
L. Anneus Seneca Tragicus. LIIII.
C. Asinius Gallus. LV.
A. Persius Satyricus. LVI.
Cor. Seuerus. LVII.
M. Anneus Lucanus. LVIII.
Pomponius Secundus Tragicus. LIX.
Cn. Getulicus epigr. LX.
Sextilius Hæna Hispanus. LXI.
Saleius Bassus Epicus. LXII.
Clodius Sabinus. LXIII.
C. Pedo Albinouanus. LXIIII.
Volcatius Sedigitus. LXV.

EX LIBRO QVARTO.

Pub. Statius Papinius Heroicus. Ca. LXVI.
Silius Italicus Heroicus. LXVII.
Val. Flaccus Setinus Heroicus. LXVIII.
Dec. Iunius Iuuenalis Satyricus. LXIX.
Arruntius Stella. LXX.
M. Val. Martialis epigr. LXXI.
Sentius Augur. epigr. LXXII.
Vestritius Spurina Lyricus. LXXIII.
Voconius Victor epig. LXXIIII.
L. Paulus Passienus Elegiacus. LXXV.
T. Annianus Po. Fescennin. LXXVI.
Marcus Marullus. LXXVII.
A. Serenus Lyricus. LXXVIII.
Verg. Romanus Comicus. LXXIX.

Festus

Biblioteca de Galicia

Festus Ruffus Auienus. LXXX.

EX LIB. QVINTO.

Alphius Auitus. Caput LXXXI.
Septimius Afer. LXXXII.
T. Calphurnius Siculus. LXXXIII.
Aurelius Olympius Nemesian⁹. LXXXIIII.
Maurus Terentianus. LXXXV.
Cl. Claudianus Alexandrinus. LXXXVI.
Dec. Ausonius Gallus. LXXXVII.
Damasus Hispanus. LXXXVIII.
Iuuencus Hispanus. LXXXIX.
Aurelius Prudentius Clemens. XC.
Pontius Paulinus. XCI.
Licentius Hipponensis. XCII.
Venantius Honorius Fortunatus. XCIII.
Faustus Gallus. XCIIII.
C. Sollius Sidonius Apollinaris. XCV.

PET.

Biblioteca de Galicia

PETRI CRINITI DE POETIS LATINIS LIBER PRIMVS.

* *
*

LIVIVS ANDRONICVS EPICVS CAP. I.

LVCIVS *Liuius cognomine Andronicus, Poëta Epicus habitus est: Romæ floruit post Vrbem conditam annis paulò supra quadringentis, quæ res probis autoribus confirmatur. In Annalibus enim, quos habemus à Græcis, plerunque annorum supputatio falsa est, & historiæ veritas corrupta. Marcus Cicero, & alij veteres, Liuium hunc referunt primum dedisse fabulas apud Latinos, eóque maximè tempore præstitisse, quo S. P. Q. R. pacem fecit cum Pœnis. Gellius autem scriptor nobilis, & in perscrutanda omni antiquitate diligens, de Liuio Andronico ad hunc modum tradit: quo loco annorum historiam contexit, L. Liuius poëta, inquit, fabulas primo in Vrbe Roma docere cœpit, Cor. Claudio Appij Cæci filio, &*

Marco

Biblioteca de Galicia

Marco Tuditano Coſs. poſt obitũ Sophoclis & Euripidis annis plus ferè centum & LX. Quod & M. Cicero, qui ad Brutum ſcribens, anno ante natum Ennium refert Liuium dediſſe fabulas. Porcius verò Licinius cùm de Poetica loquitur, eius ſtudium dicit Romæ cœptum bello Punico ſecundo. Quod ex his verſibus facilè colligitur, quos Horatius Flaccus imitatur:

Punico bello ſecundo Muſa pennato gradu
Intulit ſeſe bellicoſam in Romuli gentem feram.

Sed hæc ſatis hoc loco, ne fortè videamur nimium detineri in his repetendis. Idem Liuius domi ac foris primò docuit vtraque lingua, vt Suetonius tradit, non ſine magna commendatione ſui nominis. Nam vetuſtiſſimi illi erant ferè Semigræci, & Græcas diſciplinas, atque etiam Hetruſcas pari ſtudio diſcebant, quod ex veterum monumentis intelligitur. Laudatur Liuius, & eius carmen, cùm ab alijs multis, tum à Val. Maximo, & T. Liuio: qui copiosè ſcribunt, quantũ Romæ præſtiterit editis carminibus: quæ ter nouenæ virgines, data veſte per manus, per Vrbem euntes decantarunt, ad iram deorũ placandam. Prætereo de his fabulis referre, quas Liuius dicitur à Satyris tranſtuliſſe puerumq; ad canendum inſtruxiſſe ante tibicinem. Præcipuè verò commendatus eſt ab

Biblioteca de Galicia

antiquis Grammaticis Liuius in Odyssea, in Romanis annalibus: Etsi quidam temerè hæc referunt ad alterum Liuium, parum diligenter considerantes, quæ à Gellio, & Prisciano scribuntur. Diomedes quidem sic de Liuianis annalibus prodit: Epos, inquit, apud Latinos primus dignè scripsit Liuius is, qui gesta Romani Pop. duodeuiginti cõplexus est libros. Hi sunt appellati Annales Liuiani, quòd acta singulorum annorum continerent. Idem præterea Liuius composuit hymnos deorum, vt à Terentiano, & Liuio notatum est in Romana historia. Afferuntur hi versus Liuij ex hymno de Diana:

Et iam purpureo suras include cothurno:
Baltheus & reuocet volucres in pectore sinus:
Pressaq; iam grauida crepitent tibi terga pharetra:
Dirige odorifequos ad certa cubilia canes.

In his variatur carmen, ac sub heroico miuron apponitur: quocirca sic de Liuio Terentianus:

Liuius ille vetus Graio cognomine suæ
Inserit in omni versu puto tale docimen.
Præmisso heroo, subiungit namq; miuron:
Hymnũ quãdo chor⁹ festo canit ore Triuiæ.

Hæc sunt quæ de Liuio Andronico digna relatu existimauimus: de obitu eius nihil apud veteres legimus.

Q. EN

Q. ENNIVS. CAP. II.

QVint. Ennius Poëta Epicus, Tarenti natus traditur, vt est autor Eusebius, vt plerique volunt Rhudijs oppido Salentinorum: quòd à Mela Pomponio & alijs veteribus affirmatur, trãslatus in vrbem dicitur à Catone quæstore, deuicta Sardiniæ prouincia: qua tempestate missi sunt ab Athenienſibus legati ad Senatum pop. Rom. Diogenes Stoicus. Carneades Academicus, & Critolaus Peripateticus florente in scena Marco Plauto, & in ciuitate Marco Catone oratore clarissimo. Deinceps insequuti sunt Statius, Cæcilius, Pacuuius, Accius, & Publius Terentius. Dicitur fuisse Ennius ingenio acri, & eruditione multiplici, vt qui domi foriq; docuerit: & cum Græcã linguã, Oscámque & Latinã calleret: solitus est dicere, sibi esse tria corda. De quo multa scribuntur à Gellio in Atticis commentarijs. Si quis est, qui cognoscere velit, qualis, & quantus vir Q. Ennius fuerit, qua fide, modestia, comitate, ingenio, doctrina, cultu, probitate vixerit, legat illos versus ex annali septimo, quos Aelius Præconius non minus ad ipsum autorem Ennium existimauit referendos, quàm ad Seruiliũ Geminum. Neque defuerunt qui putarent Q. Ennium de seipso & ingenio suo talia scripsisse. Nos eò libentius carmen adscribemus, quoniam Gellius pari diligentia e-

ediſcendum aſſerebat, atque præcepta quædam. & optima decreta philoſophorum, de ratione & officijs rectè viuendi:

Hocce locutus vocat, quicũ benè ſæpe libẽter
Menſem ſermonesq; ſuos, rerúmque ſuarum
Comiter impertit: magna cum lapſa diei
Pars foret è ſummis rebus paruiſq; regundis:
Parte fuiſſet, de paruis, ſummisq; gerundis:
Conſilio, induſoro, lato, ſanctóque ſenatu.
Cui res audacter magnas, paruasq; iocumq;
Eloqueret: quæ tincta malis, & q̃ bona dicta
Enomeret: ſi quid vellet, tutoq; locaret.
Quò cùm multa volup, ac gaudia clãq; palãq;
Ingenium cui nulla malũ ſentẽtia ſuadet,
Vt faceret facinus: leuis haud ſimul haud malus, idem
Doctus, fidelis, ſuauis, homo, facundus, ſuoq;
Intentus, atq; beatus, ſcitus, ſecũda loquẽs in
Tempore cõmodus, & verborũ vir paucorũ.
Multa tenens antiqua ſepulta: & ſæpe vetuſtas
Quæ facit: & mores veteresq; nouosq; tenẽtẽ:
Multorum veterũ leges, diuumque hominũq;
Prudentẽ: qui multa loquíue, taceréue poſſit.
Hunc inter pugnas compellat Seruilius ſic.

In Auẽtino colle dicitur domũ habuiſſe prope ædẽ Tutullinæ deæ: adeoq; tenui victu, & parcis ſumptibus vixiſſe, vti contentus fuerit vnius ancillæ miniſterio. Inter amicos habuit

Marc

Biblioteca de Galicia

Marcum Catonem, C. Cethegum, & M. Nobiliorem, quem secutus traditur, cùm consul in Aetoliam proficisceretur. Scipioni Africano ita coniunctus, atque charissimus fuit, vt inter præcipua fidei, ac beneuolentiæ exempla, relatum hoc sit à veteribus. Composuit permulta opera vario & multiplici carmine. Nam præter celeberrimos libros annaliũ, Satyras etiam, comœdiásque, & tragœdias scripsit. Annales eius Q. Vargunteius inter antiquos Grammaticos nobilis, magna celebritate certis diebus exposuit. Octauius quoque Lampadio eosdem libros diligentissimè emendauit, vt in veterum commentarijs adnotatum est. Duodecimum annalem addidit, cùm septimum & sexagesimum annum ageret: vt est autor M. Varro. Satyrarum libros scripsit quadratis versibus, qui in magno pretio habiti sunt. Citatur præterea Ennius in his fabulis, hoc est, in Telepho, in Ambracia, Eumenidibus, Alcmeone, Andromacha, Thieste, Medea, quã ex Euripide in Latinũ conuertit. Item in Phœnice, in Telamone, Hecuba, Hectoris lustris, Achille Aristarchi & Pãcratiastis, in Epicharmo, in Ctesiphonte. Idem in Latinum sermonem transtulit Poëtam Euhemerum, qui de Dijs Græca oratione libros composuit: vt Cicero & alij veteres testantur. T. Lucretius eundem Ennium refert primum fuisse apud

Biblioteca de Galicia

Latinos, qui coronam sibi ex Helicone assumpsit, quo loco Pythagoræ sententiam repetit de animæ Metamorphosi:

Ennius vt noster cecinit: qui primus amæno
Detulit ex Helicone perenni fronde coronã,
Per gẽtes Italas hominum quæ clara clueret.

Silius Italicus Centurionem fuisse Enniũ tradit in bello contra Pœnos: ac præsenti animo rem gessisse: vt in his versibus declaratur:

Nota parum magni longo tradantur in æuo
Facta viri, & meritũ vati sacrem⁹ honorẽ.
Ennius antiqua Massapi ab origine Regis
Miscebat primas acies, Latiæq; superbum
Vitis adornabat dextrã decus, hispida tellus
Miserunt Calabri, Rhudiæ genuere vetustæ.
Nunc Rhudiæ solo memorabile nomẽ alũno.
Is prima in pugna, vates vt Thracius olim
Infestã bello quateret cùm Cynthius Argo:
Spicula dep sito Rhodopeia pectore torsit.
Spectandum sese non parua strage virorum.
Fecerat, & dextræ gliscebat cædibus ardor.

Quintilianus Poëtam Ennium summopere commendat, pariq; veneratione colendum atque adorandum statuit, qua sacros vetustate lucos, in quibus grandia & antiqua robora non tantam habent speciem, quantam religionem. Vixit ad extremam senectutem: cúmque morbo articulari teneretur, eo ingraescente, septuagenario maior in fata concessit. Sepultusq;

tusq; traditur vnà in monumento Cn. Scipionis, via Appia, intra primum ab Vrbe milliarium. Neq; desunt, qui dicant, ipsius Ennij ossa ex Ianiculo, fuisse in patriam translata. Fuit alter Ennius paulò posterior, in officio artis Grammaticæ nobilis: qui de metris scripsit, déque augurandi disciplina libros reliquit. Sed hoc dicemus commodius. Nunc illud carmen vulgatũ adijciemus de poëta Ennio, quod equidem subdubitassem ab eo fuisse compositum, nisi Marcus Cicero pluribus locis ab ipso Ennio editum affirmaret:

Aspicite ô ciues senis Ennij imaginis vultũ:
Hic vestrũ pinxit maxima facta patrũ.
Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu
Faxit. cur? volito viuus per ora virũm.

M. PLAVTVS. CAP. III.

MAr. Plautus patria Sarsinas fuit ex Vmbria: quod ipse de se insinuat in fabula Mostellaria, & alij veteres tradunt. Cõstat eum ijs temporibus Romæ vixisse, atque in scena præstitisse, quibus in ciuitate Publius Scipio Fuluius nobilior, & M. Cato excellẽtes habiti sunt. Ingenio perurbano fuit, & maximè festiuo: quòd cùm alia multa indicant, tum Comœdiæ ipsius plenæ iucunditatis, ac leporũ. Relata sunt ab A. Gellio cõplura in Atticis

Biblioteca de Galicia

noctibus de eruditione, & fabulis Plautinis, ex autoritate M. Varronis: qui Plautum ait, cùm erogasset omnem pecuniam in scenicis ornamẽtis, ad summam paupertatem fuisse redactum: eáque ratione in Vrbem rediisse, & operam pistori locasse, ad victum comparandum, his molis circumagendis quas trusatiles vocant: Hieronymus Manuales appellauit. Et cùm aliquandiu in pistrino versaretur, ibidem fabulas aliquot dicitur composuisse, Saturionem, & Addictũ. M. Varro in libro de Plautinis comœdijs verba hæc posuit, quæ adscribenda existimaui, vt à Gellio est obseruatum: Feruntur sub Plauti nomine comœdiæ circiter C. & XXX. sed homo eruditissimus Lælius XXV. duntaxat illius esse censuit. Neque dubium est, quin ista etiam, quæ à Plauto scripta non sunt, veterum Poëtarum fuerint, vt M. Accij, C. Plautij, à quo dictæ sunt Plautianæ fabulæ, nõ Plautinæ Cæterum cùm XXV. à veteribus connumerentur M. Plauti Comœdiæ: sciendum est præter illas XX. quæ à nostris Grammaticis consensu omnium pro Plautinis habentur, treis à Gellio nominari: hoc est, Boëthiam, Nerulariam, Fretum, Varro & Sex. Pompeius alias plures nuncupãt, vt Artemonem, Friuolariã, Phagonem, Cestrionem, atq; Astrabam, eásque inter Plautinas referunt. De Astraba tamen Gellius & Nonius dubit

dubitarunt. In fabulis suis sequutus est Græcos autores, maximè Demophilum, Philemonem, & Epicharmum Siculum, vt Horatius Flaccus testatur. Tantumq; scribendi elegantia & salibus visus est præstitisse, vt Epius Stolo affirmare non dubitauerit, Musas ipsas Plautino sermone fuisse locuturas, si Latinè loqui voluissent: quod à Fabio Quintiliano refertur. Quocirca Gellius censor optimus omnium scriptorum, appellat eundem Plautum parentem ac principem in omni Latina elegantia. Volcatius Sedigitus cùm de ordine Comicorũ scribit, post Cæcilium collocauit Plautum, cæterisq; omnibus prætulit. Nomen Plauti deductũ est à planitie pedum, vt est autor Sex. Pompeius: prius enim Marcus Plotus dicebatur. Hinc Semiplotia calceamenta dicta sunt, quibus in venationibus vterentur: sed hac de re suo loco dixim⁹. Obiisse traditur paucis annis post Quintum Ennium, Olympiade centesima XLV. Quantũ iacturæ factũ sit in eius obitu, testatus est idem Poeta his versibus de se compositis:

Postquam est morte captus Plautus
Comœdia luget, Scena est deserta.
Deinde risus, ludus, iocusq; & numeri
Innumeri simul omnes collacrymarunt.

CN. NAEVIVS. CAP. IIII.

CN. Næuius Poëta Comicus, illustris est habitus, Campanus fuit, vt à Gellio tradi-

Biblioteca de Galicia

tur in Atticis noctibus. Volcatius Sedigitus post Cæcilium & Plautũ constituit illi tertium locum. Neq; Licinio tantũ, verum etiam Attilio Terentio, atque Turpilio præposuit. Eo maximè tempore in scena dicitur præstitisse fabulis ad populum editis, quo Sp. Carbilius, cognomento Ruga, primus Romæ de amicorum sententia diuortium cum vxore fecit, quòd esset sterilis, iurauitq; apud censores, vxorem se liberûm quærendorum causa habere. Traditum est ab antiquis scriptoribus, Poëtã Næuiũ stipẽdia fecisse bellis Punicis, idq; ipsum testari Næuiũ eo carmine, quod à se scriptum est de bello Punico. Qua in re nec illud est omittendum, quòd cùm esset vnicum volumen Næuij, Octauius Lampadio, Grammaticus excellens, diuisit illud in VII. libros, vt alibi diligenter exposuimus. Prisci enim Grammatici consueuerunt pro iudicio suo, atque eruditione, omnium scriptorũ opera percensere, autoresque ipsos aut numero eximere, aut in ordinem redigere. Scripsit Næuius præter Punicum bellum Comœdias ac Tragœdias stylo in primis erudito & graui, vt veteres testantur. Comœdias aliquot exemplo Græcorum composuit probris, atque maledicẽtia plenas, in quibus Romanæ ciuitatis principes acriter est insectatus: vt qui Metellum consularẽ virũ, & P. Scipionẽ Africanũ maledictis suis onerauerit. Sic enim de Scipione:

Etiam

Etiam qui res magnas manu sæpe gessit gloriosè,
Cuius facta viua nunc vigent: qui apud gentes solus
Præstat: eum suus pater cum pallio vna ab amica abduxit.

Hinc factum est, vt Poëta Næuius in vincula conijceretur à Triumuiris, propter immoderatam verborum petulantiam, ac mordacitatem. Et cùm aliquandiu haberetur in custodijs, fabulas aliquot composuit. Paulò mox à Tribunis plebis è carcere exemptus est, ea conditione, vt delicta illa ac probra dilueret, quæ contra Romanos ciues suos fabulis inseruerat. De quo scribuntur complura in Atticis commentarijs. Qui de Næuij fabulis agunt, citant illũ in Alceste, in Aureolo, Lycurgo, Tripholo, Leonte, in Colace, Aegysthо, Tereo, & Zenone. Terẽtius Varro in libris de Latina lingua ad M. Tullium plures alias pro Næuianis cõmemorat, vt Esionam, Clastidium, Dolum, Demetrium, Persas, Lampadionem, Agedonem, Romulum, Stigmatiam. Ab hoc Næuio multa mutuatus est Pub. Verg. sicuti ab Ennio, Lucretio, Pacuuio & alijs: vt à Macrobio diligenti studio est obseruatum. Obijsse traditur Vticæ, cùm factione nobilium, præcipuéque Metelli, foret ex Vrbe eiectus. Nunc epigramma illud vulgatum referemus ab ipso

Næuio

Nævio de se compositum, in quo Campana superbia meritò ab antiquis culpata est:

Immortales, mortales si fas foret flere,
Flerent diuæ Camœnæ Nævium Poëtam.
Itaq; postquam est Orci traditus thesauro,
Obliti sunt Romæ Latina loquier lingua.

De Q. Nonio, qui Atellanarum scriptor fuit, suo loco dicemus: ne tam apertè decipiantur nostri Grammatici: cùm Nævium hunc, pro Nonio imperitè accipiant.

M. PACVVIVS. CAP. V.

MAr. Pacuuius in scribendis Tragœdijs nobilis, ijsdem fermè temporibus natus est, quibus Cato quæstorius, & Metellus clariores in vrbe habebantur. Quidam tradunt, illum fuisse ex Brundusio Calabriæ Vrbe. Nepos fuit Quinti Ennij, quod Eusebius ac Plinius referunt. Romæ vixit in summa claritate nominis. Commendatur maximè illius ingenium, & natiua quædam facilitas in capiendis liberalibus disciplinis. Neque defuit illi studium pingendi, quod & C. Plinius indicat, qui Pacuuij Poëtæ opera in magno honore à veteribus habita affirmat: eáque in primis, quæ in æde Herculis foro Boario perfecit. Quocirca clariorem fecit eam artem in Vrbe propter gloriã scenæ. Idem Pacuuius amplum ac sonorum dicendi genus secutus est, vt M. Varro testatur. Quod si durior alicubi, ac propè

Biblioteca de Galicia

pè horridus habitus est: id ipsum tamen non vitio illius, sed temporum adscribitur: nam Fabius Quintilianus aperte asserit, clarissimum fuisse Pacuuium grauitate sententiarum, verborum pondere, & autoritate personarum. In qua sententia & M. Cicero fuit: qui hunc ipsum ex cæteris omnib. in Tragœdia facilè præfert, carmenque ilius magnopere commendat. Grammatici Veteres permultum Pacuuio cõcesserunt, eiusque fabulas complures enumerãt, in quibus non mediocrem laudem acceperit: vt Peribeam, Hermionam, Atalantam, Ilionam, Antiopam, Teucrum, & Medeã. Citatur etiam in Chryse, in Nyptris, in Paulo, in Oreste, in Armorum iudicio. Ex qua fabula decantatum carmen traditur, cùm ludi celebrarentur in funere Iulij Cæsaris, quò magis commiseratio, & inuidia excitaretur contra ipsius interfectores. Horatius Flaccus in epistola ad Octauiũ Aug. cùm de antiquis Poëtis iudicium facit, in Pacuuio doctrinæ famam locauit. Paulò senior fuit L. Accio. & in ijsdem ædibus, vt refert M. Cicero, Pacuuius atque Accius fabulas docuerunt, paucis quidem annis interpositis. Vixit ad extremam senectutẽ, &, vt seruatum est in Latinis annalibus, cùm tædio senectutis, ac morbo detineretur, Tarentum se contulit, ibique propè nonagenarius obijt, neque sine maxima iactura studiorum,

diorum. Quantum modestia vitæ atque verecundia præstiterit, testis est hoc carmen, quod idem de se Pacuuius composuit:

Adolescens tametsi properas hoc te saxum rogat,
Vt se aspicias: dein, quod scriptum est, legas.
Hic sunt Poëtæ Pacuuij Marci sita ossa.
Hoc te volebam nescius ne esses. Vale.

STATIVS CAECILIVS. CAP. VI.

STatius Cæcilius in Gallia natus est, vt creditur, & ob id Mediolanensem quidã dixerunt, quod ex Annalibus Hieronymi acceperunt. Illud pro certo haberi debet, in vrbe Roma eum vixisse, & in scribendis Comœdijs principem locum tenuisse, vt à Volcatio Sedigito scriptum est, qui hunc ipsum Cæcilium, non Terentio tantùm, & Plauto sed reliquis omnibus Comicis sine controuersia præposuit. M. Cicero in eadem sententia est, tantumq; Statio Cæcilio concedit, vt illius quidem carmen, vt constat, summis laudibus prosequatur. Fabius Quintilianus qui in omni antiquitate publicus cẽsor est habitus, treis maximè nominat in describendis Comœdijs hoc est, M. Plautum, P. Terentium, & Statium Cæcilium. Vixit summa familiaritate cum Poëta Ennio, vt ab Eusebio refertur. Idem magnopere dilectus est à Terentio, qui tantum illius iudicio tribuit,

buit, vt ad Poëtam Cæcilium, ceu ad optimum censorem, suas fabulas referret: Enumerantur supra XXX. Statij Comœdiæ à Grammaticis veteribus. Neque togatas minore studio composuit, quàm palliatas, vnde singularem gratiam reportauit, iudicio eruditorum. In pretio magno fuerunt, Nauclerus Syracusæ, Pausimachus, Hyppobolymeus, Epiclerus, Cratinus, Plocius, Asotus, Ephæstiõ. Citatur etiã in Subditiuo, in Fallacia, in Andria, in Annalib⁹ in Fœneratore, in Venatorio, in Vmbris, in Obolo, in Synaristosis, quarum partem à Menandro, Philemone, & Apollodoro transtulit. Neque defuerunt antiqui Grammatici, qui hunc Cæcilium accusauerint, quòd in vertendis à Menandro fabulis parum aptè aut concinnè quædam transtulerit. Mortuus est sequenti anno post obitum Quinti Ennij, & iuxta Ianiculum sepultus traditur. De Statio rhethore qui Tolosanus fuit, suo loco scripsimus.

I. ACCIVS. CAP. VII.

LVcius Poëta inter principes Tragœdiarum scriptores relatus est à veteribus: Paulo iunior fuit M. Pacuuio: natus traditur parẽtibus libertinis, Marcino & Serano Coss. Quidam scribunt, fuisse illum relatum inter eos colonos, qui ex vrbe ad oppidum Pisaurum concesserunt: vbi fundum suum possedit, qui de ipsius nomine Accianus est appellatus. Ingenio

nio acri fuit, & in scribendis, fabulis miro studio incubuit. Notum est, quantum ei concesserit Decius Brutus, vir clarissimus, cùm voluerit Accianis versibus templorum ac monumentorum aditus exornari. Quod à M. Tullio refertur. Idem Accius cùm iter faceret in Asiam, diuertit ad Poëtam Pacuuium, qui Tarenti agebat, cúmque eo dies aliquot versatus est: & cùm Atreum suam illi recitaret, laudauit eam Pacuuius: & simul grandia inquit, & sonora esse, quæ ab Accio scripta forèt: videri tamen sibi duriuscula, & subacida. Quod Accius quidem minimè negauit: nec se inquit pœnitere, quoniam idem fermè ingenijs solet accidere quod pomis: quæ enim dura admodum, & acerba nascuntur, paulatim mitia fiunt, atque perfectiora redduntur. Quæ vieta gignuntur, & mollia, nunquam ad veram frugem & maturitatem perueniunt. Sic, inquit Accius, sentiendum est de hominum ingenijs. Statura fuit admodum breui, vt à C. Plinio refertur: etsi imaginem suam collocauit in æde Camænarum prægnandi forma. Citantur eiusdem Accij fabulæ complures à nostris Grammaticis: vt Phœnice, Menalippus, Epigoni, Medea, Alcmeon, Prometheus, Philoctetes, Atreus, Neoptolemus, M. Cicero præcipuè nominat Brutum, & Argonautas: in qua Tragœdia magnopere laudatū est illud carmen

de

de Argo naui, quod admirabundus pastor refert: nos illud subiiciemus, vt æstimari facilius possit de ingenio & doctrina poëtæ Accij:

Tanta moles labitur,
Fremebunda ex alto ingenti sonitu & strepitu
Præ se vndas voluit: vertices vi suscitat.
Ruit, prolapsa pelagus, respergit profluit,
Ita dum interruptum credas nimbũ voluier:
Dum quod sublime ventis expulsum rapier
Saxum, aut procellis, vel globosos turbines
Existere ictos vndis concursantibus.
Nisi quas terrestres pontus strages conciet:
Aut fortè Triton fuscina verrens specus
Subter radices penitus vndanti in freto
Molem ex profundo saxeam ad cælum eruit.

Fuit inter alios & Accius Labeo: cuius Iliadem Persius notauit, ceu imperitum opus, & insaniæ plenum. Sed alibi dicemus de Accio Labeone.

P. TERENTIVS. CAP. VIII.

PVb. Terentius Poëta comicus Carthaginiensis patria fuit: Romam perductus traditur cùm in tenera ætate foret. Quibus potissimum bellis id acciderit, parum compertum est: vt refert Aelius Donatus ex Fenestellæ commentarijs. Illud pro certo constat eum Romæ diligentia Terentij Lucani patroni accuratè institutum, atque liberalibus disciplinis

Biblioteca de Galicia

eruditum. Cumq; facilitate ingenij & elegantia in primis excelleret, breui consecutus est, vt à Terentio patrono esset manumissus. Per ea tempora in scena floruit, quibus præclari atque egregij ciues Romæ habiti sunt, M. Marcellus, P. Scipio, Quin. Fabius Maximus. Neque desunt autores, qui scribant, eundem Terentium maxima familiaritate vixisse cum Pub. Scipione, & Lælio: sæpéque solitum apud nobiliores ciuitatis cœnitare. Qua in re cum placere illis omni opera nititur, eorúmque commodis inseruire, ad summam inopiam traditur redactus. Statium præterea Cæcilium, qui scribendis Comœdijs excelluit, magna diligentia obseruauit, eique suas fabulas more veterum recitare cõsueuit. Comœdias sex composuit, easq; ab Apollodoro, & Menãdro Poëtis Græcis in sermonem Latinum conuertit, tanta sermonis elegantia & proprietate, vt eruditorum iudicio nihil perfectius aut absolutius in eo scribendi genere habitum sit apud Latinos. Secutus est in his Q. Ennium, M. Plautum & Mæuium, vt ipse testatur, cùm suis calumniatoribus respondet, Phormionem & Hecyram ab Apollodoro transtulit, reliquas quatuor à Menandro. Aelius Donatus qui complura diligentissimè de hoc poëta scribit, cùm alia multa in eo commendat tum præcipium dicit, quòd in scribendis fabulis ea arte vsus

Biblioteca de Galicia

te vsus est, vt & morem antiquum retinuerit, & ita temperauerit affectus, vt neq; ad tragicam magnitudinem intumescat, neque alyciatur ad histrionicam. Quod minimè factum est, inquit à Plauto, Afranio, & cæteris Comœdiarum scriptoribus, M. Cice. in epistola ad T. Atticum refert, P. Terentium esse optimum autorem Latinitatis, eiusque fabulas multos existimasse propter elegantiã sermonis à C. Lælio scriptas. Quam opinionem idem Terentius maximè scribitur cõfirmasse, quò magis calumniatores suos in odium traheret. Sic enim refert in Adelphis fabula sub persona prologi:

Quod illi maledictũ vehemens existimant,
Eã laudẽ duxit maximã. Cùm illis placet,
Qui vobis vniuersis & populo placent.
Quorum opera in bello, in otio, in negotio.
Suo quisque tempore vsus est sine superbia.

Horatius Flaccus veterũ Poetarũ optimus censor, in Cæcilio grauitatẽ, in Terentio artẽ constituit, qua inter cæteros Comicos mirificè excelluit. Quod & Quintilianus videtur sentire in libris ad Marcellum Victorium. Sed idẽ tamẽ, inquit, maiorem gratiã habuisset si intra trimetros constitisset. Ausonius quoque Vergiliũ Homero, Terentium Menandro adiungit, eiq; elegantiam Latini sermonis præcipuè, tribuit:

Tu quoq; qui Latium lecto sermone Terenti
Comis, & astricto percurris pulpita socco.

Biblioteca de Galicia

Traditum est illum post editas aliquot Roma fabulas in Græciam adnauigasse, quò facilius disciplinas Græcorum, atque instituta perciperet: plurimasq; fabulas à poëta Menandro in Latinum conuertisse, quæ facto naufragio perierunt. De obitu illius varia scribunt autores: in Arcadia obijsse cùm alij plures testantur, tum Poëta Ausonius, ob nimium dolorem amissarum fabularum, quas ipse naui præmiserat. De fortuna illius, atque effigie, referuntur complura ab Aelio Donato, qui eiusdem Comœdias magna eruditione interpretatus est. Argumenta illa quæ Terentianis fabulis præponuntur, à Sulpitio Apollinari illustri Grammatico composita sunt. Quod cum alijs multis argumentis, tum maximè antiquitate Codicum probari potest, in quibus nomen Sulpitij legitur.

C. LVCILIVS. CAP. IX.

CAius Lucilius Satyrarum scriptor, ijsdem propè temporibus floruit, quibus Poëta Accius, Sex. Turpilius, & Statius Cæcilius in Scena celebres habiti sunt. Ex Aruncæ Vrbe Ausoniæ fuit. Quocirca alumnus Aruncæ vocatus est à Iunio Iuuenale. Parentes habuit satis nobiles, &, vt quidam Grammatici tradunt, fuit auunculus Cnæo Pompeio. Illud in primis manifestum est, fuisse Lucilium ingenio acerrimo, & in scribendis versibus festiuo,

Biblioteca de Galicia

& vrbano. Amicos habuit Q. Attã Poëtam Comicum, Albutiũ Lapathum, Albinum, & C. Persium, qui est appellatus ab antiquis doctißimus: ad quos scribere etiam consueuit. Prater alios omnes Q. Philocomum familiarißimè coluit. Idem Lucilius primus cœpit scribere Satyras, maximéque insectatus est Rutilium Lupum, Carbonem, L. Tubulum, & alios plures, quorum scelera atque flagitia ferre æquo animo non poterat. Fuit enim Lucilius optimis moribus, & alienæ iniquitatis acerrimus accusator, Satyrarum libros supra XXX. composuit, vti Varro & alij Grammatici ostendunt. Neque me præterit, Q. Philocomum & Lælium Archelaum fuisse autores, vt Lucilij Satyræ in libros referrentur: quod à Suetonio scribitur. Nam Grammatici veteres censoria virgula vtebantur, Poëtarúmque carmẽ in libros diuidebant: vt C. Octauius Næuij opus de bello Punico, & Q. Vargũteius Ennianos annales. Horatius Flaccus Lutulentum vocat Lucilium, & in scribendis carminibus incompositum. Qua in re magni autores ab eo dissentiunt: præcipuè Gellius & Fab. Quintilianus, cuius verba subijciemus: Satyra quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus est Poëta Lucilius, qui quosdam ita deditos sibi habet amatores, vt eum non eiusdem modò operis autoribus, sed

Biblioteca de Galicia

omnibus Poëtis præferre non dubitent. Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dissentio, qui Lucilium fluere luculentè, & esse aliquid quod tollere possis, putat. Nam eruditio ineo mira, libertasq;, & acerbitas, & abūdè salis. Hadrianus Imperator eundem Lucilium omnibus Poëtis præponebat, qui Satyram scripsissent. Metrophanem seruum habuit, cuius fidem atque industriam in Satyris commendauit. Mortuus urbe Neapoli, eodem propè anno, quo Fuvius Bibaculus natalem habuit. Neque desunt autores qui scribant, publico sumere Lucilium fuisse elatum, cùm annū ætatis sextum & quadragesimum impleuisset.

SEX. TVRPILIVS. CAP. X.

SEx. Turpilius poëta Comicus ingenio facili fuit, & in fabulis componendis idoneo. Quocirca tantum nominis consecutus est in scena, vt comediæ Turpilianæ magnopere probatæ sint à Romanis. Inuenio apud veteres Grammaticos hunc Turpilium summa beneuolentia coniunctum fuisse Pub. Terentio: & in ijsdem ludis vtriusque fabulas aliquando actas. Volcatius Sedigitus septimum locum Turpilio dedit inter Comicos poëtas, cumq; Luscio, Q. Ennio, & Trabeæ præponit. Nonius Marcellus in commentarijs ad filium XV. Comœdias nominat, quæ à Turpilio compositæ fuerunt. In quibus legendis atque obseruandis

dilig

diligentiam suam, atque studium probat. Citatur in Philopatro, in Lemnis, in Demetrio, in Bethonibus, in Pedis, in Epiclero, in Canephoro, in Thrasilione, in Demiurgo, Hecyra, Pateruſa, & Leucadia. Lyndia quoque in magno pretio habita est à Grammaticis, in qua commendantur præcipuè hi senarij de officio & ratione viuendi:

Profectò vt quisque omnino contentus fuit,
Ita fortunatam vitam duxit minimè:
Vt Philosophi aiunt, isti quidus sat est.

Autores sunt qui referant hunc Turpilium ad extremam penè ætatem accessisse: & in Sinuessana vrbe perijsse ijsdem penè temporibus, quibus Furius Bibaculus natalem suum habuerit.

CN. MATIVS.
CAP. XI.

CN. Matius Mimorum scriptor, in magno pretio habitus est: quod cum alij plures, tum Au. Gellius testatur in Atticis commentarijs. Ingenio fuit eleganti & facili. In suis autem Mimis, quos vocauit Mimiambos, verba quædam noua, & perlepida posuit, vt Grämatici obseruarunt. Iulianus Rhetor, vir multiplici eruditione ornatus, permultum delectatus traditur Matianis fabulis propter natiuum quendam leporem, & mirificam illorum suauitatem, maximéque hos versus commendabat:

Biblioteca de Galicia

Iam tonsiles tapetes ebrij succo,
Quos concha purpura imbuens venenauit
Et item:
Sinu amicam reficere frigidam calido
Columbatim labra conserens labris.
Quapropter edulcare conuenit vitam,
Curasq; acerbas sensibus gubernare.

Idem Matius, vt quidam existimant, composuit opus hexametris versibus, quod inscriptum est de Iliade, Cuius carmen M. Varro, & alij Grammatici, quandoque citant. Sed hac in re parum consentiunt veteres autores. Maurus Terentianus de poëta Matio facit mentionem, eiusq; Mimiambos, vt elegantes, & lepidos celebrat. Fuit alter Matius Romanus ciuis, & amicitia Octauij Cæsaris nobilis, qui primus Tonsilia nemora excogitauit.

L. AFRANIVS. CAP. XII.

LVcius Afranius poëta Comicus, ijsdem fermè temporibus in vrbe claruit, quibus poëta Terentius, & Sext. Cæcilius in senium vergebant, Vulcatius Sedigitus Afranium hunc non numerat, inter cæteros Comicos. Operam suam, atque diligentiam, posuit in togatis fabulis componendis. Sunt enim Togatæ illæ, in quibus de rebus Romanis ageretur, à toga denominatæ. In his primum locum obtinuit, vt à veteribus traditur. Menandrum poëtam præcipuè imitatus est stylo & oratio-

nis

Biblioteca de Galicia

nis charactere: quocirca sic Horatius in Epistola ad Octauium Augustum:

Dicitur Afrani toga conuenisse Menandro.

Furius Albinus, & Macrobius asserunt, Afranium ipsum permulta à Menandro sumpsisse, quod ille etiam liberè, atque ingenuè professus est, vt omnibus apertè demonstraret, quàm modestus, atque ingenuus foret. Itaque in Compitalibus ita respondet suis obtrectatoribus:

Fateor, sumpsi non à Menandro modò,
Sed vt quisq; habuit, quod conueniret mihi:
Quod me non posse melius facere credidi.

Cùmque ingenio ac salibus excelleret, sententias passim, & acutè dicta, inserebat suis fabulis, non sine summa elegantia, & mirifica venustate: quod cùm alij multi, tum M. Cicero testatus est. Culpatur à Quintiliano Afranius, quòd in suis argumentis amores proprios paulò impudentius vulgauerit. In togatis, inquit, excellit Afranius, vtinámque nõ inquinasset argumenta puerorum fœdis amoribus, mores suos fassus. A. Gellius permultum Afranio tribuit, præcipuéque illud carmen putauit commendandum, in quo de Sapientia sic loquitur:

Vsus me genuit, mater peperit memoria,
Sophiam me Graij vocant, vos Sapientiam.

Citatur idem Afranius per sæpe ab antiquis

Biblioteca de Galicia

Grammaticis, in Augure, in Consobrinis, in Cinerario, in Compitalibus, in Brundusinis, in Fratribus, in Homine, in Incendio, in Emancipato, in Prodito, in Patella, in Rosa, in Suspecta, in Sella, in Talione. De obitu ipsius nihil apud veteres legimus.

FABIVS DORSENNVS.

CAPVT XIII.

FAbius Dorsennus inter comicos poëtas relatus est ab antiquis autoribus. Vulcatius Sedigitus, qui de poëtis scripsit, minimè hunc nominat: quocirca verisimile est, minus nobilem fuisse habitũ. Horatius in epistola ad Cesarem Augustum, cùm de Comœdia disserit, de Plauto, & Dorsenno agit, eorúmque fabulas satis celebres in scenis demonstrat. Sic enim de Dorsenno:

Quantum enim Dorsennus edacibus in parasitis,
Quàm non astricto percurrat pulpita socco:
Gestit enim nummum in loculos demittere: posthac
Securus cadat, an recto stet fabula talo.

Idem Dorsennus à Plinio commendatur in comœdia Acharistione: quo loco versiculos eius affert. Festus quoque Pompeius Afranium & Dorsennum poëtas citat, cùm de temeto loquitur, & hunc senarium lepidissimum Dorsenni repetit:

Sequi

Biblioteca de Galicia

Sequimini præminaciæ : sequimini temeti timor.

Hic est ille Fabius Dorsennus, quantum existimare possumus, in cuius monumento carmen hoc legebatur, vt ab Anneo Seneca relatum est.

Hospes resiste, & philosophiã Dorsenni lege.

In nummis præterea vetusti æris ita legitur, DORSEN.P. *cum effigie barbata, vt prisci illi Romani fuerunt.*

M. ATTILIVS. CAP. XIIII.

MAR. *Attilius in scribendis Tragœdijs nobilis habitus est, iudicio veterum. M. Cicero sæ eum nominat, vt poëtam durissimum, cùm scribit ad Pomponium Atticum. Fabius Quintilianus Pacuuium & Accium emunerauit, qui in Tragœdia excelluissent, de Attilio emisit. Constat hunc secutum fuisse poëtam Sophoclem, & aliquot fabulas in Latinum conuertisse, in quibus duriorem se præstitit, ob eámque rationem à Licinio, scriptor ferreus vocatus est, vt testatur M. Cicero, quo loco de Electra illius fabula meminit in libris de Finibus. Relatum præterea est, in ludis C. Cæsaris quædam fuisse cantata ad miserationem illius cædis contra interfectores, & ex Pacuuio in Armorum iudicio, & ex Attilio in Electra. Etsi apud Suetonium Grammatici nostri*

stri decepti sunt, cùm paulò imprudentius Accium pro Attilio scripserint. Vulcatius Sedigitus Attilium poëtam refert inter Comicos nobiles, eumq; post Næuium & Liciniũ collocat. Quidam existimarunt eundem esse: mihi parum adhuc compertum est, in tanta rerum obscuritate. De obitu, & moribus illius, nihil aliud legimus in veterum monumentis.

Q. TRABEAS. CAP. XV.

QVintus Trabeas Comœdiæ autor, in ordine Comicorum relatus est à Vulcatio Sedigito. Locum octauum obtinuit post Terentium, & Turpilium: de quibus commodè diximus. Mentio de hoc Trabea fit à veteribus Grammaticis, qui persæpe citant eius fabulas. M. Cicero minimè dubitauit commẽdare eundem Trabeam, carmẽnque illius locis multis referre. Sunt qui credant, in scribendis Togatis præstitisse, quod & Sext. Pompeius demonstrat. Laudantur à Marco Tullio ij versus Trabeæ, in quibus credulitas amantis, ac nimia gestientis animi lætitia, lepidè & eleganter describitur:

Lena delinita argento, nutum obseruabit meum,
Quid velim, quid studeam: adueniens digito impellam ianuam,
Fores patebunt: de improuiso Chrysis vbi me aspexerit,

Alacris

Alacris obuiam mihi veniet, complexum optans meum,
Mihi se dedet, fortunam ipsam anteibo fortunis meis.

Ex his colligitur: quantum salis, atque vrbanitatis in poeta Trabea fuerit.

CN. AQVILIVS. CAP. XVI.

CN. Aquilius in scribendis comœdys non ignobilis habitus est, vt testatur M. Varro. Vulcatius Sedigitus nullam mentionem de hoc Aquilio fecit in his versibus, qui de Comicis poëtis leguntur. Quocirca existimandum est, illius fabulas non fuisse in magno admodum pretio. Relatum est ab antiquis Grammaticis, Comœdias aliquot Plauti falsò inscriptas Aquilio, sicuti Boëthiam: de quo idem Varro parum constanter disserit. Si Gellij commentarios paulò diligentius legamus, illud affirmatur de Aquilio, eum pleraſque fabulas à Menandro poëta transtulisse: quod & Pub. Terentius, & Sex. Cæcilius facitarunt. De C. Aquilio diximus alibi, qui Iurisperitus fuit, ac formulas de dolo malo protulit: in quibus de simulatione, & dissimulatione ageretur.

C. LICINIVS IMBREX. CAPVT XVII.

CAius Licinius Imbrex inter eos poëtas refertur, qui Comœdias scripserunt. Vulcatius

Biblioteca de Galicia

catius Sedigitus, cùm de Comicis scriptoribus iudicium facit, Licinio multum tribuit, eúmque non Attilio tantùm, & Ennio præposuit, sed & Turpilio, atque Terentio. Grammatici veteres citant aliquot Licinij comœdias, vt Neuiam & Neæram. De qua Gellius in Atticis noctibus scribit: quo loco de comprecationibus deorum disserit. Afferuntur ij versus ex Neæra Licinij:

Nolo ego Neæram te vocent, sed Nerienem:
Cùm quidem Marti es in connubium data.

Sextus quoque Pompeius ita Licinium nominat, vt poëtam maximè lepidum, atque vrbanum. Hæc sunt ferè, quæ apud veteres de Poëta Licinio obseruabimus.

Q. NOVIVS. CAP. XVIII.

QVintus Nouius Atellanarum scriptor illustris est habitus. Grammatici veteres cùm de ipsius ingenio & doctrina disserunt, permultum illi concedunt. Aurelius Macrobius probatissimum poëtam hunc vocat inter eos autores, qui Atellanas fabulas ediderunt. Qua in re post Nouium, inquit Pomponius atq; Mommius præclari habentur. Scripsit Nouius complures Comœdias, in quibus magnopere probauit ingenium suum, atque vrbanitatem. Citatur maximè in his fabulis, hoc est, in Fullonico, in Exodio, in Virgine prægnãte, in Pedio, in Dotata, in Gallinaria, in Gem

in Geminis, in Partu. De quibus multa leguntur in commentarijs Nonij Marcelli, etsi pro Nouio quãdoque Cn. Næuium temerè scriptum scio. Hæc sunt quæ de poëta Nouio adnotauimus. De obitu illius nihil apud antiquos autores legimus.

PETRI CRINITI IN LIB. SECVNDVM DE POETIS LATINIS AD EVNDEM PRAEFATIO.

*

IN PRIORE *libro Cosme, Pontifex Arretine, eos poëtas complexi sumus, qui rudi adhuc Roma, & populo armis occupato, magna diligentia conati sunt ciues suos instruere, fabulisque editis, illorum ingenia delectare. Nam ciuitas ipsa Imperio aucto, & rebus prosperè gestis, incredibile dictu est, quàm breui tempore in omni studiorum genere profecerit. Adeo valet humanũ ingeniũ in præclaris etiam institutis, vbi illud valde intenderis. In hoc libro*

Biblioteca de Galicia

libro eos relaturi sumus, qui plura in dies ac meliora scripserunt apud Latinos: accedemusq; ad ætatem Pub. Vergilij ne quid desiderari ab aliquo possit in opere instituto percensendi veteres poëtas. Mihi enim diligenter intuenti studia hæc nostra, & antiquorum disciplinas animo repetenti, necessarium præcipuè videtur, ea in re maximè laborem ponere: qua me ipsum instruere possim, & aliorum præterea ingenia excitare: his præsertim temporibus, quibus paucissimi omnino reperiuntur, qui intenti admodum sint in hoc egregio ac liberali officio literarum. Tu verò ita accuratè ac diligenter, vt video, aduigilas, vt vnus propemodum in ciuitate nostra habearis, qui solerti animo consistas in præsidio bonarum literarum putesq; in tantis Italiæ fluctuantis periculis minimè deserendum tibi tam insigne atque optimum institutum, quo possis familiam tuam exemplis illustribus ornare, ac perpetuis tuarum vigiliarum monumentis immortalem statuere. Sed aliàs de re hac agetur commodius. Interim accedemus ad T. Lucretium, qui de rerum natura primus apud Latinos diligenter atque eruditè carmen composuit,

T. LVCRETIVS CHARVS.

CAP. XIX.

Titus

Biblioteca de Galicia

TItus Lucretius Charus ex Lucretiorum familia natus creditur, quæ Romæ insignis, & peruetusta habita est. Paulò antiquior fuit Terentio Varrone, & M. Tullio, vt quidam scripserunt, quod est obseruatum diligenter. Quoniam in his Annalibus, quos à Græcis habemus, complura falsò exposita sunt, contráque rationem temporum peruerse signata. Ingenio summo traditur fuisse, & in scribendis carminibus maximè excitato. Solebat enim per interualla temporum ad carmen accedere, non sine quodam animi furore, vt veteres autores ostendunt. Hinc illud Statij,

Et docti furor arduus Lucreti.

Fabius Quintilianus, cùm de Latinis poëtis disserit, Aemilium Marcum, & T. Lucretium præstare elegantia testatur: sed ipsius Lucretij carmen multum difficultatis retinere. Quæ res non modò propter ipsam materiam illi contigit, sed etiam propter egestatem linguæ, & rerum nouitatem: vt ille inquit. Scripsit libros sex de rerum natura, in quibus Epicuri doctrinam, & Empedoclem poëtam secutus est: cuius carmen atque ingenium vehementer admiratur. Neque desunt qui scribant, fuisse Lucretij opus à M. Tullio emendatum. Quocirca verisimile est, propter importunum obitum ab eo imperfectum atque inemendatum relictum. Q. frater plurimum

Biblioteca de Galicia

Lucretij versibus concessit, & in eius opere multum esse artis, atque ingenij refert: neque mirari oportere, si Lucretij versus duriores interdum videntur, & quasi orationi solutæ similes. Fuit hoc proprium illis temporibus: vt optimè testatur apud Macrobium Furius Albinus, cuius verba hæc sunt: Nemo debet antiquiores poetas ea ratione viliores putare, quòd eorum versus nobis scabri videntur. Ille enim stylus maximè tum placebat: diúque laborauit ætas secuta, vt magis huic meliori stylo acquiesceret. Itaque minimè defuerunt, Imperantibus etiam Vespasianis, qui Lucretium pro Vergilio, & Lucilium pro Horatio legerent. Idem Lucretius misit suum opus ad C. Mimium L. Memmij filium, qui à deuicta Achaia cognomen accepit, & vrbem Corinthum diruit, signisque ac tabulis spoliauit. Non me præterit alios in hoc dissentire. Sed hi quidem dum parum diligenter temporum rationem obseruant, facilè refelli possunt. Publius Vergilius non modò verba aliquot accepit ex Poematis Lucretij, sed locos penè integros ab eo transtulit: quod & Grãmatici veteres accuratè notarunt. De hoc autem Lucretij opere illud à Publio Ouidio scribitur:

Carmina sublimis tum sunt peritura Lucretij,
Exitio terras cùm dabit vna dies.

Perit

Biblioteca de Galicia

Periit ætate integra, cùm paucos annos supra XL. *impleuisse. Eusebius tradit, tanto eum furore percitum fuisse assumpto amatorio poculo, vt propria manu se interfecerit. Quo tempore (vt quidam testantur) P. Vergilius virilem togam assumpsit, Cn. Pompeio & M. Licinio Crasso iterum Coss. inter alios veteres nominatur Lucretius Poeta Comicus, vt à Fulgentio relatum est in commentario de priscis verbis.*

L. POMPONIVS BONONIENSIS. CAP. XX.

LVcius Pomponius Atellanarum scriptor, fuit eadem fere temporibus in Vrbe præstitit, quibus Laberius, Publius, & Iulius Calidius, vt in Latinis Annalibus relatum est. Eusebius, & alij, Bononiensem hunc faciunt. Ingenio perurbano dicitur fuisse, & in notandis hominum moribus maximè festiuo. Sunt enim Atellanæ fabulæ ab Atella vrbe appellatæ, in quibus Poëtæ veteres solebant varios iocos atq; sales vernili quadam dicacitate admittere. De his Pomponij Atellanis M. Cicero, & Annæus Seneca pluribus locis meminerunt, ingeniúmque Pomponij vehementer commendat. Nonius Marcellus magna diligentia obseruauit has Pomponij fabulas: quod ipsum colligitur ex illius commentarijs in qui-

Biblioteca de Galicia

bus supra triginta eius Comœdias nominat. Citatur Pomponius sæpe ab antiquis Grammaticis, in Aleonibus, in Prostibulo, in Pannuceatis, in nuptijs, in Porcaria, in Priuigno, in Piscatoribus, in Ergastulo, in Patruo, in Asina, in Rustico, in Dotata, in Decuma Fullonis, in Præcone posteriore, in Bucone, in Macchis geminis, in Verre ægroto, in Pistore, in Syris, in Medico, in Maiali, in Sarcularia, in Augure, in Petitore, in Annulo posteriore, in Præfecto, in Arista, in Hirnea, in Porcetra. Itidem in Marsupio, in Aedituno, in Auctorato, in Satyra, & in Gallis transalpinis Gellius præterea, & Prisianus de Atellanis Pomponij sæpe agunt, pluresq; versiculos afferunt: ex quibus intelligi potest, quantum præstiterit gratia & salibus. De Pomponio Secundo, qui fuit scriptor Tragœdiarum, & clarissimus ciuis, suo loco dicemus.

DECIVS LABERIVS.

CAP. XXI.

DEcius Laberius eques Romanus fuit, & in secunda dignitate, quandiu vixit, se continuit. Studium atque operam posuit in scribendis Mimis: qua in re non mediocrem laudem consecutus est iudicio M. Tullij, & aliorum. Moribus præclaris, & ingenio vrbano fuit. Libertate tanta in accusandis vitijs, vt libertatis nomen excederet. Quo nomine C. Cæsar

sar magnopere commotus est, neque prædicare destitit, acceptiores sibi esse Publij Mimos, quàm Laberij. Traditum est à Sulpitio Apollinare, & Gellio in Atticis commentarijs, Laberium ipsum in suis fabulis quæpiam posuisse paulò duriora, ac minus Latina, & ob id à quibusdam Criticis in ordinem coactum. Sed Macrobius & Annæus Seneca plurimum Laberio concedunt: quòd in eius Mimis non minus sententiarum, quàm lepiditatis foret. Quod ipsum testari possent ea carmina, quæ à nostris Grammaticis referuntur. Nonius Marcellus, & alij veteres maxima diligentia Poëtam Laberium obseruarunt, eúmque citant sæpissime in his Mimis: hoc est, in Virgine, in Gemellis, in Necromantia, in Compitalibus, in Lacu Auerno, in Aquis calidis, in Coloratore, in Catulario, in Sororibus, in Tusco, in Cropio, in Nuptijs, in Gallis, in Cacomenone, in Saturnalibus, in Alexandrea, in Ephebo. Idem Laberius Mimos suos egit in maxima celebritate, donatusq; amplissimis præmijs, ac iure sedendi in quatuordecim gradibus. Proindéque factus nobilior, aucta dignitate, rogatus est à C. Cæsare, & perhumaniter inuitatus, vt in scenam prodire vellet, & Mimos ipse ageret, quos tum assiduè componebat. Qua in re Laberius necessariò se coactum respondit, nihil tanto viro denegare, cui & ipsi dij omnia

Biblioteca de Galicia

tribuissent. Sed hoc indicari melius poterit ex ipsis Laberij versibus, quos in fabulæ prologo inseruit. Nos hoc loco illos adijciemus, vt facilius æstimari possit, quantum iacturæ fecimus in Laberianis Mimis:

Necessitas, cuius cursus transuersi impetum
Voluerunt multi effugere, pauci potuerunt:
Quò me detrusit penè extremis sensibus?
Quem nulla ambitio, nulla vnquam largitio,
Nullus timor, vis nulla, nulla autoritas
Mouere potuit in iuuenta de statu?
Ecce in senecta vt facilè labefecit loco
Viri excellentis mente clemente edicta
Submissa placidè blandiloquens oratio.
Etenim ipsi Dij negare cui nil potuerunt:
Hominem me negare quis posset pati?
Ergo bis trigenis annis actis sine nota
Eques Romanus lare egressus meo, domum
Reuertar Mimus? nimirum hoc die
Vno plus vixi, mihi quàm viuendum fuit.
Fortuna immoderata in bono æquè atque in malo,
Si tibi erat libitum literarum laudibus
Floris cacumen nostræ famæ frangere:
Cur cũ vigebam membris præuiridantibus,
Satis facere populo, & tali cum poterã viro.
Non flexibilem me concuruasti, vt carperes?
Nunc me deijcis quo? quid ad scenam affero?

Dec

Decorem formæ, an dignitatem corporis?
Animi virtutem, an vocis iocundæ sonum?
Vt hedera serpens vires arboreas necat:
Ita vetustas amplexu annorum necat.
Sepulchris similis nihil nisi nomen retineo.

Qui versus à Laberio ipso sub persona Syri pronuntiati sunt. Cúmque inter agendum quasi casus, ab hero, exclamaret: iniecit hunc Senarium:

Porrò Quirites libertatem perdidimus.

Et paulò post adiecit:

Necesse est multos timeat, quem multi timent.

In quo notari Cæsarem populus Romanus existimauit, coniectis in eum oculis. Hinc Cæsar palmam transtulit ad Poëtam Publium, qui in eadem scena mimum agebat: Laberium verò donauit, annulo aureo, quingentis H S. additis. Tum Laberius perspecto ingenio Cæsaris, in sequenti commissione interiecit hos versus:

Non possunt primi esse omnes omni tempore.
Summum ad gradum cùm claritatis veneris,
Consistes ægrè: citiusq; quàm ascendas, decidas.
Cecidi ego: cadet qui sequitur: laus est publica,

Ad extremam senectutem accessit, corpore valido, & sensibus integris. De obitu nihil hactenus legimus.

Biblioteca de Galicia

Q. CATVLVS. CAP. XXII.

QVintus Catulus ex Catulorum familia illustri natus, ingenio præclaro fuit, & ad carmen faciendum mirè accommodato. Dilectus maximè est à C. Cotta, & L. Crasso propter elegantiam ingenij, & morum suauitatem. Idem Catulus tam venustè atque egregiè lusit epigrammata, vt ab antiquis autoribus relatū sit: Nihil apud Latinos aut Græcos legi posse mundius, pressius, aut venustius. Q. Catuli epigrammatis. Traditum est fuisse illum facili animo, & procliui ad amores, ac delicias. Itaque Roscium Gallum præcipuè dilexit: qui tum adolescens eleganti forma, & indole optima florebat: etsi oculos peruersos habuit, vt M. Cicero, & Diomedes Grammaticus testātur. Epigramma autem lepidissimum Q. Catuli celebratum est à Marco Tullio de forma Roscij, quod apponemus:

Constiteram exorientem auroram fortè salutans,
Cùm subitò à læua Roscius exoritur.
Pace mihi liceat cælestes dicere vestra,
Mortalis visus pulchrior esse Deo.

Laudatur & illud maximis laudibus, quod ad Theotimum scribit, vt relatum est in commentarijs Atticis:

Aufugit mi animus: credo, vt solet, ad Theotimum

Deue

Biblioteca de Galicia

Deuenit: sic est, perfugium illud habet.
Quid si non interdixem: ne illum fugitiuum
Mitteret ad se intrò, sed magis eiceret?
Ibimus quæsitum: verum ne ipsi teneamur
Formido: quid agam? da Venus consilium.

Hic est ille Q. Catulus, qui cum Mario cõsule familiariter vixit, & à Marco Tullio magnopere laudatus est, quòd Archiam Licinium, & amare, & probare posset. De Q. Catulo viro Censorio, qui dedicauit Capitolium, dicetur à nobis commodius.

Q. ATTA. CAP. XXIII.

QVintius Atta Togatarũ scriptor habitus est: & in his componendis magnopere à quibusdam commendatur. Sunt qui referant eundem Romæ versatum his temporibus fuisse, quibus Pomponius Bononiensis in scena floruit: & Plotius Gallus in tradendis præceptis rhetorices præstitit. Horatius Flaccus in ea epistola, qua loquitur de Latinis Poëtis, videtur Attæ fabulas notare indignásque existimare, vt à Romanis ciuibus tanto studio, atque attentione audirentur:

Rectè nécne crocum, floréſque perambulet Attæ
Fabula, si dubitem, clamant periisse pudorem
Cuncti penè patres: ea cum reprehendere coner,

Biblioteca de Galicia

Quæ grauis Aesopus, quæ doctus Roscius egit.

Citantur sæpè à Latinis Grammaticis comœdiæ Q. Attæ: Quocirca verisimile est in magno pretio illas fuisse habitas. Gellius quidē & alij citant eum in Conciliatore, in Aedilibus, in Tirone proficiscente. Traditum est cognomen Attæ illis esse impositum, qui eo vitio pedum laborant, vt videantur magis inniti plantis, quàm liberè ambulare. Isidorus nominat Attam in Satyris, quo loco de cereis & graphijs differit. Sed parum mihi compertum, an ad hūc ipsum referri oporteat. Seruatum est in Latinis Annalibus, Attam Romæ peruisse, & in via Prænestina sepultum, secundo ab vrbe miliario.

PVBLIVS SYRVS. CAP. XXIII.

PVblius natione Syrus in scribendis Mimis operam posuit, ac in magno pretio his temporibus habitus est, quibus M. Cicero, & Nigidius Figulus perierunt, vt in Latinis Annalibus notatum. Idem Publius (vt scribit Macrobius) cùm puer deduceretur ad patronum domum, facilè illum promeruit, cùm gratia, & decore formæ, tum salibus, atque ingenio. Quibus rationibus factum est, vt à domino manumissus esset, & maiori diligentia quàm antea disciplinis liberalibus eruditus breuique tanto profecit, vt in fabulis componendis magnam

Biblioteca de Galicia

gnam nominis celebritatem sit adeptus. Referuntur ab Auieno dicteria quædam Publij, in quibus mira festiuitas, atque incredibilis comitas apparet. Iulius Cæsar palam professus est, sibi acceptiores fuisse Publij Mimos, quàm Laberij propter sententiarum grauitatem atque singularem elegantiam. Quocirca prælatus illi est: & in scena victor pronuntiatus. Cassius quoque Seuerus tantum concedebat Publianis Mimis, vt eius carmen disertissimũ vocaret. Neque illud omittendum est, quòd idẽ Publius in ludis Cæsaris omnes illos longè superauit: qui carmen in scenam attulerint, in quorum numero Dec. Laberius fuit. Nos hoc loco versiculos aliquot referemus ex illius Mimis, qui ab antiquis autoribus in summo pretio habiti sunt, & perinde accepti, ac sententiæ quædam ex intimis philosophiæ adytis: quòd ad vitæ officia, morúmque probitatem maximè pertinere videantur:

Tam deest auaro quod habet, quàm quod non habet.

Desunt luxuriæ multa, auaritiæ omnia.

O vita misero longa felicibus brevis!

Pars beneficij est, quod petitur, si belle neges.

Beneficium dando accepit, qui digno dedit.

Cui plꝰ licet, quã par est, plus vult quã licet.

Alienum est omne, quicquid optãdo venit.

Fer

Feras, non culpes, quod vitari non potest.
Furor fit læsa sæpius patientia.
Malum consilium est, quod vitari nõ potest.
Nimium altercando veritas amittitur.
Numquam periculum sine periculo vincitur.
Comes facundus in via pro vehiculo est.
Hæredis fletus sub persona risus est.
Ita amicum habeas, posse vt hunc fieri inimicum putes.
Improbè Neptunum accusat, qui iterũ naufragium facit.
Veterem ferendo iniuriam, inuitas nouam.

De obitu ipsius Publij nihil apud veteres legimus.

PORCIVS LICINIVS CAP. XXV.

Porcius Licinius cùm ex Liciniorum familia nobili ortus vir clarus habitus est, tum ingenio facili & eleganti, præsertim in componendis Epigrammatis Iulianus rhetor (qui Hadriani principis temporibus vixit) Licinij carmen magnis laudibus extollit, adèo vt hunc ipsum præferre non dubitauerit: Poëtis omnibus Græcis. Quod in Atticis commentarijs obseruatũ à Gellio est, quo loco Val. Aeditui, Q. Catuli, & Porcij Licinij carmen recẽsuit. Afferuntur Eiusdem Licinij versus complures à nostris Grammaticis, ex quibus probari potest, quàm eleganter atq; egregiè Poëta

te officium absoluerit. Nos hoc loco adiciemus epigramma illud elegantissimum, in quo suos calores, atque animi æstus venustissimè expressit.

Custodes ouium, teneræq; propaginis agnûm,
Quæritis ignem? ite huc: quæritis? ignis homo est.
Si digito attigero, incendam syluam simul omnem:
Omne pecus flãma est, omnia quæ video.

Sunt qui credant eundem Licinium scripsisse annales octonarijs versibus: sed hoc non satis mihi compertum est. Illud pro certo haberi debet, Marcum Licinii fuisse autorẽ annalium Romanorum, de quo dicturi sumus commodius.

VALER. AEDIT. CAP. XXVI.

VAlerius Aedituus in scribendis epigrãmatis Poëta insignis habitus est, maximéque aptus ad exprimendas Veneres, ac delicias. In quo numero à grammaticis nostris relati præcipuè sunt, Quintus Catulus, Porcius Licinius, & Val. Catulus. Magnopere commẽdatur Aedituus ab Au. Gel. tãtúmque illius carmini concessit, vt affirmare ausus sit, nihil se legisse vel apud Græcos Poëtas venustius, aut suauius: qui videri solent cæteris omnibus in hoc genere scribendi gratiores atque elegantiores. Sed est adiciendum carmen Val. Aedituí,

tui, quò facilius possint de hoc statuere, qui hæc legerint. Sic igitur ad Pamphilam:

Dicere cũ conor curã tibi Pamphila cordi,
Quid mi abs te quæram? membra labra abeunt.
Per pectus miserum manat subitò mihi sudor.
Si tacitus subidus, duplo ideo pereo.

Neque illud prætermittam ad puerum Philetotem, in quo suauior atque ad ignem profluentior apparet:

Quid faculam præfers Phileros, qua nil opus nobis?
Ibimus, hic lucet pectore flamma satis.
Istam nõ potis est vis sæua extinguere venti,
Aut imber cælo candidus præcipitãs.
At contrà hunc ignem Veneris, si non Venus ipsa,
Nulla est quæ possit vis alia opprimere.

Laudatur idem Aedituus, cùm ab alijs multis, tum à M. Varrone, qui eius versiculos alicubi citauit. De moribus autem & vita ipsius nihil aliud legimus.

C. VALERIVS CATVLLVS.

CAPVT XXVII.

CAius Valerius Catullus Veronæ natus est, quo tempore Terentius Varro in Vrbe clarnit. Quidam Crispum Sallustium Catullo

tullo supparem faciunt. A. Catulli autem natalibus ad Pub. Vergilium paulò minus quàm duodeginti anni connumerantur, ſt quorundã annales ſequimur. Quando & illud pro comperto habetur, carmen de paſſere Leſbiæ ad Vergilium fuiſſe miſſum:

Sic forſan tener auſus eſt Catullus
Magno mittere paſſerem Maroni.

Cæterùm non humili loco, aut obſcuro natus eſt, ſiquidem eius parẽs, autore Suetonio, Iulij Cæſaris hoſpitio familiariter vſus eſt. Val. autem Catullus primò traditur à Mallio Romam deductus, cùm adhuc in tenera ætate ageret, Paulò mox ingenij facilitate, & doctrina adeò Romæ acceptus, atque ciuibus gratus fuit, vt Marci Tullij patrocinium meruerit: quod ipſum elegãti epigrammate ingenuè teſtatus eſt: quo gratias Ciceroni patrono egit:

Diſertiſsime Romuli nepotum
Quot ſunt, quótque fuere Marce Tulli,
Quótque poſt alijs erunt in annis,
Gratias tibi maximas Catullus
Agit peſsimus omnium poëta:
Tantò peſsimus omnium Poeta:
Quantò tu optimus omnium patronus.

Mallium verò & eius nuptias magno ſtudio celebrauit, cùm quo ſe excuſat parum ſibi licere veteres amores (vt antea) decantare, quoniam fratrẽ amiſerit: Ex cuius interitu ſtudiũ

inq

inquit ſuum ſcribendi carminis ſe abieciſſe. Sic enim ad Mallium:

Sed tibi ne mea ſint ignota incõmoda Malli
Neu me odiſſe putes hoſpitis officium:
Accipe quàm merſer fortunæ fluctibus ipſe,
Ne amplius à miſero dona beata petas.
Tempore quo primùm veſtis mihi tradita pura eſt,
Iucundum cùm ætas florida ver ageret:
Multa ſatis luſi, non eſt dea neſcia noſtri,
Quæ dulcem curis miſcet amaritiem.
Sed totum hoc ſtudium luctu fraterna mihi mors
Abſtulit: heu miſero frater adẽpte mihi.
Tu mea, tu moriens fregiſti commoda frater:
Tecũ vna tota eſt noſtra ſepulta domus.

Inter cæteros amicos Furium & Aurelium magnopere dilexit, Cinnam quoque, Cornificium, Fabullum, & Verannium, quem alicubi Veramniolum blanditer appellat. Puellam preterea Ipſitillam conciuem ſuam, & Clodiam amauit, quam fictо nomine Lesbiam dicit. Sicuti Madaurẽſis Apuleius teſtatur in oratione ad Claudium Maximum. Eruditorũ conſenſu docti cognomen accepit: ita enim peculiari epitheto Catulus cenſetur. Atque hunc quidẽ Ouidius Vergilianæ maieſtati opponit. Tantum nominis apud eruditos, ac laudis eſt conſequutus. Sed & verſus ipſius, quanquàm

Biblioteca de Galicia

vt duriusculi notantur, (quod vterque Plinius asserit) tamen perelegantes habiti sunt, ac sectatores complures in his inuenit: sicuti Pompeium, Saturnium, & Sentium Augurem, qui Catulli epigrammata, ac Licinij mira diligentia, ac studio sunt æmulati: vt alias diximus. Val. Martialis Catullum sibiipsi audacter præponit. Sic enim ad Macrum:

Nec multos mihi præferas poëtas,
Vno sed tibi sim minor Catullo.

Opus suum ad Cor. Nepotem misit, virum doctrina & rerum cognitione egregium. Diuiditur autem in libros tres, vt Primus Lyricos, Secundus Elegiacos, Tertius Epigrammata contineat. Ad hunc enim modum ordinem fere meliorem custodiemus. Elegiam de coma Berenices ex poëta Callimacho in Latinos numeros conuertit, eámque ad Ortalum amicum misit, quæ in Elegiarum adhuc libro legitur. Idem Vale. Catullus à Fabio Quintiliano & Diomede inter Iambicos reponitur, ab alijs inter Lyricos. In Atticis noctibus vt poëta elegantissimus ac venustissimus à Gellio laudatur. Neque illud omittendum est, fuisse ab ipso Catullo alia complura composita, quæ vitio longæ vetustatis desiderantur. C. autem Plinius libro historiæ naturalis XXXVIII. ad Cæsarem Vespasianum (cùm de magia disserit) amatorium de incantamentis carmen à Catullo

V

tullo editũ refert. *Hinc Theocriti, inquit, apud Græcos, Catulli apud nos, proximéque Vergilij incantamentorum amatoria imitatio. Sed carmen Ithyphallicum scripsit, vt est optimus testis Maurus Terentianus ad Nouatemum, qui hos Catulli versiculos citat:*

Et fermè modo hic datur à plerisq; Priapo,
Inter quos cecinit carmen quoque tale Catullus,
Hunc tibi lucum dedico, consecróque Priape.
Nam te præcipuè in suis vrbibus colit ora
Hellespontiaca, cæteris ostreosior oris.

Cæsarem maximè Iulium, Mamurram, & Nonium Strumam Iambicis nominatim proscidit ex veterum consuetudine: vt C. Lucullus Iambicorũ autor, Luciliusq; & Næuius. Quanquam illud memoria est, quod ipse Cæsar cum perpetua sibi stigmata (vt ait Suetonius) imposita videret ex Catulliano carmine de Mamurra, eadem tamen die Poëtam ipsum cœnæ adhibuit, simúlque hospitio suo non secus atque antea vti eum permisit. Mortuus Romæ est iuuenili admodum ætate, cùm annum circiter trigesimum ageret, vt quidam putarunt, quo tempore Publius Vergilius in vrbe Cremona studijs operam dabat. Vulgatum quoque de Valerio Catullo illud:

Tantum parua suo debet Verona Catullo,
Quantum magna suo Mantua Vergilio,

Cor

CORN. LICINIVS CALVVS. CAP. XXVIII.

Corn. Licinius Caluus in poëmatis scribendis perelegans habitus est, & apud veteres inter optimos poëtas relatus, ingenio lepido, & vrbano fuit: cúmque suauissimis moribus præstaret, præcipuè dilectus est à Val. Catullo, qui summa familiaritate cum eo vixit: quod ex Catulli Versibus facilè possumus colligere. Dicitur fuisse breui statura, & exiguo corpore quocirca Sollopichius est appellatus à Catullo, vt apud Annæum Senecam copiosè exponitur. Idem Caluus puellam Quintiliam amore incredibili dilexit: cuius interitum quàm molesto animo ferret, testatus est scriptis carminibus de obitu illius:

Hoc etiam docti confessa est pagina Calui,
Cùm caneret miseræ funera Quintiliæ.

Eruditionem Calui atque elegantiam in componendis versibus præcipuè commendauit Sextius poëta, & M. Cicero, qui refert eum in scribendis Iambicis præstitisse. In iis enim minimè dubitauit principes etiam ciuitatis acerrimè insectari, vt C. Cæsarem, & Pompeium. Fuisse eundem oratorem ostendunt Fabius Quintilianus, & Annæus Seneca, qui Calumniam hunc tradunt habuisse diu iniquissimam litem cum M. Cicerone de principatu eloquentiæ & contra Vatinium in eo accusando i-

Biblioteca de Galicia

lentum, se atque acerrimum præstitisse. An fuerit alter Caluus orator, commodius disseremus: cùm probatissimi autores in hoc videantur dissentire.

Q. CORNIFICIVS

CAPVT XXIX.

QVintus Cornificius per eadem tempora in poëtice floruit, quibus in scribenda historia Sallustius, Luceius, & Corn. Nepos in Vrbe præstiterũt. Fuit ingenio elegãti & lepido, atque in scribendis epigrammatis versatus est. Publ. Ouidius Cornificium hunc nominat inter eos poëtas, qui poemata & amores decantarunt, vt Caluum, Metellum, Cinnam, Hortensium, Catullum, Propertium, & alios. Grammatici veteres, si quando citant versiculos Cornificij, permultum illis concedunt. Val. Catullus sæpe ad hunc ipsum scribit: qua in re facilè demonstrat, quanta familiaritate cum eo vixerit. Sororem habuit nomine Cornificiam, vt ab Eusebio relatum est, cuius carmen in magno pretio habitum inuenio. Idem Cornificius in militia versatus dicitur: & cùm præfecturam cohortium haberet, suósque milites paulò ignauiores videret ab subeunda belli discrimina, non destitit eos increpare, & iocularibus dictis illudere, gallatos lepores appellans, quòd audito pugnæ classico minimè gradum seruarent, sed relicto præsidio

præsidio, temerè palantes diffugerent. Neque desunt qui referant eundem aliquando destitutum à militibus inter dimicandum occidisse. De Cornificio oratore, qui rhetoricos libros cõposuit, diximus in libris de Oratoribus.

C. HELVIVS CINNA

CAPVT XXX.

CAius Heluius Cinna in epigrammatis & poëmatis describendis nobilis habitus est. Eadem ætate claruit, vt constat, qua Catullus, Caluus, Hortensius, & Cornificius celebres fuerunt. Commendatur maximè illius ingenium, atque diligentia in absoluendis carminibus. Inter cæteros amicos poëtam Catullum, & Valerium Catonem summa benevolentia dilexit, qui Lydiam & Dianam composuit. Idem Cinna opus perfecit titulo Smyrnæ, in quo nouem annos consumpsit, non sine maxima laude sui nominis. Itaque L. Crassitius inter veteres Grammaticos excellens illud interpretatus est: ac tanta eruditione id effecit, vt vulgo relatum sit:

Vni Crassitio se dicit Smyrna probare,
Desinite indocti coniugio hanc petere.
Soli Crassitio se dixit nubere velle.
Intima cui soli vota sua extiterant.

Fabius Quintilianus magnopere commendauit Cinnæ opus, vt magno studio elaboratum, ac diligenti lima perfectum. In qua sententia

Biblioteca de Galicia

& Catullus fuit, qui Voluſio & Hortenſiopoëtis Cinnæ carmen præpoſuit. Gellius & alij Grammatici perſæpe citant Heluij Cinnæ poëmata. Ex quibus apertè colligitur, quàm falſa ſit, atque inepta illorum opinio, qui ſcripſerunt fuiſſe hunc poetam implicatum, & perobſcurum. Sunt qui credant eundem eſſe, qui occiſus fuerit à plebe Romana pro Corn. Cinna ſimilitudine nominis decepta. Quo tempore celebratum eſt funus C. Cæſaris, ac Romana plebs cum facibus ad ædes Bruti & Caſſij acceſſit.

M. FVRIVS BIBACVLVS.

CAPVT XXXI.

MArc. Furius, qui cognomine Bibaculus eſt appellatus. Cremonæ (vt quidam ſcribunt) natus eſt iiſdem propè temporibus, quibus poëta Lucilius, & Sext. Turpilius Comœdiarum ſcriptor, perierunt. Fuit ingenio ſummo, & in primis lepido: adeò vt de ſuo quoque nomine iocatus dicatur: Et bibaculus eram, & vocabar. Quod eſt ab eo dictum imitatione poëtæ Anacreontis, qui neque proprio nomini pepercit. Idem Furius Bibaculus in carmine Iambico verſatus eſt, cuius acerbitatem tam doctè quàm egregiè expreſſit, vt non minorem laudem tulerit, quàm Val. Catullus, aut Horatius, vt aſſerit Fabius Quintilianus

Quo

Quocirca verisimile est, Messalam Coruinum pertinuisse ingenium & mordacitatem Bibaculi, cùm in epistola scripserit, nihil sibi esse cũ poëta Bibaculo. Amicos habuit Gallum poëtam, & Val. Catonem: quorum ingenium ac doctrinam suis hendecasyllabis laudat. Extant adhuc elegantes versiculi ad Gallum de Villa Tusculana Catonis, quæ propter æs alienum creditoribus cesserat.

Nos eos adscribemus, quò melius possit iudicari de Bibaculi ingenio:

Catonis modò Galle Tusculanum.
Tota creditor vrbe venditabat.
Mirati sumus vnicum magistrum,
Summum Grammaticum, optimum Poëtam,
Omnes soluere posse quæstiones,
Nullum difficile expedire nomen.
En cor Zenodoti, En iecur Cratetis

Afferuntur & alia complura eiusdem Bibaculi à nostris Grammaticis: quibus facilè intelligitur, quantum ingenio & elegantia præstiterit. Hæc sunt, quæ legimus apud veteres de Furio Bibaculo.

PVBLIVS TERENTIVS. VARRO ATACINVS

CAP. XXXII.

PVblius Terentius Varro Atacinus, ijsdem temporibus natus est, quibus M. Cicero, & Hortensius clari habebantur in eloquentia. Quidam ob id vocarunt Atacinum, quòd oriundus foret ab Atace vico prouinciæ Narbonensis: vel ab Atace fluuio, vt alij existimant. Ingenio præclaro fuit, & in componendis poëmatis mirifico studio incubuit. Idem Varro singulari diligentia, vt traditur, Græcas literas didicit: quò facilius posset illorum ingenia atque doctrinas imitari. Scripsit Argonautica, sequutus Apollonium Rhodium, suúmque opus libris quatuor absoluit, si antiquis autoribus credimus. Fabius Quintilianus de hoc Varrone sic ad Marcellum scribit, quo loco iudicium facit de Latinis poëtis: Atacinus in his, per quæ nomen est assequutus, interpres operis alieni, non spernendus quidem: verùm ad augendum facultatem dicendi parum locuples. Probus Valerius, & alij Grammatici celebrant Argonautica Atacini, ac sæpe versiculos ex illis referunt. Scripsit etiam epigrammata, & carmen Elegiacum, in quo decantauit puellam nomine Leucadiam, quam præcipuè dilexit: hinc illud notum:

Hæc

Biblioteca de Galicia

Hæc quoque perfecto ludebat Iasone Varro,
Varro Leucadiæ maxima flamma suæ.

Illud præterea relatum est ab antiquis autoribus, Publium Vergilium magnopere delectatum Varronis ingenio, ac illius carmen magno studio imitatum. Citantur à Prisciano hi versus in Varronis orthographia:

Ergo inter Solis stationem, & sidera septem
Exporrecta iacet tellus: huic extima fluctu
Oceani, interior Neptuni cingitur ora.

C. TICIDA.

CAP. XXXIII.

CAius Ticida in scribendis epigrammatis claruit his maximè temporibus, quibus Cor. Cinna, Val. Catullus, & Cornificius præstiterunt. Afferuntur à Grammaticis nostris Ticidæ versus, ex quibus colligitur, fuisse illum eleganti ingenio, & ad scribendum carmen accommodato. Messala Coruinus in epistola quædam (vt à Suetonio relatum est) de hoc Ticida meminit: scribens, nihil sibi esse cum Furio Bibaculo & Ticida. Neque desunt apud nos, qui tradant ab eodem Ticida dilectam fuisse Metellam, quam mutato nomine Perillam appellauit. Quod etiam Catullus fecit: qui Lesbiã pro Clodia nominauit. Habuit inter principes amicos Val. Catonem, cuius poëmata illustrauit editis versibus de Lydia illius. Priscianus Ticidam in Hymenæo citat,

Biblioteca de Galicia

repetens hunc versiculum:

Felix lectule talibus sole amoribus.

Ouidius quoque inter eos Poëtas hunc enumerat, qui amores decantarunt: vt Metellum, Cornificium, Hortensium, Catonem, Caluum, & alios. Hæc sunt, quæ de C. Ticida apud veteres legimus.

FVRIVS ANTIAS.
CAPVT XXXIII.

FVrius Antias poëta insignis habitus est, & inter vetustiores receptus. Macrobius Furium hunc: & alios complures enumerat, à quibus poëta Vergilius permulta (vt fit) mutuatus est: vt Ennium, Nauium, Accium, Lucretium, & Varium. Idem Furius annales composuit hexametris versibus, & poëmata satis erudite, & eleganter. Neque probandus est Cesellius Vindex Grammaticus, qui reprehendere Furium ausus est, atque in ordinem redigere. Qua in re parum prudenter se criticum professus est, vt A. Gellius testatur. Itaque petulantiæ simul atque insciticæ arguitur, quòd hæc verba damnauerit in Furij poëmatis, id est, terram luteſcere, nocteſcere, increſcere, purpurare, opuleſcere. Versus adijciemus ex poëmatis Furianis, in quibus hæc sunt, sicuti adhuc leguntur in Atticis commentarijs.

Sang

Sanguine diluitur tell⁹: cana terra luteſcit.
Omnia nocteſcunt tenebris caliginis atræ:
Increſcunt animi, vireſcit vulnere virtus:
Vt ſulica ipſa leuis volitat ſuper æquora
claſſis,
Spiritus Eurorũ viridem cũ purpurat undas,
Quo magis ĩ patrÿs poſſint opuleſcere cãpis.

Nonius Marcellus, & alij Grammatici, perſæpe afferunt verſus Furÿ Antiatis: ex quibus colligitur, non defuiſſe illi ingenium, aut eruditionẽ. De M. Furio, qui Bibaculus eſt appellatus, ſuo loco diximus,

L. IVLIVS CALIDIVS.

CAP. XXXV.

LVcius Iulius Calidius, Romæ natus, ex nobili Calidiorum familia, equeſtrem dignitatem ſeruauit: vir probo ingenio ornatus, et optimis artibus inſtitutus. Pedianus, & alij veteres, multum Calidio tribuunt, quod in abſoluendo carmine plurimum præſtiterit. Coluit enim magno ſtudio poëticen, vt Cor. Nepos teſtatur, qui Calidium hunc elegantiſſimum poëtam vocat, & Lucretio ac Val. Catullo adiungit. Neque dubium eſt, eundem fuiſſe vehemẽter dilectum à Pomponio Attico, & maximis periculis ab eo diligenter defenſum, atque ſeruatum, vt veteres autores referunt. Idem Calidius, cùm eſſet relatus in numerum proſcriptorum à Pub. Voluſio, qui fuit præfectus fabrũm

Anton

Biblioteca de Galicia

Antonij, ab Attico absolutus est, propter ingenium suum, atque elegantem eruditionem: quod à Cor. Nepote scribitur. De poëmatis Calidij, & eius obitu, nihil hactenus legimus. De M. Calidio dicemus commodius.

LAVREA TVLLIVS.

CAP. XXXVI.

LAurea Tullius, M. Tullij oratoris libertus fuit, & à patrono suo propter ingenium, atque eruditionis elegantiam magnopere dilectus. Cicero enim Tironem ac Lauream libertos suos magni fecit: quod cùm alia multa, tum illius epistolæ testantur. Ipse autem Laurea ingenio præstitit, ac in poëmatis scribendis claruit. Quæres Plinij testimonio patet, qui præcipuis laudibus carmen illius commendat. Inter alia epigrammata, scripsit illud notum de laude Marci Ciceronis, ac de aquis in Academia villa erumpentibus, quæ remedium ægris oculis afferrent. Carmen id est dignum sanè quod vbique legatur, propter egregiam indolem, & elegantem suauitatem:

Quod tua Romanæ vindex clarissime linguæ
Sylua loco melius surgere iussa viret,
Atq; Academiæ celebratã nomine villam
Nunc reparat cultu sub potiore vetus:
Hinc etiam apparent lymphæ non antè repertæ,
Languida quæ infuso lumina rore leuant:
Nimir

Nimirum locus ipse sui Ciceronis honori
Hoc dedit, hac fontes cùm patefecit ope.
Vt quoniam totũ legitur sine fine per orbem,
Sint plures oculis quæ medeantur aquæ.

Leguntur & apud Græcos epigrammata Laureæ, in quibus par elegantia atque eruditio habetur. Mihi non satis constat, an idem sit, qui fuerit Marci Tullij libertus.

PETRI CRINITI IN LIB. TERTIVM DE POETIS LATINIS, AD EVNDEM PRAEFATIO.

*

PERVENTVM est ad ea tempora, Cosme Pont. Arretine, quibus omnes bonæ disciplinæ accesserunt ad summum fastigium vnà cum maiestate Romani Imperij. Quę in re cùm considero vitæ mortalium conditionem, permultum quidem interesse existimo in rebus humanis, quo maximè æuo, quibúsque potissimum ciuitatibus ipsi homines ætatem degant. Imperante enim Cæs. Augusto tã prosperè tamq; felicit

feliciter humano generi consultum videri potest, vt nemini dubiũ sit, optimis auspicijs atque consilijs per ea tempora administratum fuisse Imperium, & omnes artes in summa dignitate Romæ claruisse. Nam vbi præmiorum spes aliqua est illorum animis, qui in præclaro facinore intenti sunt, mirum profectò est, quantum excitentur in dies, atque accendantur studia mortalium ad capessendam virtutem. Quò factum est, vt vigente Romani Imperij fortuna, clarissima ingenia in ciuitate præstiterint: non modò in facultate poëtica, sed in cæteris omnibus disciplinis, quæ honestæ ac liberales haberi solent. Sequentibus deinde seculis posthabita virtute, cũ vitia hominum magis æstuarent, paulatim Respub. delapsa est in partem deteriorem, & simul fortunæ conditio cum moribus immutata est. Itaque luxus & immoderatæ libidines ciuitatem primò inuaserunt: deinceps (vt in magno malo atque licentia accidit) nimia imperandi ambitio cuiusque animos occupauit. Quibus malis impedita ac fatigata ciuitas, non tantùm pristinam dignitatem diminuit, sed ipsum præterea Imperium pessimè affecit. Quæ omnia relata sunt à nobis ob eam rationem, vt facilius intelligere possimus, quantum eorum Imperio mortales iure optimo debent, quibus datum est, rectè ordineq; Rempub. moderari, & ingenia ciuium digna

digna mercede confirmare. Nunc ad Pub. Vergilium accedemus, qui Augusto principi gratissimus fuit, & simul complectemur eos omnes poëtas hoc volumine, qui vsque ad Flauios Imperatores deuenerunt.

P. VERGILIVS MARO.

CAP. XXXVII.

PVb. Vergilius Maro natalem suum habuit Idib. Octobris, M. Crasso, & Cn. Pompeio Coss. Quæ res probatur cum veterum monimentis, tum versibus illis Val. Martialis:

Maiæ Mercurium creatis idus,
Augustis redit Idibus Diana:
Octobres Maro consecrauit Idus

Natus est in vico Ande, qui non longè abest ab Vrbe Mãtua: ob idq; Andinus vates appellatur à Silio Italio: Modicis facultatibus, peneq; exiguis, primã ætatem transegit. Deinde cùm tempus aduentasset capiendæ eruditionis, optimis præceptoribus, atque eruditis operam dedit: idque effecit variis ac diuersis vrbibus. Nam Cremonæ primùm, deinceps Mediolani, ac postremò Neapoli ingenium suum magna diligentia, & incredibili studio excoluit, maximeq; Orbilium, & Scribonium Aphrodisium audiuit, à quibus maturè instructus est. Traditum est à veteribus, eodem die poëtam Vergilium induisse virilem togam, quo T. Lucretius in fata concessit. Adeo insigni modestia & verecund

Biblioteca de Galicia

recundis moribus dicitur fuisse : vt vulgò appellatus sit Parthenius, quod præter alios multos etiam poëta Ausonius testatur in epistola ad Paulinum. De poëmatis ipsius minimè oportet hoc loco pluribus agere: cùm Seruius Grammaticus, & alij plures diligenter de his scripserint, tradentes : quæ sint ad hunc ipsum referenda : quibusq; temporibus ab eo composita. Idē Seruius octo opuscula pro Vergilianis enumerat: hoc est, Cyrin, Aetnam, Culicem, Catalecton, Priapeia, (de quibus inter Grammaticos non satis adhuc certis argumentis constat) Copam, Epigrammata, & Diras. In Bucolicis Theocritum poëtam est imitatus, in Georgicis Hesiodum, quem sine vlla quidem controuersia longè superauit. In ipsa Aeneide sequutus est ex autoribus Græcis, Parthenium, Pisandrū, Apollonium, Rhodium, & in primis Homerum. Ex Latinis Q. Ennium, Liuium Andronicum, Næuium, T. Lucretium, & alios complures : quod ipsum cùm alij permulti adnotarunt, tum præcipuè Macrobius. Octauius Cæsar, qui per ea tempora optimis auspicijs Imperium orbis terrarum gubernauit, & in poëtica facultate excelluit, maxima voluptate tenebatur in legendis, atque audiendis Vergilij carminibus : quocirca frequentes epistolas ad eum mittere consueuit, plenas officij, atque beneuolentiæ. Neque ab re futurum est apponere par

re particulam epistolæ Pub. Vergilij, in qua respondet Octauio principi, vt Symmachus testatur. De Aenea quidem meo, inquit, si mehercle iam dignum auribus haberē tuis, libenter mitterem: sed tanta inchoata res est, vt penè vitio mentis tantum opus ingressus mihi videar: cùm præsertim, vt scis, alia quoque studia ad id opus, multóque potiora, impertiar. Quibus verbis facilè possumus colligere, quantum laboris atq; vigiliarū posuerit Vergilius in hoc poëmate absoluendo. Statius Papinius, & Silius Italicus ita Vergilij opera admirati sunt, vt nihil præterea se dicant magis cupere, quàm posse imitari aliqua in parte maiestatem Vergiliani carminis. Fabius Quintilianus, cum de poëtis Latinis loquitur, Maronem ipsum longè omnium principem constituit, quem cæteri maximo interuallo subsequantur. Quod etiam Domitius Afer existimauit, qui eum post Homerum fecit secundum: sed magis proximum primo, quàm tertio. Neque defuerunt apud veteres, qui tam peruerso ingenio fuerint: támque absurdo, vt reprehendere Vergilium ipsum non dubitauerint, & in omni poëtica elegantia ineptum dicere. Carbilius quidem Grammaticus librum composuit de Vergilianis erroribus, cui titulus fuit Aeneidomastix. Alij præterea complures furta eiusdem colligentes, vt imperitum furem accusarunt: de quo multa

Biblioteca de Galicia

scribuntur à Macrobio in Saturnalibus. Cæsar Caligula nihil veritus est affirmare nullo ingenio, minimáque doctrina fuisse Vergilium: itaque paulò abfuit, vt Suetonius refert, quò minus ex omnibus bibliothecis scripta & imagines illius aboleret. Qui verò summa eruditione præstant, & in explorãda, atque censenda antiquitate excellunt, eam dicunt esse maximam laudem præcipuamq; gloriam Vergilij, vt nullius laudibus crescat, nullius vituperatione minuatur. Vulgatum est, cautum ab eo fuisse testamento, vt hoc opus Aeneidos cremaretur, velut imperfectum, atque inemendatum. Qua in re apponemus eos versus, qui inferuntur ab antiquis grammaticis in Octauium Augustum:

Ergóne suprenis potuit vox improba verbis
Tã diram mãdare nefas? Ergo ibit in ignes
Magnáque doctiloqui morietur Musa Maronis?
Ah scelus indignum, soluetur littera diues,
Et poterũt spectare oculi, nec parcere honori
Flãma suo, ductumq; operi seruabit amorem?
Pulcher Apollo veta, Musa prohibete Latine:
Liber, & alma Ceres succurrite, vester in æuis,
Vester miles erat: docilis per rura colonis
Nam docuit quid ver ageret, quid cogeret æstas,

Biblioteca de Galicia

æstas.
Quid pater Autumnus, quid bruma nouissima ferret.
Arbuta formauit, sociauit vitibus vlmos:
Curauit pecudes apibus sua castra dicauit:
Hæc dedit, vt pereant ipsum si dicere fas est.
Sed legũ est seruãda fides: suprema voluntas
Quod mandat, fieriq; iubet, parere necesse est.
Frangatur potius legũ veneranda potestas,
Quàm tot congestos noctesq; diesque labores
Hauserit vna dies: supremaq; verba parẽtis
Amittat vigilasse suum, si fortè superbum:
Erraritq; in morte piger: si lingua locuta est
Nescio quid titubante aïo, nõ spontè, sed altis
Expugnata malis, odio languoris iniqui.
Si mens cæca fuit: iterum sentire ruinas
Troia suas iterum cogetur reddere voces.
Ardebit miseræ post vulnera vulnus Elisæ.
Tam sacrũ soluetur opus, tot bella, tot enses,
In cineres dabit ora nocẽs & perfidus error.
Huc huc Pierides date flamina cuncta sorores.
Expirent ignes. Viuat Mauro doctus vbiq;,
Ingratusq; sui studiorumq; inuidus orbi:
Et factus post fata nocens: quod iusserat ille,
Sit vetuisse meum: satis est post tẽpora vitæ.
Imò sit æternus tota resonante camæna
Carmen, & in populo dini sub numine nomẽ
Laudetur, vigeat, placeat, relegatur, ametur,

Inter præcipuos amicos coluit Asinium Pollionẽ, Cor. Gallum. Quintiliũ Varum, Horatium Flaccum, & Mecænatem, cum quibus summa familiaritate vixit. Octauio principi adeò acceptus ob singularem modestiam, atque cæteras virtutes vt relatum sit, nihil fuisse vnquam illi denegatum. Scribit Corn. Tacitus eundem Vergilium maximo honore habitum ab vniuerso populo Rom. & assurrexisse illi auditis versibus in Theatro: præsentẽque ac spectãtẽ Vergilium pari veneratione obseruasse, atque Octauium principem. Traditũ est habitasse in Equilijs secundum hortos Mecænatis: sæpéque in Campaniam solitum decedere ad animũ atque ingenium recreãdum: quò liberius pro loci amœnitate nauare operam posset inchoatis à se operibus. Helius Melissus grammaticus excellẽs. qui commentarios de loquendi proprietate composuit, refert, Vergilium fuisse paulò tardiorem in loquendo, penéque indoctum & subagrestem. Quæ scripta sunt de illius dicteryis cum Cæsare Augusto, déque contentionibus cum Cornificio grãmatico, & appensis carminibus in palatinis valuis, ea quidem neque refellere hoc loco, neque adscribere in animo est. Tarenti periit, vt Seruius refert: vt alij volunt Brunduſij contracta ægritudine ex itinere ad visendum Metapontum, propter calores ac nimios æstus. Paulò mox delatum est illius cadauer

Neap

Biblioteca de Galicia

Neapolim, ibiq; sepultus Vergilius, addito hoc carmine.

Mãtua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope: cecini pascua, rura, duces.

Quod etiam notatum est ab Eusebio in annalibus. Deplorarunt eiusdem obitum complures alij: & inter Cæteros Cornelius Gallus his versibus ad Cæsarem Augustum:

Temporibus lætis tristamur, maxime Cæsar,
Hoc vno amisso, quem gemo Vergilium.
Sed vetuit relegi si tu patiare libellos,
In quibus Aeneam condidit ore sacro.
Roma rogat, precibusq; etiam tibi supplicat orbis,
Ne pereant flãmis tot monumenta ducũ.
Atque iterum Troiam, sed maior flamma cremabit,
Et laudes Italûm, fac tua facta legi.
Aeneamq; suum fac maior nuntius ornet.
Plus fatis possunt Cæsaris ora Dei.

De effigie ipsius, cæterisque animi virtutibus, permulta scribũtur à nostris grammaticis, quæ prætermittimus studio institutæ brevitatis.

Q. HORATIVS FLACCVS.

CAP. XXXVIII.

QVintus Horatius Flaccus in Venusio Apuliæ oppido natus est: Patrẽ habuit libertini generis, vnde illud:

Quem rodunt omnes libertino patre natum.

Biblioteca de Galicia

Pro certo habetur, eius natalem fuisse duobus circiter annis ante cõiurationem L. Sergij Catilinæ, quo tempore celebres erant in ciuitate, ex poëtis Val. Catullus, Licinius Caluus, & Heluius Cinna: ex oratoribus M. Cicero, Qu. Hortẽsius, & Q. Catulus: ex Philosophis Var. Terentius, & Figulus Nigidius. Orbiliũ Beneuentanum (vt constat) à puero audiuit: quem appellat alicubi plagosum. At mirum, quàm breui tempore in bonis literis profecerit. Ingenio enim facili & auidissimo fuisse traditur in capiendis optimis disciplinis. Vbi autem satis visus est nauasse operam Latinis studijs, Athenas se contulit, vt philosophorum præceptis liberius incumberet: maximéque Epicureorum placita videtur probasse: vt illud vrbanè dictum testatur:

Me pinguẽ, & nitidũ bene curata cute vises,
Cum ridere voles Epicuri de grege porcum.

Moribus fuisse dicitur subobscœnis, & ad bilem interdum paulò excitatior: adeò erga amicos gratus, atq; officiosus, vt nobiliorum etiam studijs & gratia clarior in dies ac nobilior esset. Nam primò dignitatem tribunitiam honestis suffragijs est adeptus, & Romanæ legioni præpositus, quod ipse de se scribit. Amicos verò habuit ex poëtis Albiũ Tibullũ, Quintiliũ Varum, cuius obitum officiosè deplorat, Valgium consularem, Vergiliumq; ipsum: ex prima

ma nobilitate Iulium Florum, Maximũ Lollium, & Mecœnatem, cum quo supra septem annos summa familiaritate vixit. Quod cùm locis multis, tum maximè his versibus apparet:

Sepinnus octauo propior iam fugerit annus,
Ex quo Mecœnas me cœpit habere suorum
In numero. Nam cum ipso quidem Horatio iocari liberius Mecœnas atque agere consueuit, eidemq; concredere sua studia. In rebus ciuilibus, cùm ipsa ciuitas magnis factionibus teneretur, variisq; seditionibus æstuaret, sequutus primò est Bruti & Cassij partes: quod à multis alijs, & à Sidonio Apollinare traditum est, qui ad Iulium Maiorianum sic refert:

Et tibi Flacce acies Bruti Cassiq; secuto
Carminis est autor, qui fuit & veniæ.

Mox verò accidit, vt fauore Mecœnatis non dignitates tantùm assequeretur, sed ipsi quoque Octauio Imperatori foret insinuatus: cùm liberè & amicè ad illum scribat. Illas tamen epistolas, quæ referuntur à quibusdam Augusti ad Flaccum, magis confictas ostendimur, quàm dignas tanto principe, eiusq; summa eruditione. Quod ipsum cùm alia multa, tum elocutio in primis probat. Composuit permulta, quæ vulgò etiam sunt notissima, nos quàm breuissimè repetemus. Libros Carminum quatuor, Epodon, & Seculare carmen, quibus Augustum ac Mecœnatem mirs

Biblioteca de Galicia

laudibus celebrat. In scribendis Iambicis mirè efficax habitus est, quod & Fabius Quintilianus testatur. Inter Lyricos, inquit, solus fere dignus est legi Horatius: quoniam & insurgit aliquando, & plenus est iucunditatis & gratiæ, variisq; verbis & figuris felicissimè audax. Ex quo illud peruulgatum:

Hic inter Lyricos sublimi vertice vates
Sidera summa ferit: seu dulcia furta puellæ
Cantat, amicitias, conuiuia, prælia, paces:
Siue Lycambeis lacerat latratibus hostem,
Inpetit aut vario corruptos carmine mores.

Apollinaris quoque sic ad Tonantium de Horatio:

Sed tu per calabri tramitis aggerem
Vis vt nostra dehinc cursitet orbita:
Qua Flaccus Lyricos Pindaricum ad melos
Frænis flexit equos plectripotentibus:
Dum metro quatitur chorda Glyconico
Nec non Alcaico, vel Pherecratio,
Iuncto & Lesbyaco, siue Anapæstico.
Vernans per varij carminis eclogas
Verborum violis multicoloribus.

Diomedes grammaticus, & alij veteres, undeuiginti carminum modos ab Horatio decantatos asserunt: quorum rationes in tertio de grammatice libro à Diomede ipso referuntur. Scripsit de Poëtica librum ad Pisones: volumina duo Satyrarum, ac totidem Epistolarum.

In

In Satyra verò Lucilium sequutus est, etsi eum vt lutulentum accusat. Fabius certè Quintilianus præcipuum in Satyra dicit hunc ipsum Horatium, ac purum in primis, & tersum. Quin hoc proprium & peculiare fuit, vt ridenti similis, & quasi dissimulans improbitatem ac vitia hominum accusaret: quòd ea magis vrgeant, atque afficiant, quæ sensim irrepunt, quàm quæ aperta fronte inuadunt. Quod ipsum & Poëta Persius demonstrat:

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit: & admissus circũ præcordia ludit:
Callidus excusso populum suspendere naso.

Sed & poëta Ouidius ingenuè fatetur, magnopere se Horatianis versibus delectatum, & eius carmen diligenter audisse: veluti Propertium, Macrum, Ponticum, & Bassum qui Iambicos lusit:

Et tenuit nostras numerosus Horatius aures,
Cùm ferit Ausonia carmina culta lyra.

Permultos verò enumerat Horatius, quorum & studium & iudicium percoluit: vt Plotium, Mecœnatem, Varium, Vergilium, Fuscos, Valgium, Pollionem, Messalam, & alios. Sequutus est eum in componendis Lyricis Paulus Passienus: qui (vt est autor Plinius) mirificè illum exprimebat. Statura fuisse traditur breui, corpore obeso, oculis lippis, quæ vel ex carmi-

Biblioteca de Galicia

ne illius variis locis colligũtur. Mortuus est autẽ Horatius anno ætatis suæ septimo & quinquagesimo, vt in Eusebij Annalibus relatum est. Alij supra LXX. annum vixisse scribunt. Quod ego tamen falsum existimo: vt alibi obseruatum est.

T. VALGIVS. CAP. XXXIX.

TItus Valgius inter eos poëtas refertur à veteribus, qui Elegias & poëmata scripserunt. Familia ortus est nobili, & insigni, vt quæ consulares viros tulerit. Neque desunt, qui eius ingenium atque elegantiam commendent in scribendis carminibus. Horatius Flaccus plurimum tribuit Valgio, & in eodem numero eum collocauit, in quo Plotium, Varium, Mecœnatem, Asinium, & Vergilium: ad quorum iudicium sua scripta probari postulat. Messala item Coruinus, qui cùm rebus præclarè gestis, tum eloquentia maximè præstitit, magnopere Valgium coluit, propter eius elegãtiam & ingenium. Itaque præcipuè laudatus est à poëta Tibullo, qui eum dicit aptissimũ ad canendas laudes Messalæ, & assurgere in carmine ad Homerum:

Est tibi, qui possit magnis se accingere rebus
Valgius: æterno propior non alter Homero.

Relatum est à Seneca de Valgio poëta, quòd is Aetnam Siciliæ montem nobilissimum imperitè

vitè vnicum vocauit, qui ignes euomeret: cùm alij plures tradantur, qui idem efficiant. Inter alios versus, qui afferuntur à grammatico, & hoc carmen Valgij legitur:

Hic mea me longo succedens prora remulco
Lætantem gratis fistit in hospitijs.

Fuit in magno pretio & alter Valgius, qui inter Apollodoreos refertur: quoniam Apollodori Pergameni sectam magno studio dicatur consequutus: sed agimus de hoc in Oratoribus.

ALBIVS TIBVLLVS.
CAPVT XL.

ALbius Tibullus Romæ (vt creditur) natus, Hirtio & Pansa Coss. qui annus etiã Nasonis poëtæ natalibus insignis fuit. Nam vterq; consul cùm ad liberandum Brutum apud Mutinam mitteretur, fugato Antonio occisus est. Parentes habuit ex equestri ordine bello & pace satis illustres. Is autem Tibullus, quòd ingenio facili, & egregia forma foret, nobiliores ciuitatis sibi cõcilianit: in quorũ numero fuit Messala Coruinus qui mira diligentia & assiduis officijs poëtã Tibullũ fouit. Quocirca sui studiosum vocat eum Tibullus, & insigni carmine laudes eiusdẽ ac virtutẽ celebrauit. Neq; illud ignoratur, cũ in eiusdẽ Messalæ comitatu in prouinciã Phæacũ pergeret, in aduer

aduersam valetudinem incidisse. Ex quo tali carmine fidem suam, atque fortunam, voluit posteris commendari:

Hic iacet immiti consumptus morte Tibullus:
Messalam terra, dum sequiturq; mari.

Horatium Flaccum, & Macrum poëtam, qui de herbis libros conscripsit, familiariter dilexit: eumq; hortatur vt relictis castris, & militia, ad amores, et Veneres redeat. Albius enim Tibullus in amoribus & delicijs (vt apparet) paulò procliuior fuit, vt qui Marathum & Cherynthum pueros maximo affectu dilexit: sicuti Deliam, Sulpitiam, Neæram, & Nemesim: de cuius forma & moribus frequens in veterum libris mentio est. Vnde illud notum:

Vsit amatorem Nemesis lasciua Tibullum,
In tuta iuuit quem nihil esse domo.

Sed & L. Apuleius, quo loco de amoribus disserit apud Claudium Maximũ Proconsulem, fictum Deliæ nomen à Poëta Tibullo refert, cũ Plautia vocaretur. Flaccus Horatius liberè illum hortatur amicitiæ nomine, vt forti animo, & constanti immitis Glyceræ fastum atque insolentiam perferat: tum aliorum exemplo discat, quanta sit in sequendis amoribus varietas. Inscribẽdo autem carmine Cassio Parmensi eundem præponit: quo loco suorum sermonum iudicem facit, bonáque animi & corporis illi

illi adscribit:

Albi nostrorum sermonum candide iudex,
Non tu corpus eras sine pectore: dij tibi formam,
Dij tibi diuitias dederãt, artémque fruendi.
Quid voueat dulci nutricula maius alũno,
Quã sapere & fari possit, quæ sẽtiat: & cui
Gratia, fama, valetudo, contingat abundè,
Et mundus victus nõ deficiẽte crumena?

Is verò Tibullus in carmine ad Messalam copiosè ostendit parum sibi licere in otio versari, & Musis pro animi arbitrio incumbere, quòd aduersantis fortunæ iniquitas nimium illi obfuisset: & cùm satis illi opes florerent, conditione temporum factum est, vt ad paupertatem redigeretur.

Cui fuerant flaui ditantes ordine sulci,
Horrea fœcundis indeficientia mensis:
Cuiq; pecus denso pascebant agmine colles,
Et domino satis, & nimium furiq;, lupóque:
Nunc desiderium superest.

Idẽm Tibullus libros quatuor Elegiarum, siue Amorum composuit: in quibus facilè probatur, quàm elegans, & candidum sit eius carmen: vt eiusmodi caloribus describendis Latinos omnes videatur superasse, cum affectibus exprimendis, tum elegantia, & suauitate ingenij. Quod ipsum etiam Fabius Quintilianus ad Marcellum Victorium refert, cùm poëtam

Tib

Tibullum & elegantem in primis, ac tersum existimarit: obyt autem cùm adhuc iunior esset, neque sine maximo mœrore Ouidy poëtæ, quod ille testatus est lõgo carmine: in quo probatur, quanta literarum iactura Tibullus occiderit Eoq; molestior fuit eius interitus quò immaturior visus est. Infumere illius & parens, & soror præstiterunt pietatis officium: quod & Nemesis, & Delia pari animo fecerunt, sicuti ab Quidio refertur. Vulgatum illud est de elegantia & carmine Tibulli:

Donec erunt ignes, arcusq; Cupidinis arma
Discentur numeri culte Tibulle tui.

M. MALLIVS. CAP. XLI.

MAr. Mallius ex illustri familia natus creditur. Iisdem temporibus in Vrbe diruit, quibus diuus Augustus. Imperium Romanæ vrbis felicissimè gubernauit. Neque dubitandum est, fuisse illum tanto principi gratissimum, propter egregiam disciplinarum cognitionem, & ingeny excellẽtiam. Fabius Quintilianus nullam mentionem de poëta Mallio fecit: quocirca mirantur quidam, cur illum prætermiserit: præcipuè cùm de T. Lucretio & Aemilio Macro iudicium fecerit. Studium suum atque industriam collocauit in Mathematicis artibus, tantúmque in his profecit, vt maximas ingeny sui laudes tulerit. Scripsit lib

libros quinque de Astronomicis, carmine hexametro: in quibus magna ex parte Hipparchum, Eudoxum, atque Aratum sequutus traditur. Idem Mallius se ipsum excusat, parum sibi licere in suo carmine, propter difficultatem operis, omnia Latinis verbis exequi: & in eo maximè laborare, vt magis instruere, ac docere videatur, quàm delectare: quoniam Ornatrices ipsa negat, contenta doceri. Neque desunt, qui existiment, C. Plinium de hoc ipso Mallio intellexisse, quo loco de Obeliscis disserit. Is enim suo ingenio pilam auratam in Obelisci apice constituit, ex cuius vmbra horarum momenta obseruarentur, qua in re maximam commendationem accepit. De obitu illius nihil à nobis compertum est.

CN. CORNELIVS GALLVS.
CAP. XLII.

CN. Cornelius Gallus poëta eximius habitus est in Elegia & Poëmatis describendis. Eodem propè anno creditur natus, quo M. Terëtius Varro doctissimus Romanorũ periit, vt à Hieronymo relatum est in Annalibus. Quidam tradunt fuisse illum patria Foroiuliensem, & eruditum bonis artibus, diuq; cum Cæcilio Epirota versatũ in summa familiaritate. Fortuna tenui fuit, peneq; infima: sed studio

dio & fauore Octauij Augusti ad præfecturæ gradum ascendit: factúsque in dies nobilior, vt mox dicemus. Scripsit Elegiarũ libros, in quibus commendatur magnopere illius ingenium, & elegantia. Fabius tamen Quintilianus duriorem hunc fuisse dicit. Seruius grammaticus sic de Gallo scribit: Is, inquit, Euphorionẽ Pœtam in Latinum sermonẽ transtulit, & amorum suorum de Cytheride libros quatuor composuit. In amicis Octauij Cæsaris primo receptus est, ac deinde cùm in suspicionem venisset, quòd in eum coniurasset, occisus est. Fuit in primis Publio Vergilio amicus: adeò vt quartus liber Georgici operis à medio vsque ad finem eius laudes contineret: quas postea iubente Cæsare Aug. in Aristei fabulã commutauit. Idem Gallus amauit Cytheridem meretricem, libertã Volummij: quæ eo spreto Antoniũ euntem ad Gallias est secuta. Diomedes (cùm de Elegia loquitur) eundem Gallum Tibullo & Propertio adiungit. Cytheridem verò, quam propè ad insaniã dilexit, mutato nomine Lycorim vocauit: hinc illud vulgatum:

Gallus & Hesperijs, & Gallus notus Eois:
Et sua cum Gallo nota Lycoris erit.

Notatum est à pluribus, ipsum Gallũ ab Augusto principe factum Aegypti præfectũ, diuq; summis officijs, atque honoribus euectum, atque honestatũ. Ammianus refert, à Gallo in præfectura

fectura exhaustam fuisse Thebarum ciuitatem: & cùm furti, ac populatæ prouinciæ in ius vocaretur, veritum indignationem nobilium, ferro incubuisse. Tranquillus videtur hac in re nonnihil dissentire: qui scribit ob ingratum & malenolum animum ab Octauio Augusto domo, & prouincijs suis Corn. Gallo interdictum. Illacrymatum præterea Augustum vicem suam doluisse, quòd amicis nõ liceret, quatenus vellet, irasci. Nec desunt, qui tradant, tertio & quadragesimo anno poëtam Gallum propria manu se interemisse. Leguntur ætate nostra elegiarum libri sub nomine Cor. Galli, qua in re facile est imponere imperitis hominibus. Qui autem paulò diligentius antiquitatem obseruarunt, nihil minus censebunt, quàm vt hæc referenda sint ad poëtam Gallum. De Asinio Gallo dicemus paulò post, qui filius fuit Asinij Pollionis.

SEXT. AVRELIVS PROPERTIVS.

CAP. XLIII.

SExt. Aurelius Propertius ex Meuania oppido oriundus, quod in Vmbria est, vt ipse autor copiosè testatur: quo loco Vmbriam Romani Callimachi patriam vocat:

Vt nostris tumefacta superbiat Vmbria libris:
Vmbria Romani patria Callimachi.

Biblioteca de Galicia

Sunt qui scribant, eius patrem equestri dignitate ornatum, ac triumuirali potestate fuisse: tum inter eos connumeratum, qui L. Antonium sicuti, Perusia capta, ex Octauij Cæs. autoritate ad Aram Diui Iulij perducti, ibidem occisi fuerunt. Illud omnino constat, Aurelium hunc Propertium magna ex parte amissis bonis Romam se recepisse, cùm patrem suum in tenera adhuc ætate amisisset: quod illis versibus apparet:

Auspice me cui parua domus, fortuna relicta est:
Nullus & antiquo Marte triũphus auo.

Et alibi clarius:

Ossaque legisti non illa ætate legenda,
Patris: & in tenues cogeris ipse lares.
Nam tua cùm multi versarent rura iuuenci,
Abstulit exultas pertica tristis opes.
Mox vbi bulla rudi demissa est aurea collo
Martis, & ante deos libera sumpta toga:
Tũ tibi pauca suo de carmine dictat Apollo,
Et vetat insano verba tonare foro.

In vrbe autem nominis celebritatẽ breui adeptus est, cùm summa ingenij comitate, tum elegantia carminum. Mecœnati & Corn. Gallo maximè acceptus fuit: quòd vterque poetæ studijs & doctrinæ pro similitudine professionis fauerent. Ouidium quoque, Tibullum, & Bassum inter principes amicos coluit, ad quos de

suis

suis caloribus & puella ingenio sæpius, scripsit. C. Plinius in epistola ad Romanum, Paulum refert Passienum in scribendis Elegijs eruditum habuisse inter suos maiores Propertium: eáque ratione Gentile, inquit, est hoc in Passieno, qui ex eodẽ quoque municipio est, quo Propertius. Vnde maximum studium Passieno fuit, calores Propertij, atque ingenium suo carmine exprimere. Cùm in elegijs (vt inquit Plinius) foret egregius, atque præcipuus Propertius, libros quatuor Elegiarum composuit: in quibus ferè suos calores, & Hostiæ laudem, ac formam celebrat. Nam in puellam Hostiam miro quidem affectu exarsit: quam mutato nomine (vt est autor L. Apuleius) Cynthiam appellare maluit. Hinc Apollinaris Sidonius ad Hesperium scribit: Meminisse debes, quòd sæpe versum Corinna cum suo Nasone compleuit, Lesbia cum Catullo, Cesenna cum Geallico, Argẽtaria cum Lucano, Cynthia cum Propertio, Delia cum Tibullo. Callimachum præcipuè Cyrenem Mimnermum & Philetam Græcos poëtas in carmine secutus est, quorum manibus comitem se profitetur. Nam vt illi apud Græcos in Elegia, consensu omnium, longè præstiterunt: ita propertius apud Latinos eorum imitatione primas videtur quorundam iudicio consecutus. Fabius Quintilianus censor in literis acerrimus, cùm Tibullum maxi-

Biblioteca de Galicia

mè commendauerit, non deesse tamẽ inquit, qui Propertium malint: Cùm sit Ouidius lasciuior, Gallus in Elegia durior. Ouidius certe cùm sepe de ipso Propertio agat, blandum, tenerum, ac dulcem appellat, multúmque illius carmini semper concesserit, & recensenti sua carmina auditor affuit:

Sæpe suos solitus recitare Propertius ignes,
Iure sodalitij qui mihi iunctus erat.

Sed & Val. Martialis Propertij ingenio & amoribus plurimum tribuit, vt eo maximè loco probauit, quo Galli Lycorim, Tibulli Nemesim, & Lesbiam Catulli celebrat. Sic enim ait in Apophoretis:

Cynthia facundi carmen iuuenile Properti
Accepit famam, nec minus ipsa dedit.

De obitu eius parum compertum est. Quidam scripserunt illum periisse annos alterum & XL. natum. Fuisse alterum Propertium Fulgentius ostendit, qui in libro ad Calcidium de prisco sermone, & verba hæc ex Propertio refert. Catillata geris vadimonia publicum prostibulum.

L. VARIVS. CAP. XLIIII.

LVcius Varius ijsdem temporibus floruit, quibus in eloquentia præclari habiti sunt Messala Coruinus, M. Callidius, Numatius Plãcus, & Asinius Pollio. Relatum est ab antiquis, eundem Varium inter Epicos poëtas censeri

censeri, & in scribendis Tragœdijs maximè præstitisse. Quocirca magnopere dilectus est à principe Octauio, qui in studio Poëtices magna voluptate versatus creditur. Tantum illi tribuit Horatius Flaccus, vt cùm scriberet ad M. Agrippam cõsularem virum, vnum dicat esse L. Varium, qui posit eius gesta, atque egregias virtutes præclarissimo carmine posteris commendare. Corn. Tacitus sub Materni persona ita laudat Varij Thyestem & Ouidij Medæam, vt inter præcipua opera referat. Nullus, inquit, liber Pollionis Asinij, aut Messalæ tam illustris est, quàm Medæa Ouidij, aut Varij Thyestes. Sed & Fabius Quintilianus autor est, Varij Thyestem cum omnibus quidem Græcis potuisse conferri. Tantum sublimitate carminis, & ingenij felicitate excelluit. Habuit inter amicos Horatium Flaccum, Pollionem Asinium & Plotium Tuccam. Publ. autem Vergilium familiarissimè coluit, vt in eodem contubernio versarentur. Neque desunt, qui scribant, fuisse dilectam à Publio Vergilio vxorem Varij, eóque nomine dono illi datam Tragœdiam à se compositam, ac deinde sub nomine ipsius Varij editam. Quæ res apertè refellitur autoritate doctiorum. Illud pro comperto habetur, relictos fuisse hæredes à Publio Vergilio ex parte L. Varium, & Plotium Tuccam: tum illis demandatum prudentia &

Biblioteca de Galicia

auctoritate Octauij principis, vt Aeneam Vergilij emendarent: sed ea conditione, vt nihil operi adderetur. Quidam ætate nostra imprudenter faciunt, qui cum L. Vario, Quintilium Varum confundunt: parũ intelligentes, quantum inter se differant & carminum genere, & moribus.

C. MECOENAS. CAP. XLV.

CAius Mecœnas ex clarissima familia regum Hetruscorum natus est. In secundo ordine permansit, tanta suæ modestiæ commendatione, vt relatus sit inter nobilissimos cives. Quidam Arretio oriundum putarunt, quæ vrbs habita est inter antiquissimas Hetruriæ. Illud minimè obscurum est, eundem Mecœnatem dum ageret in tenera ætate, maximè præstitisse facilitate ingenij in literis perdiscendis, vt Horatius Flaccus & alij plures testantur. Ac primò incubuit summa diligentia præceptis eloquentiæ, in qua mediocriter excelluit. Deinde ad poëticam facultatem diuertit Tragœdiasq;, & alia varij generis poëmata scribere aggressus est. Octauio adeò gratus fuit propter singularem fidem, & ingenij comitatem, vt ab eo receptus sit inter præcipuos amicos. Vulgatum est de Mecœnate, quantum literis, ac literatis omnibus fauerit: cùm in Vrbe vnus hic potissimùm haberetur, ad quem poëtæ omnes, atque oratores, velut ad certam anchoram

Biblioteca de Galicia

thoram perfugium sibi haberent. Itaque ab eo vehementer dilecti sunt, operaque & muneribus ampliſsimis honestati Pub. Vergilius, Horatius Flaccus, Asinius Pollio. Valgius, & alij complures. Reprehẽsus est à veteribus, quòd esset animo molliori, ac solutis vestibus uteretur, nimiúmque sumptuosis, & fluentibus. De cuius mollitie atque delicijs, cùm multi alij scripserunt, tum Anneus Seneca, qui in censendis, notandisq; moribus acerrimus censor fuit: Magnúmque, inquit, exemplum Romanæ eloquentiæ daturus erat Mecænas, nisi illum enervasset felicitas. Referuntur ab eodem Seneca alia multa, in quibus orationem Mecænatis maximè accusat, ut mollem, ac nimijs delicijs fluentem: quod & Suetonius Tranquillus tradit. Itaque consueuit Octauius princeps sæpe illum exagitare suis epistolis, aut per iocum irridere. Scripsit Tragœdiam Prometheum, & Elegias complures, ut veteres autores testantur. Inter cætera illius laudatur hoc carmen, de contemnendo sepulcro:

Nec tumulum curo: sepelit natura relictos.

Hortos Romæ habuit pulcherrimos in Esquilijs, ubi versari interdiu consueuit, déque liberalibus disciplinis sermonem habere cum amicis suis. Ad hos persæpe diuertit Cæsar Octauius, propter loci amœnitatem: velut qui animum liberum haberet à curis in eo quietis se-

Biblioteca de Galicia

cessu. Tanta animi libertate vixit Mecœnas cum Augusto, vt monere illum & reprehendere aliquando non dubitauerit, vt copiosè scribit Dion, Græcus autor in Romana historia: qui eũdem refert primum inuenisse notas quasdam literarum, quibus ad scribendi celeritatem vteretur, ac per Aquilam libertum ad aliorum vsum traditas. Notatum est à C. Plinio de Mecœnate inter mirifica naturæ officia, eum nunquam horæ momentum dormisse per totum triennium ante obitum. Sed hoc non planè compertum est, an referendum sit ad alterum Mecœnatem. Publius Vergilius ad hunc Mecœnatem libros suos misit, qui Georgica inscribuntur: absolutissimum omnium opus, quæ in eo genere composita vnquam ab aliquo fuerint. Extant adhuc Propertij poëtæ, & aliorum, laudes de ipso Mecœnate, quàm liberali animo fuit, quámque docta eruditione excelluit, quæ à nobis hoc loco omittuntur studio breuitatis. Constat eum obijsse edita iam ætate, & in senium vergente: vt veteres autores testantur.

PVB. OVIDIVS NASO.

CAP. XLVI.

PVb. Ouidius Naso genitus est Sulmone patria, quod oppidum in pelignis fuit. Natalem habuit Aprili mense diebus, Quinquatrijs, quibus sacra Mineruæ celebrari mos fuit apud Romanos, A. Licinio, & L. Pansa Coss. qui

qui Mutinensi pugna contra Antoninum ceciderunt. Neque desunt, qui referant, eodem die natos fuisse P. Ouidium, & Albium Tibullũ poëtam, in scribendis Elegijs maxima elegantia. Maiores illi contigerunt nobili genere atque satis honesto, à quibus equestrem dignitatem acceptam perpetuò seruauit. In ipso adolescentiæ suæ principio magnopere probauit quantum præstaret ingenij facilitate, ac præclaris moribus. Quocirca Romæ institutus est in Latinis literis maxima diligentia parentis. Et cùm in tenera ætate (vt constat) summa voluptate & gratia teneretur componendis carminibus, ab eo studio retractatus est parentis monitionibus: qui monere illum, & assiduè hortari non destitit ad oratoriam facultatem, vt qui ad quæstum & opes comparandas animum magis intendisset. Itaque factum est, vt Publius Ouidius studium illud atque curam absoluendi carmina intermitteret, animúmque ad causas & forum conuerteret, præceptoribus Arellio Fusco, & Porcio Latrone: cuius eloquentiam atque eruditionem vehementer admiratus est. Neque in ea re tulit vulgarem laudem, aut commendationem ingenij sui, vt refert Anneus Seneca. Nã & in priuatis, & in Centumuiralibus causis præsedit, aliásque præterea dignitates obiuit posteaquàm virilem togam sumpsit, & latum

Biblioteca de Galicia

clauum adeptus est. De quo habentur complura apud ipsum Ouidium diuersis locis, quæ sunt à nobis prætermittenda studio breuitatis. Cæterum cùm nihil animo suo potius foret, quàm versari in otio literarum, postthabita omni cura rerum publicarum, ad institutum suum rediit, ac totum se dicauit poëticæ facultati, vnde perpetuum sibi nomen, & quietem singularem fore sperabat. Minimè dubium est eundem habuisse tres vxores. Primam enim sub ipsam adolescentiam vt inutilem parúmque se dignam repudiauit, cúmque ea more veterum diuortium fecit. Alteram bonis parentibus ortam, beneq; moratam, sed parum stabili connubio sibi coniunctam, maturè dimisit. Successit his Perilla cuius egregiam formam atque probitatem pluribus locis extollit: neque tantùm dilexit eam maxima fide, & benevolentia singulari, sed in Poëtica etiam erudiuit, magnáque cura excoluit. Quò factum est, vt Perilla exulanti marito ædem suam diligentissimè seruauerit. Amicos habuit permultos cum doctrina & generis nobilitate insignes, tum probitate ac moribus ornatissimos: vt Albium Tibullum, Corn. Seuerum, Sabinum, Sext. Pompeium, Græcinum, & Flaccum viros consulares, quorum familiaritate intimè vsus est. Messalam præterea, Albinouanum, Aemilium Macrũ, Maximũ, & alios complures, cũ

quibus

Biblioteca de Galicia

quibus (vt ipse refert) coniunctissimè vixit. Relatum est à Suetonio Tranquillo, Iulium Higinii, qui Augusti libertus fuit, summóque ingenio & doctrina præstitit, familiarissimum fuisse Ouidio Poëtæ. De ipsius operibus haud magnum operæ pretiũ est pluribus agere, cum multi de his scripserint, eáque vulgo satis nota sint ex commentarijs nostrorum Grammaticorum. Et sanè hic vnus præter cæteros omnes videtur plura atque varia Poëmatum genera descripsisse. In eo opere, cui titulum fecit Metamorphoseon, secutus est Partheniũ Chium poëtam, qui Græcè scripsit præclarum poëma pari argumento, & materia simili. Id Ouidij opus in tanto pretio habitũ est Græcorum ingenijs, vt illud conuerterint in suum sermonem: est enim refertum varia atque multiplici eruditione: quanquam ipse autor inemendatum, atque imperfectum reliquit, vt ipse testatur versiculis additis. Nam absente illo, atque etiam nesciente, editum est in vulgus ab amicis. Fastorum libros sex composuit, eosq; ad Germanicum Drusi filium misit: reliquos per importunum obitum & aduersam exilij fortunam (vt plerique putant) non potuit perficere, ipse tamen alicubi asserit, duodecim à se compositos, Opus quidem eruditum, & plenum magna & copiosa rerum scientia:

Sex ego Fastorum scripsi totidemq; libellos:
Cumq; suo finem mense libellus habet.

Biblioteca de Galicia

De amoribus libros tres, in quibus sub ficto nomine Corinnæ maximè probauit ingenii sui. Complures etiam Epistolas, in quibus est usus mira elegantia, & artificio singulari, vt Critici asserunt. In Elegia habitus est paulo lasciuior, vt qui nimium quandoque indulserit ingenio suo. Prætereo libros Artium amandi, & Remediorum, in Ibin, de obitu Drusi, Epigrammata, & Poëmata complura, quæ ab eodem composita sunt, vt Grammatici veteres testantur. Quædam tamen falsò atque improbè ad eũ referuntur: vt carmen de vocibus auium, de Pulice, & alia indigna prorsus, atque aliena ab ingenio, & doctrina tanti Poëtæ. Volumen præterea scripsit Alieuticon, in quo cõplexus est varia, & inaudita ad eam diem nomina piscium: quod amissum est (vt alia multa eiusdem autoris) iniuria hominũ, & longa vetustate insequentium temporum. Idem Ouidius magnopere cõmẽdatus est in Medæa tragædia, propter ipsam elegantiã & sententiarum grauitatem, vt Corn. Tacitus, & Fabius Quintilianus referunt. In Vrbe secundũ Capitoliũ habitauit, hortósque habuit in colle positos, quæ via Appia cõiungebatur cũ Flaminia. In his magna animi voluptate versari consuecit, suumq; otium mitioribus curis traducere. Relegatus est à Cæsare Augusto in Pontum ad oppidum Tomos: quo tempore ipse maiorem

quie

Biblioteca de Galicia

quietem atque otium dari sibi sperabat recolendis veteribus studijs, vt qui accessisset ad ætatem prouectiorem. Causam verò tam sæui, tamq; inciuilis exilij variè multi, vt in re ancipiti euenit, interpretantur. Alij hoc referunt ad eos libros, qui ab eo scripti sunt de Amoribus: quòd essent paulò lasciuiores, vt est autor Sextus Aurelius, qui de Roman. principibus scripsit. Plerique existimant proueniſſe hoc ex adulterio cum Iulia Augusti filia. Qua in re etsi Pub. Ouidius nihil ommino apertè retulit, tamen alicubi videtur id ipsum insinuare velata proprij criminis causa. Itaq; Sidonius Apollinaris videtur existimasse ob id fuisse illum relegatum ab Augusto, vt satis declaratur his versibus:

Nec te carmina per libidinosa
Notum Naso tener, Tomosq; missum,
Quondam Cæsareæ nimis puellæ
Ficto carmine subditum Corinnæ.

Hoc idem innuit Ouidius, cùm refert:

Lingua sile: nō est vltra narrabile quicquā.

Et alibi seruata ratione obstinati silentij:

Nec breue, nec tutū est, peccati quæ sit origo
Dicere tractari vulnera nostra timent.

Minimè autem obscurum est, Iuliam Augusti principis filiam deflagrasse magna libidine, & infamē fuisse vulgatis per Vrbē adulterijs, vt ab antiquis scriptoribus refertur. Quapropter

pter inclinat animus, vt existimẽ, haud satis potuisse Octauium sibi tẽperare, quò minus desæuiret in Poëtã Ouidiũ: cõfecta causa noui criminis, quòd in impudicis carminibus operam atq; studiũ posuisset. In exilio supra septem annos versatus est: cúmq; illi viuẽdũ foret inter incultas atque barbaras nationes, tantum sibi promeruit gratiæ atq; studij, benè præclareq; agendo, vt in eius obitu Gethæ illi, ac Tomitani populi tenere lacrymas nõ potuerint. Fuit enim Ouidius moribus apprimè honestis, & facilitate mirifica ad cõciliandas sibi ingenia hominũ, quod in primis dignam est summa admiratione. Cùm Gethicũ sermonem atque Sarmaticum didicisset: poëmata descripsit Gethica lingua, laudesq; Cæsarũ decantauit. Obijsse traditur eodem anno, quo T. Liuius, qui nobilissimus autor habitus est in Romana historia describẽda, sepultusq; fuit iuxta oppidum Tomos, vt Eusebius testatur. Permulti scriptores cum veteres, tum inniores, deplorarunt obitũ illius vt indignũ atque miserabilem, habita detestatione tam sæuæ, tamque calamitosæ relegationis: sed eleganter in primis, & copiosè, vt ego existimo, Angelus Politianus id fecit his versibus:

Et iacet Euxinis vates Romanus in oris:
Romanum vatem barbara terra tegit.
Terra tegit vatẽ, teneros qui lusit amores,
Barbara: quam gelidis alluit Ister aquis.

Nec

Nec te Roma pudet, quæ tanto immittis alũno
Pectora habes ipsis barbariora Gethis?
Ecquis Io Musæ Scythicis in finibus ægro
Tædia qui morbi demeret vllus erat?
Ecquis frigidulos qui lecto imponeret artus,
Aut qui dulciloquo falleret ore diem?
Aut qui tentaret salientis tempora venæ,
Aut fomenta manu qui properata daret?
Conderet aut oculos media iam morte natãtes
Aut legeret summã qui pius ore animã?
Nullus erat, nullus, veteres tu dura sodales
Heu procul à Ponto martia Roma tenes.
Nullus erat, procul ah coniunx, paruiq; nepotes
Nec fuerat profugum nata sequuta patrem.
Scilicet immanes Beßi, flauiq; Coralli,
Aut vos pelliti saxea corda Gethæ:
Scilicet horribili dederit solamina vultu
Sarmata ab epoto sæpe vehendus equo.
Sarmata, cui rigida demisso in lumina frontem
Mota pruinoso tempora crine sonant:
Sed tamẽ & Beßi extinctũ, & fleuere Coralli,
Sarmataq;, & durus cõtudit ora Gethes.
Extinctum & montes flebant, & sylua, feræq;
Et flesse in medijs dicitur Ister aquis.
Quinetiam pigro concretum frigore Pontum
Nereidum lacrymis intepuisse ferunt.
Accurrére leues Paphia cum matre volucres
Arsuroq; faces supposuere rogo.
Quem simul absumpsit rapidæ violẽtia flammæ

Reliq

Reliquias tecto composuere cado.
Impositúmque breui signarunt carmine saxũ:
Qui iacet hic, teneri doctor amoris erat.
Ipsa locum latè sancto Cytherea liquore
Irrorat niuea terq; quaterq; manu.
Vos quoque Pierides vati libastis adempto
Carmina: sed nostro non referendo sono.

CASSIVS SEVERVS.

CAPVT XLVII.

CAssius Seuerus patria fuit Parmensis, vt ab autoribus traditur. Grammatici veteres referunt, eũ scripsisse Elegiacũ carmen, & Epigrãmata, neque à studio Tragœdiarum abfuisse. P. Ouidius enumerat hunc Seuerũ inter eos poëtas, qui sua ætate claruerunt, vt Sabinus, Montanus, Melissus, Propertius, & alij plures. Relatũ est, eundem Cassium in acie versatum, & pro Bruto & Cassio strenuè operam suã nauasse: quibus superatis Athenas se recepit ad studia literarũ: ibiq;, dum in otio versatur, à Quinto Vario dicitur interfectus, opera & consilio Octauij Augusti. Illud notissimũ est, Horatiũ Flaccum infenso animo fuisse cõtra hũc Cassiũ, quod ab eo pluribus locis demonstratur: sed præcipuè Iambico carmine, quo poëtam Archilochũ expressit. Nã cõcitato animo, atque acri illũ est insectatus. Neque me præterit quãtũ decipiãtur quidã nostra ætate, qui Cornelium Seuerum pro Cassio temerè acceperunt.

Biblioteca de Galicia

perunt. Fuit alter Cassius Seuerus ijsdem fermè tẽporibus, qui in causis, ac Romana eloquẽtia magnopere excelluit. De quo diximus satis in libris de Oratoribus.

DOMITIVS MARSVS.

CAP. XLVIII.

DOmitius Marsus poëta insignis est habitus in scribendis Epigrämatis, vt veteres testantur. P. Ouidius & hunc ipsum nominat inter poëtas sui temporis: vt Cor. Seuerum, Montanum, Pedonem, Rabirium, & reliquos. Laudantur eius Epigrammata, cùm ab alijs, tum à Val. Martiale, qui ad exemplum illius lasciuam verborum licentiam excusat in suis carminibus. Idem Marsus composuit Bellum Herculis contra Amazones: eóque argumẽto vocauit Amazonidem suum opus, in quo non magnam laudem adeptus est, vt ex antiquis autoribus possumus colligere: vulgatis versibus, in quibus poëtæ Persio postponitur. Melenẽ puellã dilexit, eamq; celebrauit lõgo carmine, vt Catullus Lesbiã. Quocirca sic de Marso Val. Martialis:

Nota tamen Marsi fusca Melenis erit.

Citatur hoc carmen Marsi de Orbilio Grammatico:

Si quos Orbilius ferula, scuticaq; cecidit.

Fuit enim Orbilius paulo asperior in discipulos, & ob id ab Horatio plagosus vocat. Hæc

Biblioteca de Galicia

sunt quæ legimus apud veteres de Domitio Marso.

IVLIVS MONTANVS.

CAP. XLIX.

IVlius Montanus in poëtica nobilis habitus est: à P. Ouidio refertur inter eos poëtas, qui sua ætate claruerunt, vt Sabinus, Melissus, Priscus, Camerinus, Marius, Seuerus, & alij plures. Primum tempus Causis, atque Declamationibus dedit, suúmque ingenium diligẽter excoluit cum Cæstio, Arellio Fusco, Asinio, Marcello Aesernino, & alijs. Commendatur præcipuè Montani vrbanitas & lepor. Quò factum est, vt Tib. Cæs. pergratus haberetur. Scripsit poëmata versibus hexametris, ac pentametris, in quibus non vulgarem laudem meruit, vt copiosè asserunt Ouidius, & Anneus Seneca. Reprehensus est à quibusdam, quòd in suo carmine parum prudenter quædam repeteret, quo vitio & Ouidius dicitur laborasse. Quocirca dictum pereleganter est à Scauro, non minorem esse virtutem Scire desinere, quàm scire dicere. Referuntur ab antiquis Montani versus, in quibus ortum Solis, atque occasum descripsit. Vnde festiuè dictum commendatur Naclæ viri clarissimi. Carmen id est:

Incipit ardentes Phœbus producere flammas,

Spar

Spargere se rubicunda dies: iam tristis hirundo
Argutis redit vsa cibis, immittere nidis
Incipit, & molli partitos ore ministrat.

Et paulò mox.

Iam sua pastores stabulis armenta locarunt,
Iam dare sopitis nox pigra silentia terris.

C. GERMANICVS AVGVSTVS. CAP. L.

CAius Germanicus Augustus ex nobilissima Claudiorum Familia ortus est, patre Druso, ac diligenti cura in Vrbe eruditus. Tantum profecit sub primam adolescentiam in optimis disciplinis, vt incredibile dictu sit, quantum ab antiquis scriptoribus commendetur. Suetonius ac Fabius Quintilianus maximis laudibus eius ingenium, atque operã extollunt, etsi paulò iunior ea ipse composuit. Idem Germanicus in causis præterea versatus est, & his quidem triumphalibus. Inter alia studia Græcas comœdias à se editas reliquit, & opus Arati de rebus cœlestibus in Latinos numeros conuertit, nihil commotus, quòd à M. Tullio foret interpretatum, vt obseruatum est ab Hieronymo. Quintilianus inter poëtas heroicos hunc cõstituit, quo loco enumerat Val. Flaccum, Saleium Bassum, Rabirium, & Lucanũ. Quid, inquit, Germanici operibus sublimius,

Biblioteca de Galicia

mius, doctius, & omnibus denique numeris præstantius? Quis bella canere melius potuit, quàm qui sic egerit? Reliqua omittimus, ne videamur plura nunc repetere, quàm institutum opus patitur. Cognomen Germanici à deuictis Germanis reportauit, contra quos magno exercitu, ac summis viribus dimicauit. Vxorem Agrippinam habuit M. Agrippæ filiam, & ex ea liberos plures procreauit. Traditum est, eum obiisse in vrbe Anthiochia, quum quartum ac XXX. annum ageret: neque sine suspicione veneni. Tiberio autore talis facinoris, vt Suetonius putauit. Quæ res credita est, non modo propter liuores, qui toto corpore extiterunt: sed ex ipso etiam corde, quod igni admotum cremari haud potuit. Publius Ouidius opus suum de Romanis Fastis ad hunc Germanicum misit, eiusque doctrinam tanti fecit, vt inter egregios poëtas illius nomen retulerit, Nec defuerunt, qui existimarent ab eodem Germanico compositum fuisse epigramma illud vulgatum de puero Thracensi: quod equidem propter egregiam, singularemque in eo genere elegantiam subiiciendum existimaui.

Thrax puer astricto glacie dum luderet Hebro,
Frigore concretas pondere rupit aquas.
Dumque imæ partes rapido traherentur ab amni,

Præ

Biblioteca de Galicia

Præsecuit tenerum lubrica testa caput.
Orba quod inuentum mater dū cōderet vrna.
Hoc peperi flammis, cætera, dixit, aquis.

CAESIVS BASSVS.

CAP. LI.

Caesius Bassus inter Poëtas Lyricos relatus est. Floruit ætate Claudij principis, & vsque ad Flauiorum Imperium peruenit: quod ipsum Fabius Quintilianus testator, qui refert illum à se visum, quo tempore libros suos de oratoria institutione componeret. Fuit hoc obseruandum ea ratione, vt facilius deuitemus illorum errorem, qui parum prudenter de Cæsio Basso disserunt. Idem libros aliquot scripsit vario & multiplici carmine, vt Flaccus apud nos, & Pindarus apud Græcos. Veteres autores quī de poëtis Lyricis agunt, Horatium Flaccum, & Cæsium Bassum præcipuè enumerant, qui legi mereantur. Diomedes quoque Grammaticus Molossicos numeros refert, qui durissimi habentur, à Cæsio Basso compositos. Amicos habuit Publium Ouidium, & Persium Satyrarum scriptorem, qui ad hunc Bassum scribens, ita illum alloquitur:

Admouit iam bruma foco te Basse Sobino?
Iámne lyra, & tetrico viuunt tibi pectine
chordæ?
Mire opifex numeris veterum primordia vo
cum

Biblioteca de Galicia

Atque marẽ ſtrepitũ fidis intẽdiſſe Latinæ,
Mox iuuenes agitare iocos: et pollice honeſto
Egregios luſiſſe ſenes?

Neque deſunt, qui ſcribant, eundem Caſium cum villa ſua conflagraſſe, ardente Veſeuo mõte, ignibus latè æſtuantibus. Celebres fuerunt ijſdem temporibus Aufidius Baſſus hiſtoriæ autor, & Saleius Baſſus Poëta Epicus. De vtroque dicemus ſuis locis.

AEMILIVS MACER VERONENSIS. CAP. LII.

AEmilius Macer patria Veronenſis fuit, vt quidam exiſtimant: ingenio & doctrina traditur præſtitiſſe, quod eius carmen ſatis indicauit. Floruit his maximè temporibus, quibus Meſſala Coruinus, & Aſinius Pollio in Latina eloquentia claruerunt. Id cùm aliis multis colligitur, tum ex Pub. Ouidio, qui comes illi fuit, dum iter faceret in Aſiam ac Siciliæ regionem perluſtraret, Amicos præcipuè habuit Albium Tibullum, & Ouidium ipſum: cum quibus propter ſuauitatem morum, atque communia ſtudia magna familiaritate verſatus eſt. Idem Macer, præter opus de bello Troiano, ſcripſit etiam libros de venenatis animantibus ac de herbis, ſecutus Nicandrum poëtam Colophonium.

In quib

Biblioteca de Galicia

In quibus non mediocrem laudem tulit suæ diligentiæ, atque laboris. Fabius Quintilianus elegantiam carminis in hoc Poeta commendavit, ac legenda quidem esse illius opera refert, etsi ad eloquentiam oratoris non multum pertinere videantur. Nonius Marcellus Aemilium Macrum citat in Theogonia, referens id carmen:

Et nunc agrestes inter Picumnus habetur.

Obyt in Asia paucis annis post Publiũ Vergilium, vt ab Eusebio relatum est.

C. RABIRIVS. CAP. LIII.

CAius Rabirius Poëta insignis habitus est, vt à multis traditur. Fabius Quintilianus, censor omnium penè scriptorum, posuit hunc Rabirium in eorum Poëtarum numero, qui Epici appellantur: sicuti Varronem Atacinũ, Coruinium, Seuerũ, Saleiũ Bassum, Lucanũ, & alios. Laudatur maximè ab Anneo Seneca, & Ouidio, quòd in suis carminibus multum animi ac virium demonstrauit. Verba Senecæ hæc sunt de Rabirio: Egregiè mihi videtur M. Antonius apud Rabirium Poëtam exclamare, quum fortunam suam ad alios transeuntem videt, nihilq; aliud sibi relictum, præter ius mortis:

Hoc habui, quodcunque dedi.

Parum mihi compertũ est, an idem sit hic Rabirius,

Biblioteca de Galicia

birius, qui Satyras scripserit. quod à Fulgentio refertur. Rabirius, inquit, in Satyris de Mecennia:

Abstemiũ temulenta fugit Mecẽnia nomẽ.

Hæc sunt quæ legimus de C. Rabirio apud veteres autores.

L. ANNEVS SENECA TRAGICVS. CAPVT LIIII.

LVcius Anneus Seneca, natione Hispanus, patria Cordubensis fuit: inter Poetas refertur, qui Tragœdias scripserunt, vt Pacuuius, Accius, Attilius, & Pomponius, Secundus, qui eadem ætate claruit, & cum ipso Seneca paribus studijs versatus est in faciendis Tragœdijs, vt Fabius Quint. testatur. In magno pretio habitus est, & ob elegantiam ingenij plurimum commendatus. Scripsit Tragœdias x. in quibus propter sublimitatem carminis grauitatémque sententiarum, non vulgarem laudem consecutus est, etsi tempora illa, in quæ incidit, magna ex parte aduersa extiterunt melioribus disciplinis. In suis fabulis Euripidẽ atque Aeschylũ traditur imitatus. Quæ res facilè intelligetur ab his, qui paulò diligentius eas obseruabunt. Qui scribunt Poëtã hunc filiũ fuisse Annei Senecæ, qui in Stoicorum disciplinis magnoperè claruit, coniecturis tantũ nituntur: neque hanc rem, vt ego existimo

ſtimo, vllis autoribus aſſerunt. Minimè autem dubium eſt, duos fuiſſe Senecas, quorum alter in Philoſophiæ ſtudijs præclarus atque excellens habitus eſt, eumq; diuus Hieronymus propter egregiam illius probitatem, ſingularemq; vitæ conſtantiam, vt puto, inter autores Chriſtianos collocauit. Quæres optimis rationibus & antiquis ſcriptoribus probatur. Val. Martialis duos celebrat Senecas, & vnicum Lucanum ex eadem Corduba, Sidonius Apollinaris in ſuis poëmatis ſic de Anneo Seneca ſcribit ad Felicem eo carmine, in quo de Latinis poëtis diſſerit.

Non quòd Corduba præpotens alumnis,
Facundum ciet, hic putes legendum:
Quorum vnus colit hiſpidum Platona,
Incaſſumq; ſuum monet Neronem:
Orcheſtram quatit alter Euripidis,
Pictum ſæcibus Aeſchylum ſecutus.
Aut plauſtris ſolitum ſonare Theſpim:
Qui poſt pulpita trita ſub cothurno
Ducebat olidæ patrem capellæ.

Ex his manifeſtè colligitur, quid exiſtimari debeat de vtroq; Seneca: præcipuè hoc quod elici poteſt ex octaua eiuſdem Tragœdia, in qua Neronis ſcelera & crudeliſſima flagitia copioſè enumerantur. Grammatici veteres videntur maximi feciſſe, præter cæteros omneis, Pacuuium & Accium in ſcribendis Tragœ-

Biblioteca de Galicia

dijs, vt alibi diximus. Non me præterit, quàm multa scripta sint de hoc Seneca à Xicone Poletano: sed hic mihi videtur abuti sua diligentia, & aliorum iudicium contemnere, qui tam anxiè defatigatur in re minimè dubia explicanda.

C. ASINIVS GALLVS.

CAP. LV.

CAius Asinius Gallus patrem habuit Asinium Pollionem, virum consularem, & in Romana eloquentia excellentem. Filius Asinius, diligentia & studio parentis, secutus est primò disciplinam paternam: deinde in poëtica suum ingenium præcipuè excoluit. Anneus Seneca, & alij veteres, oratorẽ & poëtã hunc faciunt. Afferuntur à nostris Grammaticis versiculi aliquot Galli Asinij, ex quibus apparet, quantum valuerit in scribendis Epigrammatis & acumine, & gratia. Fecit inter cætera carmen de Pomponio Grammatico, quem pugilem fuisse iocatur. C. quoque Plinius de Asinij epigrammatis meminit in epist. ad Põtiũ: dicit enim scriptos libros à Gallo Asinio de cõparatione patris & Ciceronis: in quibus amores M. Tullij cum suo Tirone retulerit. Itaque sic Plin. de Poëta Gallo:

Cumq; libros Galli legerẽ, quibus ipse parẽti
Ausus de Cicerone daret palmãq;, decusq;
Lasciuum inueni versum Ciceronis, & illo

Spe

Spectandũ ingenio, quo seria cõdidit, & quo
Humani salibus, multo varióque lepore,
Magnorũ ostendit mentes gaudere virorũ,

Celebrantur adhuc carmina quædam sub nomine Galli Asinÿ de puero Hippolyto, quem vnicè dicitur dilexisse: sed parum mihi compertum, an hoc asseratur à probis autoribus. Quidam scripserunt hunc Gallum Tiberio principi inuisum, & ob id magnis supplicijs ab eo fuisse occisum.

A. PERSIVS FLAC. CAP. LVI.

AVlus Persius Flaccus Volaterris Hetruriæ oppido natus est. Quidam existimarunt Lunis, quòd hoc videatur insinuari ab ipso Persio. Eusebius certè & Grammatici veteres Volaterranum faciunt. In secundo ordine permansit, vt adnotatum est. Constat eum claruisse ijsdem fermè temporibus, quibus Domitius Nero Imperium Romanæ Vrbis suscepit. In Grammatice præceptorẽ habuit Rhemnium Palæmonẽ Vicentinum, qui grauissimas inimicitias dicitur exercuisse cum M. Varrone: in Rhetorice Flauiũ Verginium, si fides adhibeatur Grammaticorum cõmentarijs, qui eundem Persium exposuerunt. Anneum verò Cornutum, qui philosophiæ studio excelluit, magnæ diligentia, singulariq; obseruatione coluit, cumq; eo familiarissimè diu vixit. Qua in re mirificè gratulatur Persius sibi ipsi, quòd sibi contigerit

Cor-

Cornutum habere præceptorem, optimamque illius disciplinam, atque institutionem sequi: vt amicè ac liberè ad eum scribit:

Cúmque iter ambiguũ, & vitæ nescius error
Deducit trepidas ramosa in compita mẽtes,
Me tibi supposui, teneros tu suscipis annos
Socratico Cornute sinu.

Amicos præterea maximè dilexit Anneum, Lucanum, Cæsium Bassum, qui in lyricis carminibus claruit, & Macrinum: quòd apertè colligitur, cùm ipsius Persij versibus, tùm veterum commentarijs. Probis moribus fuit, & egregia vitæ integritate. Quocirca continere se non potuit, quin ipsum quoque Neronem, eiusque iniquissima flagitia liberius accusaret, vt qui sub Midæ regis nomine illũ irriserit satyrica quadam vrbanitate. Sed admonente Cornuto, carmen immutauit. Composuit Satyras numero sex, præfatus in his multum se laboris atque diligentiæ posuisse, neque se repẽte poëtam prodijsse. Non desunt, qui scribant imperfectum fuisse hoc opus à Persio relictum: quod mihi verisimile videtur, propter immaturum illius obitum. Cùm publicarentur Persij Satyræ, mirum est, quàm fuerint iudicio eruditorum approbatæ. Itaque maiorem laudem atque ampliorem commendationem meruit, quàm grande illud, atque onerosum poëma Marsi, quod Amazonidis nomine inscripsit, vt Fabius, & Valerius

Biblioteca de Galicia

rius Martialis testantur:

Sæpius in libro memoratur Persius vno,
Quã leuis in tota Marsus Amazonide.

Secutus est in scribendis Satyris poëtam Lucilium, qui acerrimus fuit in notandis, atque insectandis Romanorum vitijs. Relatum est ab Eusebio, eum periisse, quum nondum XXX. vitæ annum compleuisset. Quo tempore Nero imperator omnium scelerum cumulatissimus cum cantoribus ac scenicis hominibus in theatro decãtauit. Habitus est in maximo pretio alter C. Persius ob singularem doctrinam, cuius iudicium atque grauissimam censuram Lucilius reformidare se dixit: Sed hæc suo loco exponentur.

CORNELIVS SEVERVS.

CAP. LVII.

Cornelius Seuerus inter poëtas Epicos relatus est ab antiquis autoribus. Ingenio fuit magno, & in scribendis versibus facili. Constat eundem diu fuisse versatum in agendis declamationibus, qua in re ingenium suum atque eruditionem maximè probauit, quum in eodem officio forent alij complures, vt Asinius Pollio, Põpeius Silo, Arellius Fuscus, Sextilius Hæna, Castius Pius, Porcius Latro, & Aufidius Bassus. A Fabio Quintil. ita commẽdatur, vt versificator, quàm poëta melior habitus sit. Scripsit inter alia multa opus de bello Siculo

Siculo quod ab eo absolutum non est. propter importunum obitũ. Quod si potuisset illud perficere ad exemplum primi libri, meritò sibi secundum locum vindicasset, vt ab eodem Fabio relatum est, qui alia inquit Seueri opera maximam indolem & admirabilem gratiam indicasse. Afferuntur versus Corn. Seueri à nostris Grãmaticis, ex quibus colligi potest, quãtum præstiterit ingenio & doctrina. Sed apponemus carmen illud, in quo eleganter desleuit interitum M. Tullij. Quod etiã ab Anneo Seneca magnopere commendatum est:

Oraq; magnanimũ spirantia penè virorum
In rostris iacuere suis: sedenim abstulit omnes
Tanquam sola foret rapti Ciceronis imago,
Tunc redeunt animis ingentia consulis acta,
Iuratæq; manus deprehensaq; fœdera noxæ,
Patriciumq; nefas, est nũc & pœna Cethegi:
Deiectusq; redit votis Catilina nefandis.
Quid fauor aut cæt⁹ pleni qd honorib. anni
Profuerunt? sacris exacta quid artibus ætas?
Abstulit vna dies cui decus: ictaq; luctu
Conticuit Latiæ tristis facundia linguæ:
Vnica sollicitis quondam tutela, salusq;:
Egregium semper patriæ caput: ille senatus
Vindex, ille fori, legum ritusq;, togæq;,
Publica vox sæuis æternũ obmutuit armis,
Informes vultus, sparsamque cruore nefando
Canitiẽ, sacraque manus, operũq; ministras

Tam

Biblioteca de Galicia

Tantorum, pedibus cuius proiecta superbis
Proculcauit ouans: nec lubrica fata, deósque
Respexit: nullo luet hoc Antonius æuo.
Hoc neq; ī Hemathio mitis victoria Persæ,
Nec te dire Siphax, non fecit in hoste Philippo:
Iuq; triumphato ludibria cuncta Iugurtha.
Affuerat, nostræq; cadēs ferus Annibal iræ
Membra tamen Stygias tulit inuiolata sub umbras.

Idem Cornelius carmen fecit de Aetna monte, quo non vulgarem laudem consecutus est, quum alij quoque in eadem materia se exercuerint: vt Publius Vergilius, & Ouidius. Hæc sunt quæ legimus de Cornelio Seuero.

M. ANNEVS L. CANVS.

CAP. LVIII.

MAr. Anneus Lucanus natione Hispanus, patria Cordubēsis fuit, Patrem habuit L. Anneū Melā, qui habitus est Senecæ & Gallionis frater, vt obseruatū est in Annalibus Eusebij. Natalis eius traditur C. Cæs. Germanico iteriū, & L. Cæsiano Coss. Delatus est ad Vrbē, quū in prima adhuc infantia esset, quò facilius pro ætate in bonis disciplinis cultū ingenij caperet. Adolescēs factus illustres habuit præceptores. In literis Rhemnium Palæmonem, qui principem locum inter omnes Grammaticos tenuit: in Rhetorica Flauium

Verg

Biblioteca de Galicia

Verginium Rhetorem illis temporibus nobiliſſimum. Tantúmque diligentia ſua ac facilitate ingenij profecit, vt Græcè ac Latinè declamaret non ſine ſumma admiratione audientium. Inter cæteros condiſcipulos Saleium Baſſum, & C. Perſium, qui Satyras ſcripſit, ſingulari beneuolentia dilexit, mutuisq; officijs proſequutus eſt. Apud Cæſ. Neronem permultum gratia & beneuolentia in prima ætate potuit: adeò illi efficax fuit ingenium ad promerendos, conciliandosq; ſibi animos hominum. Itaque non modò ad quæſturæ dignitatem proiectus eſt, ſed in Augurum quoque collegium aſcitus, compoſitis verſibus de laudibus Neronis. Non tamen permanſit in gratia apud eum principē, qui alienas laudes moleſtiſſimo animo ferret: quiq; in repellendis, opprimendisq; aliorum virtutibus acerrimus ac ſæuiſſimus fuit. Vxorem habuit nomine Pollam Argentariam, cuius ingenio atque doctrina multa referuntur à Sidonio Apollinare, & Papinio, qui maxima quadam reuerentia inquit ad natalem Lucani celebrandum ſe accedere: & eſſe hoc imputandum Pollæ Argentariæ: cuius eruditio atque nobilitas ſumma fuit. Valer. quoque Martialis multis carminibus natalem Lucani deſcribit: quale eſt illud contra Neronis iniquitatem:

Hæc eſt illa dies, quæ magni conſcia partus

Lu-

Lucanum populis, & tibi Polla dedit.
Heu Nero crudelis, nullaq; inuisior vmbra,
Debuit hoc saltem non licuisse tibi.

Enumerantur à Grammaticis nostris, præter opus de bello Cæsaris & Pompeij, complura alia ab eodem Lucano composita, in quibus maximam laudem adeptus est ingenij & doctrinæ. Scripsit enim Saturnalia, Syluarum libros x. Tragœdiam Medeam, quam non absoluit: de incendio vrbis, de incendio Troiæ cum Priami calamitate, Orpheum, Fabulas complures, & epistolas. Ex libris Pharsaliæ treis primos emendauit, cum vxore Argentaria, reliquos imperfectos atque inemendatos reliquit, propter intempestiuum interitum. Fab. Quintilianus autor est, Lucanum ipsum magis annumerandum esse oratoribus, quàm poëtis. Est, inquit, ardens & concitatus, sententiisque clarissimis excellens. In concionibus admirandus atque excultus, adeò vt videatur satis exprimere singularem illam elegantiam & maiestatem Vergilij. Sunt qui scribant, eum periisse florenti adhuc ætate, cùm nondum xxx. annum attigisset: sed referendum id verbis Corn. Taciti, qui de hoc agit in gestis Neronis. Attico Vestino & Silio Nerua Coss. facta est conspiratio contra Neronem Imperatorem principe tam præclari facinoris C. Pisone. Lucanum propriæ causæ ad hoc accende-

Biblioteca de Galicia

bant, quòd famam carminum eius Nero deprimebat, prohibuerátque ostentare, vanus assimulatione. Patefacta autem coniuratione Lucani cædem imperauit Nero. Is brachium dedit medico ad secandas venas: & vbi profluente sanguine pedes frigescere, manusq;, & paulatim ab extremis cedere spiritum, feruido adhuc, & compote mentis pectore, intelligit: recordatus à se carmen compositum, quo vulneratum militem per eiusmodi mortis imaginem obijsse tradiderat, versus ipsos retulit: eáque illi suprema vox fuit. Visitur adhuc Romæ in marmoreis monumentis id elogium de Lucano priscis literis: M. ANNEO LVCANO CORDVBENSI POETAE BENEFICIO NERONIS CAES. FAMA SERVATA. Sed apponendū præterea est carmen illud vulgatū de ipso Lucano:

Corduba me genuit, rapuit Nero: prælia dixi,
Qua gessere pares: hinc socer, inde gener.
Continuò nunquam direxi carmina ductu,
Quæ tractim serpant: plus mihi comma placet.

POMP. SECVNDVS.

CAP. LIX.

POmponius Secundus nobili ac illustri familia natus, ijsdem temporibus claruit in Vrbe, quibus optimi rhetores habiti sunt Porcius Latro, Domitius Afer, & Albutius Silo. Inter

Inter eos poëtas refertur, qui tragœdias composuerunt: vt Accius Pacuuius, & Attilius. Relatum est à Fab. Quintiliano, longè omnium excelluisse hunc Pomponium in eo genere carminis, quos ipse viderit. Tanta enim doctrina, atque sublimitate excelluit, vt vulgò sit appellatus Pindarus Tragicus. Multa de Pomponio traduntur ab antiquis scriptoribus, quæ copiosè indicant vixisse illum in summa dignitate, & gratia apud nobiliores ciuitatis. Quod & C. Plin. asserit, qui duos libros composuit de vita & moribus Pomponij Secundi: tantum illius nomini, summisque virtutibus concessit. Germanico Cæsari gratissimus fuit, quem aliquando cœna accepit, vt notatum est ab antiquis. C. Plin. eundem Pomponium ciuem, ac vatem clarissimum vocat, quo loco de monumentis Tiberij & Caij Gracchorum disserit. Afferuntur versus à Mauro Terentiano, & alijs veteribus: ex quibus facilè intelligitur quantum iacturæ factum sit, ex amissione Tragœdiarum Pomponij. De obitu illius nihil apud autores legimus.

CN. GETVLICVS.

CAPVT LX.

CN. Getulicus poëta nobilis habitus est in scribendis Epigrammatis, vt Grammatici nostri tradunt. Val. Martialis, ad exemplum Getulici, carmina sua excusat, si paulo

Biblioteca de Galicia

lasciuior in illis videtur. Relatum est ab antiquis scriptoribus, fuisse ab eo dilectam puellam nomine Cesenniam, magnóque studio celebratam, vt Corinnam ab Ouidio, Lesbiam à Catullo, Argentariam à Lucano: quod à Sidonio scribitur in epistola ad Hesperium. Val. Probus affert hos versus Getulici, cùm de cardinibus cæli loquitur:

Non aries illum verno ferat aëre cornu,
Gnosia nec geminos præcidũt cornua tãtum
Sicca Lycaonius resupinat plaustra Bootes.

Nominatur à Suetonio Tranq. Cn. Lentulus Getulicus sed in dubio est an idem haberi debeat, etsi temporum ratio satis congruit. Hæc sunt ferè, quæ de poëta Getulico legimus.

SEXTILIVS HAENA.

CAPVT LXI.

SExtilius Hæna natione Hispanus, patria Cordubensis fuit, ex eodem municipio, quo Lucanus poëta, Anneus Gallio, & vterque Seneca. Traditum est de hoc Sextilio, fuisse illum magis ingeniosum, quàm eruditum: & in suo carmine peregrinum quiddam, & inæquale retinuisse, vt est autor Seneca. Inter alia opera carmen composuit de laude & interitu M. Tullij, quod ab eodem recitatum est in ædibus Messalæ Coruini. Qua in re non prætermittam referre hoc loco, quod acciderit satis vrbanum ac lepidum de Asinio Pollione. Is enim

Biblioteca de Galicia

Is enim cùm esset conuocatus ad audiendum Sextilium, non potuit sibi temperare, quò minus indicaret, quàm infensus esset nomini M. Tullij: quámque iniquo animo illius laudes acciperet. Nam cùm principio Sextilius hoc carmen retulisset:

Deflendus Cicero: Latiæq; silentia linguæ.

Tum Pollio Asinius vehementer ea re permotus, Tu, inquit, Messala, videris quid tibi liberum sit in domo tua: ego istum non sum auditurus, cui videor mutus: & simul consurgens discessit, ne cæteros versus audiret. Permulta referuntur de hoc Sextilio, & eius ingenio, cùm alibi, tum apud Annæum Senecã in cõtrouersijs.

SALEIVS BASSVS.

CAP. LXII.

SAlcius Bassus ijs temporibus Romæ claruit, quibus in eloquentia nobiles habiti sunt Domitius Afer, Iulius Secundus, Trachalus, & Vibius Crispus, ingenio magno fuit, & in versibus componendis vehementer excitato. Inter eos poëtas relatus est, qui carmen heroicum decantarunt. Quintilianus Val. Flaccum, Saleium Bassum, & Rabirium inter Epicos nominat, quo loco Vergilium, Ennium, ac Lucanum ponit. Laudatur ab antiquis magnopere Saleius: neque tantùm vt vir optimus, sed vt poëta egregius, atque absolutissimus. Coluit præcipua beneuolentia, & vsu contu-

Biblioteca de Galicia

bernij, Lucanum Cordubensem, & Iulium Secundum, qui inter summos oratores suæ ætatis celebratur. Cæsar autem Vespasianus plurimi fecit Saleij ingenium, atque doctrinam: tantúmque illi concessit, vt inter illustria monumenta positum sit, Augustum Vespasianum quinquaginta H-S. elargitum fuisse Saleio Basso, propter ingenium, singularémque eruditionem. De quo scribuntur complura à Corn. Tacito. Iuuenalis quoque in Satyris de hoc Saleio meminit, eúmque tradit maximè nobilem fuisse, sed exiguo ac tenui censu. Hæc de Saleio poëta legimus.

CLODIVS SABINVS.

CAPVT LXIII.

CLodius Sabinus poëta satis nobilis, inter eos relatus est, qui Elegiacum carmen scripserunt. Primum tempus suæ ætatis in Causis, atq; Declamationibus collocauit cum Ouidio, Argentario, Corn. Seuero, & alijs. Qua in re magnam laudem consequutus dicitur & ingenij & vrbanitatis, vt est autor Anneus Seneca. Erat, inquit, Sabinus homo vrbanissimus, ac si quid illi defuit in eloquentia, vrbanitate ac salibus pensauit. Referuntur dicta illius complura, ex quibus colligitur, quàm comis, & ingeniosus fuerit Sabinus. Scripsit opus de bello Troiano, & item epistolas aliquot, quæ nostris temporibus leguntur, & ab Ouidio summa

summa laude commendantur. Periit immatura ætate, & ob importunum obitum non potuit incæpta opera perficere.

C. PEDO ALBINOVA.

CAP. LXIIII.

C. Pedo Albinouanus inter eos poëtas relatus est à veteribus, qui Epigrammata & Iocos scripserunt. Præcipuè claruit temporibus Neronis principis, ac in tenera ætate operam & studium posuit in declamationibus, quod ex Anneo Seneca facilè colligitur. Ouidius poëta enumerat hunc ipsum Pedonem cum illis, qui sua ætate carminum studio præstiterunt, vt Marsum, Rabirium, Macrum, Montanum, Sabinum, & alios plures. Ingenio eleganti & vrbano fuit, versatusq; est in scribendis epigrammatis non sine magna commendatione sui nominis. Itaque Val. Martialis refert se habere autores quos sequitur, Catullum, Pedonem, Marsum, atque Getulicum, & in primis cupere, vt sua carmina ad illorum æstimationem atque gratiam accedant. Idem Pedo laudatur ab Anneo Seneca, vt fabulator egregius, & maximè festiuus. P. Ouidium singulari beneuolentia dilexit: cumq; eo in iocis, & communibus studijs familiariter versatus est. Leguntur adhuc Pedonis versus, quos dixit nauigante Germanico in Alexandri deliberatione de transfretando Oceano

Biblioteca de Galicia

cum exercitu. Nos eos subijciemus, quò facilius iudicari possit de illius ingenio:

Iampridẽ post terga diem, solémque relictũ,
Iampridem notis extorres finibus orbis
Per non concessus audaces ire tenebras
Hesperij metas, extremáque littora mundi:
Nũc illũ pigris immania mõstra sub vndis
Qui ferat Oceanũ: qui sæuas vndiq; pistres
Aequoreosq; canes ratibus cõsurgere pãsis,
Accumulat fragor ipse met⁹, iã sidere limo
Nauigia & rapido desertã flamine classem
Seq; feris credunt per inertia fata marinis
Tam non felici laniandos sorte relinqui:
Atq; aliquis prora se dat sublimis ab alta
Aëra pugnaci luctatus rumpere nisu.
Vt nihil erecto valuit dignoscere mundo,
Obstructo tales effundit pectore voces:
Quò ferimur? ruit ipse dies, orbémque relictũ
Vltima perpetuis claudit natura tenebris.
An' ne alio positas vltra sub cardine gẽtes.
Atque aliũ libris intactũ quærimus orbẽ?
Dij reuocãt, rerumq; vetant cognoscere finẽ
Mortales oculos: aliena quid æquora remis
Et sacras violamus aquas? diuũmq; quietas
Turbamus sedes?

VOLCAT. SEDIGITVS.

CAP. LXV.

Volcatius Sedigitus in poëtica illustris est habitus, vt à C. Plinio refertur, qui hunc ipsum

Biblioteca de Galicia

ipsum locis pluribus celebrat. Gellius complures versus eiusdem Volcatij repetit in Atticis noctibus, ex quibus facilè colligitur, præstitisse illum ingenio, & multiplici doctrina. Neque desunt apud veteres, qui asserant appellatum fuisse Sedigitum ea ratione, quòd singulis manibus senos digitos haberet. Vnde & Horatij filiæ Sedigitæ nuncupatæ sunt, de quo scripsimus suo loco. Idem Volcatius librum composuit de Poëtis Latinis senarijs versibus: quo opere iudicem se, atque Criticum præbuit, in adnotandis atque iudicandis poëtis: quòd & Lucilius, & Horatius Flaccus fecerunt. Fuisse alterum Volcatium constat, qui Romæ nobilissimus est habitus, quiq; ius ciuile Cesellium edocuit. Quod & Caius Plin. commemorat.

Biblioteca de Galicia

PETRI CRINITI IN LIB. QVARTVM DE POETIS LATINIS. AD EVNDEM PRAEFATIO.

*

POSTEA quàm de his Poëtis Cosme Pont. Arretine accurati ac diligenter scripsimus, qui summa elegantia pariq; doctrina hu munus obierunt: reliquum est, vt de his etiam agamus, qui sequentibus seculis in hac studiorum facultate ingenium suum excoluerunt. Qua in re seruabimus rationem temporum, ne quis me ipsum parum diligentem existimet in his omnibus adnotandis, quæ ad inchoatum opus videantur pertinere. Neque prætest accidere aliquid mihi gratius, aut potius, quàm prosequi institutum nostrum, quòd à principio adolescentiæ certis atque optimis rationibus susceperi, peruigilandi in bonis studijs, eáque assiduè meditandi, quæ laborem atque diligentiam nostram virtuti atque posteritati commendent. Sed hæc aliàs transigemus: illud

illud abs te rogatum atque impetratum magnopere volumus pro tuo erga me animo, atque optima voluntate, vt Maximi Tyrij orationes, quas in Latinum sermonem paulò antè ex Græco conuertisti, ad nos aliquando mittas. Maiora enim ac longè grauiora in dies agitamus, quæ maturè ad frugem perducentur dijs beneuolentibus. Interim ad Statium Papinium & reliquos poëtas accedemus, quò cumulatius absoluamus hanc partem, & simul pleniori officio ingenijs consulamus. Neque te latet, magnum prouentum poëtarum extitisse his temporibus, vt Caius Plinius refert.

PVB. STATIVS PAP.
CAPVT LXVI.

PVblius Statius Papinius inter poëtas heroicos relatus, haud ignobili genere ortus est. Quidam scribunt, maiores eius oriundos Epiro, diúque versatos Sellis, non sine commendatione ingenij atque probitatis. Patrem Papinium habuit, qui ob insignem eruditionem, egregiasq; virtutes ciuitate Neapoli donatus est, in qua Statius poëta natalem suum habuit. Quæ res cùm locis multis indicatur, tum illis præcipuè carminibus, quibus Claudiam vxorem hortatur, vt relicta Vrbe, Neapolim se recipiat, quò liberius atq; facilius animo suo indulgere posset. Primam ætatem in studijs

Biblioteca de Galicia

dijs literarum & honestis disciplinis collocauit, diligentia Papinij patris institutus. Cumq; in poëtica facultate multum profecisset, breui tempore adeptus est summam celebritatem nominis. Vxorem habuit nomine Claudiam, quæ ingenio magno fuit, miniméque vulgari doctrina, vt ipse Statius alicubi refert. Quidam falsò existimarunt, eandem esse Pollam Argentariam, quæ vxor Annei Lucani fuit, vt dictũ est à nobis cõmodius. Composuit multa & varia poëmata, de quibus breuiter agendum est. Thebaidẽ libris XII. quos consecrauit Cæs. Domitiano. In hoc opere sequutus est magna ex parte poëtam Antimachum, qui pari argumento maximum atque operosissimum opus reliquit. Neque dubiũ est, poëtam Statium in eo absoluendo mira solertia vsum, & incredibili studio per XII. annos. Fatetúrque liberè, & ingenuè, se magnopere adiutum à parẽte suo in pernoscenda ac describenda locorũ historia: & à se editum atque publicatũ iudicio ac monitionibus Iunij Maximi, qui per ea tempora excelluit magna eruditione, & eloquentia. Deinde aggressus est scribere opus de Achille, in quo maiore spiritu, ac longiori carmine parabat exequi gesta illius, atque virtutes: sed per importunum obitum minimè potuit inchoatum opus perficere. Quidam existimarunt fuisse ab eo absolutum, ac maiori ex parte amissum

iniur

iniuria temporum. Syluarum libros quinque edidit, auſpicatus à Cæſare Domitiano, qui ſtudium poëticæ quantum potuit maximè ſimulauit. In his facilè probauit Statius, quantum faueret bonis ingenijs, quãtumq; amicorum ſtudijs atque officijs concederet. Idem tamẽ refert, ſe diu, multúmque dubitaſſe in his libellis emittendis, qui ſubito calore, & quadam feſtinandi voluptate fluxerunt. De his Apollinaris Sidonius meminit, magníſque laudibus proſequitur, non modò in Epiſtolis, ſed in ſuis etiam Hendecaſyllabis.

Non quod Papinius tuus, meuſq;
Inter Labdaicos ſonat furores:
Aut cùm fortè pedum minore rhythmo
Pingit gemmea prata ſyluularum.

Inter cæteros amicos præcipuè coluit Atteditũ Meliorem, Pollium Septimium, Stellam Patauinum, & Marcellum Victorium: ad quem Fabius Quintilianus libros ſuos miſit de oratoria inſtitutione. Cæſar Domitianus tantum ſtudij atque officiorum demonſtrauit erga poëtam Statium, vt eum quandoque ſuſceperit magnifico atque appãratiſſimo cõuiuio. De quo ſcriptum eſt carmen à Statio, adiecta laudatione principis, quem indulgentiſſimum vocat. Idem Domitianus donauit eum inſigni corona, & alijs muneribus, atq; dignitatibus honeſtauit. Filium amiſit, cùm in tenera ætate eſſet,

Biblioteca de Galicia

esset, cuius acerbum interitum defleuit pater modestissimus longiori carmine, vt habetur eo syluarum libro, quem Abascantio misit. Minimè dubium est, periisse Statium prouecta ætate, vt Grammatici nostri testantur. Neque inclinat animus, vt verum esse existimẽ, quod à quibusdam scribitur, fuisse illum stylo præacuto occisum à Cæsare Domitiano, cùm tam diligenter, tamq; officiosè multis ac varijs poëmatis blandiatur principi in extollendis atque assiduè celebrandis illius officijs. De Statio Cæcilio, qui nobilissimus habitus est inter Comicos, diximus suo loco.

SILIVS ITALICVS.

CAP. LXVII.

Silius Italicus poëta Heroicus, ex Hispania oriundus traditur, deducto genere ab Italica Vrbe nobili, vnde cognomẽ reportauit. Sed Romæ natus est, vt creditur, atque etiam educatus. Neque obscura fama est, principio adolescentiæ præ se tulisse optimam indolem capiendis literis: cúmque studio & diligentia vehementer præstaret, breui consequutus est, vt Romæ haberetur inter præcipuos oratores. Nam magna solertia, & incredibili cura conatus est exprimere Marci Tullij eloquentiam, quem præ cæteris omnibus sibi proposuerat ad imitandum. Sub imperatore Nerone dicitur famam suam læsisse accusatis atque insimulatis

nonnn

nonnullis apud sæuissimum principem. Cum Vitellio gessit se prudenter, & egregia vitæ honestate. Mox factus est Asiæ procōsul, in qua manifestò apparuit, quanta modestia præstaret: vt qui eam dignitatem gesserit singulari continentia, & integritate maxima. Domitiano Augusto gratissimus fuit, eo autore perductus est ad tertium consulatū honestissimis suffragijs. De quo leguntur adhuc versiculi poëtæ Martialis, quibus venerationem suā profitetur:

Augusto pia thura, victimasq;
Pro nostro date Silio camœnæ.
Bissenos iubet en redire fasces
Noto consule, nobiliq; virga
Vatis Castaliam domum sonare.
Rerum prima salus & vna Cæsar
Gaudenti supereſt adhuc quod optet,
Felix purpura: tertiusq; consul.

Caius Plin. permulta refert de poëta Silio in epistolis, qua in re minimè alienum fuerit particulā subijcere: quò facilius atque cumulatius percipiatur, quàm eleganti ingenio fuerit, atq; studioso, in prosequendis optimis exemplis. Plures villas (inquit) possidebat, adamatisque nouis, priores negligebat: multúmque vbiq; librorum, multumq; statuarum, multúmque imaginum, quas non habebat modò, verum etiam venerabatur: Vergilij ante omnes, cuius natalem religiosius, quàm suum celebrabat: maximeq;

meq; Neapolim, vbi monumentum eius, adire, vt templum solebat. Opus composuit libris XVII. de bello Punico secundo, non vulgari neque absurdo carmine: etsi illud maiore cura, vt traditur, quàm ingenio perfecit. Præcipuè Maronem imitatus est, cuius ingenium, atque felicissimam maiestatem admirabatur in describendis carminibus. De hoc poëmate Silij Valerius Martialis sic refert:

Sili Castalidum decus sororum
Qui periuria barbari furoris
Ingenti premis ore: perfidosq;
Fastus Annibalis, leuesq; Pœnos
Magnis cedere cogis Aphricanis,
Nostris otia commoda Camœnis.

Complura leguntur apud eundem Martialem de laude ingenij, atque optimæ eruditionis Silij, quæ hoc loco prætermittimus. In agro Neapolitano prædium habuit, in quo cùm frequenter eò secederet, maxima animi voluptate consueuit suum otium transigere. Neque dubium est, eundem ad extremam penè senectutem deueniisse, vt qui maior septuagenario vitam finierit: nam morbo detentus insanabilis claui, singulari constantia obitum præposuit. Felix propemodũ, ac beatus vsque ad extremum diem: vt copiosè relatum est à Plinio in Epistolis.

C. VAL.

Biblioteca de Galicia

C. VAL. FLACCVS SETINVS.
CAP. LXVIII.

CAius Valerius Flaccus Setinus inter eos qui heroica decantarũt, poëta multorũ iudicio admirandus. Patauinus fuit, iuxta Aponum natus, vt à veteribus traditum est, qui scribunt, eius patriam fuisse maximè insignem natalibus Liuij, Stellæ, & Val. Flacci. Itaque hunc ipsum Val. Martialis laris Antenorei alumnum appellauit. Alij Setinum crediderunt ex Setia Campaniæ Vrbe, quæ haud procul à Velitris fuit: vnde in magno pretio habita sunt Setina vina, vt ab antiquis scriptoribus relatum est. Et mirum videri debet, quanto spiritu Flaccus insurgat, quantáque ingenij felicitate in scribendo carmine præstet. Hic est ille Valerius Flaccus, in cuius obitu multum fuisse amissum, quæritur Fabius Quintilianus in libris ad Marcellum Victorium. Extant ipsius octo volumina de Argonauticis, quod opus dicatum est Cæsari Domitiano: vel, vt alij volunt, patri Vespasiano, quoniam sic ad eum scribat in ipsa præfatione operis:

Eripe me populis, & habenti nubila terræ
Sancte pater: veterumq; faue venerandaa canenti
Facta virûm: versam proles tua pandit Idumen:

Biblioteca de Galicia

Namque potes, Solymo nigrantem puluere fratrem,
Spargẽtemq; faces, & in omni turre furentẽ.

Scripturus erat multò plures libros, nisi mors intempestiua eum nobis eripuisset. Videtur autem in illis, qui supersunt, Apollonium Rhodium non tantùm argumento operis expressisse, sed etiam singulis quandoque carminibus. Atacinus quoq; Varro pari titulo composuit libros de Argonautis, quod alibi notauimus. Idem Flaccus inter amicos habuit Secundum, Maternum, Stellam, & Val. Martialem, qui ad eum scribit, eruditionémque illius magnopere extollit. Constat hunc mediocri censu ac penè tenui fuisse, & prædiũ possedisse exiguum, in quo (vt Martialis refert) Musarum curas reponeret. Itaque Martialis idem libere illum admonet, vt relictis Musis atque otio, malit in foro, & causis agendis versari, quoniam Poëtarum studia parui admodum censerentur, vt his versibus patet:

O mihi curarum pretium non vile mearum
Flacce Antenorei spes & alumne laris,
Pierios differ cantusq; chorosq; sororum.
Aes dabit ex istis nulla puella tibi.
Quid tibi cum Cyrrha? quid cum Parnesside vnda?
Romanum propius, diuitiusq; forum est.
Illic æra sonant.

Habuit

Biblioteca de Galicia

Habuit Flaccus puerum in delicijs, quẽ Amazonicum quidam appellant: eius formam, indolem, atque venustatem Martialis prosequitur eleganti epigrammate. De alio Flacco, qui epigrammata scripsit, suo loco diximus.

DECIVS IVNIVS IVVENALIS. CAP. LXIX.

DEcius Iunius Iuuenalis patria fuit Aquinas. Quæ res non modò percipitur ex inscriptione veterum codicum, sed his etiam versibus: qui sub persona Vmbricij dicuntur.

Ergo vale nostri memor, & quoties te
Roma tuo refici properãtẽ reddet Aquino:
Me quoque ad Eluinam Cererem, nostramque Dianam.
Conuelle à Cumis.

Natus est patre libertino, vt quidam credunt. Alij ab eo institutum, próque filio habitum dicunt. Temporibus Domitiani principis floruit, etsi ad Neruæ ac Traiani ætatem peruenit: quod indicatur multis atque varijs locis, præcipuéq; hoc carmine.

Et spes & ratio studiorum in Cæsare tãtum:
Solus enim tristes hac tempestate Camœnas
Respexit, cum iam celebres notiq; Poëtæ
Balneorum Gabijs, Romæ conducere furnos
Optarent.

In hoc enim gratulatur Neruæ, quòd inter alios principes, maximè præstaret summis offi-

Biblioteca de Galicia

cijs, atque effectibus in prosequendis, atque honestandis disciplinis. Quidam putarunt referendum esse ad Cæs. Domitianum, qui magnopere simulauit studium Poëticæ, vt autores sunt Tacitus & Suetonius. Frontonem grammaticum primò audiuit, summáque diligentia ab eo dicitur institutus: qui Romæ docuit illis temporibus magna celebritate nominis, vt Gellius testatur. Deinceps probauit ingenium suum in foro, & causis agendis. In quo magis videtur elaborasse pro veteri consuetudine declamandi, quàm vt versari diu vellet in eo studiorum genere. Neque desunt, qui referant, eruditum fuisse Iuuenalem præceptis atque institutionibus Quintiliani, qui per ea tempora maximè excelluit inter cæteros rhetores. Versatus est maximo studio in scribendis Satyris secutus exemplum Lucilij atque Horatij. Qua in re haud mediocrem laudem adeptus est iudicio eruditorum, compositis quinque voluminibus. In his enim facilè ostendit, quàm acrem se, atque violentum præberet accusandis atque insectandis hominum vitijs: vt qui molestissimo animo ferret, corruptos ciuitatis mores. Inter amicos præcipuo affectu coluit Volusium Bithynicum, & Coruinum. Val. quoque Martialis plurimum detulit Iuuenali, summque studium atque singularem beneuolentiam pluribus locis testatus est, vt his versibus

sibus apparet:

Cũ Iuuenale meo, quæ me committere tentas,
Quid non audebis perfida lingua loqui?

Quidam grammatici tradunt eundem accessisse ad vltimam senectutem, & in remotissimam Aegypti partem missum à Cæs. Domitiano sub prætextu demandatæ dignitatis, ibiq; senio confectum, ac nimio vitæ tædio periisse: quod ego nondum reperio apud eos autores, qui pro receptis ac fide dignis habentur.

ARVNTIVS STELLA PATAVINVS. CAP. LXX.

ARuntius Stella nobili genere natus est, familia honesta & consulari. In qua seruato à maioribus ordine perpetuam dignitatem retinuit. Id satis colligitur ex his versibus Poëtæ Papinij:

-Clarus de gente Latina
Est iuuenis, quem patricijs maioribus ortum
Nobilitas gauisa tulit, præsagaq; formæ
Protinus è nostro posuit cognomina cælo.

Val. Martialis oriundum Patauio refert, cùm scribit Aponi regionem magno pretio haberi ob natalem Liuij, Stellæ, ac Flacci. Claruit autem per ea maximè tempora, quibus Flauij Cæsares Romæ imperarunt: tantúmque scribendis carminibus dicitur præstitisse, vt inter optimos poëtas habitus sit in poëmatis absol-

Biblioteca de Galicia

uendis: vt satis testantur Martialis, & Papinius, qui eundem Stellam clarissimum Poëtam vocat. Violantillam puellam Neapolitanam cùm vehementer diligeret, impetratis nuptijs vxorem accepit. De quibus complura leguntur apud veteres. Martialis eam appellat Ianthidam Græco nomine. Idem Stella vsus est magna familiaritate cum Iulio Secundo, & Val. Martiale. Papinius verò tanti fecit ingenium atque eruditionem Stellæ, vt minimè dubitauerit, dicare illi sua poëmata, eiusq; laudes & epistolis & carminibus editis prosequi. Inter alia quæ dicuntur à Stella composita, Elegiæ ponuntur, & opus de Asteride. Sed in primis laudatur eiusdem Poëma de interitu Columbæ. Quod à Martiale præpositum est Catullianis versibus de passere Lesbiæ: sic enim refert:

Stellæ delicium mei Columba,
Verona licet audiente dicam,
Vicit Maximi Passerem Catulli.

Quantum præstiterit in vrbe publicis dignitatibus atque honoribus, satis explicatur à Papinio in syluis. Non enim prætor tantùm creatus est, sed etiam Duumuir: quocirca magnam gratiam, singularémque commendationem suæ virtutis reportauit. Hæc sunt quæ legimus de poëta Stella in veterum commentarijs.

MAR

M. VALERIVS MARTIALIS.

CAP. LXXI.

MAr. Valerius Martialis genere Hispanus fuit, Balbili natus, haud ignobili oppido Celtiberiæ, vt veteres autores tradunt: & ipse Martialis cum pluribus locis demonstrat, tum maximè his versibus ad Licianum municipem suum:

Vir Celtiberis non tacende gentibus,
Nostræq; laus Hispaniæ,
Videbis altam Liciane Bilbilim
Equis & armis nobilem.

Sub primam ætatem profectus est ad vrbem Romam, quo facilius in literarum studio versari posset, suumq; ingenium erudire. Sed cùm agendis causis minimè se idoneum videret, omnem operam atque diligentiam retulit ad scribenda epigrammata in quibus magnopere excelluit iudicio veterum. Maximè autem valuit in promerendis sibi, atque conciliandis hominum studijs, adeò vrbanitate & salibus præstitit. Relata sunt à C. Plinio permulta de ingenio & eruditione Val. Martialis: quibus satis colligere possumus, quanti fecerit hunc ipsum poëtam, quantúmque illius versibus oblectari consueuit. Sic enim scribit: Fuit Martialis ingenio acri, & qui plurimum in scribendo & salis haberet, & fellis, neque candoris minus. Itaque minimè mirari oportet, si Aelius

Biblioteca de Galicia

Verus Imperator, qui Cæsari Hadriano gratissimus fuit, solitus est singulari affectu prosequi lepores atq; iocos poëtæ Martialis, suúmque Vergiliũ vocare. Neque dubiũ est, illũ Romæ publicis honoribus ornatum, atque honestatum fuisse. Nam equestri dignitate donatus est, & prætura, & iure trium liberorum, vt ipse de se testatur. Libros XII. *epigrammatôn composuit miro ingenio, & singulari vrbanitate, quibus adiecit Xenia, & Apophoreta, libellis duobus absoluta. In his secutus est Marsum poëtam, Pedonem, atque Getulicũ, quorũ exẽplo seipsum tuetur, ac lasciuam verborum licentiam excusat. Valerium quoque Catullum, & Licinium Caluum plurimi fecit, qui in hoc scribendi genere insignes habiti sunt. In duodecimo libro Neruæ atque Traiano Imper. blanditus est, damnatis temporibus Domitiani Cæs. Ad eundem refertur spectaculorum liber, qui extra ordinem aliorum habetur à nostris grammaticis, vt vetusti codices probant. Inter amicos præcipuè habuit Stellam Patauinum, Decianum, Silium Italicum, Val. Flaccũ, Parthenium, aliósque cõplures, ad quos sæpenumero scribit. Stertinius vir clarissimus (quem Martialis mutato nomine Auitum appellat) tantum concessit ipsius ingenio, atque doctrinæ, vt viuenti adhuc illi imaginem more veterum in sua bibliotheca posuerit. Postremò cũ Mar-*

tial

Biblioteca de Galicia

tialis foret prouectior, tædio rerum vrbanarum affectus, in patriam rediit, atque in natali solo paulo post interiit, non sine lacrymis ac magno mœrore C. Plinij, vt ingenuè testatus est, scripta epistola ad Cor. Priscum. De Gargilio Martiale dicemus suo loco, qui libros composuit de gestis Imperatorum.

SENTIVS AVGVR.

CAP. LXXII.

SEntius Augur Romæ natus, atq; honestis artibus eruditus, inter eos poëtas connumeratur, qui epigrammata & poëmata scripserunt. Permulta de hoc referuntur à Plinio in epistolis, quibus facilè colligitur, quantum præstiterit elegantia ingenij, & optimis moribus. Vixit magna familiaritate cum Spurina, & Antonino viris grauissimis, maximéq; ab illis probatus est propter ingenij modestiam, & egregiam vitæ probitatem. Sequutus in scribendis epigrammatis Val. Catullum, & Licinium Caluum: multáque composuit eleganter & lepidè, alia cum bile & stomacho, vt à Plinio refertur, qui non sine magna admiratione solitus est audire Poëmata ipsius Sentij. Leguntur adhuc versiculi aliquot, quibus apertè explicatur, quantum in eo genere valuerit & gratia & salibus. Sic enim scribit ad Plinium:

Canto carmina versibus minutis

Biblioteca de Galicia

His, olim quibus & meus Catullus
Et Caluus, veteresq; : sed quid ad me?
Vnus Plinius est mihi prior: is
Mauult versiculos foro relicto,
Et quærit quod amet: iuuatq; amare
Illos. Plinius ille, quid Catones?
I nunc, qui sapias amare noli.

Hæc hactenus de Poëta Sentio obseruaui. De obitu ipsius nihil legi apud veteres autores.

VESTRITIVS SPVRINA.

CAP. LXXIII.

VEstritius Spurina nobili ac præclara familia ortus, inter eos poëtas relatus est ab antiquis scriptoribus, qui Lyrici appellantur. Per eadem tempora floruit, quibus Vespasiani Principes rerũ potiti sunt. Moribus optimis fuisse traditur, ac domi foríque magna & excellenti virtute se gessisse, non sine commendatione summæ grauitatis, ac singularis prudentiæ. Idem Spurina factus est Imperator contra Breueterum regem. Cumq; illum strenuè, atque ingenti animo repulisset fuso atque fugato exercitu ferociſsimarum gentiũ triumphali statua donatus est. Filiũ Cocceiũ adhuc iuuenem amisit, cuius interitum constanti animo tulit: vt qui humanæ fragilitatis improbitatem optimè cognosceret. Poëmata ipsius præcipuè commendantur à Plinio his verbis: Scribuntur à Spurina Lyrici versus: & quidem

vtraq

Biblioteca de Galicia

que lingua, & doctissimè: mira illis dulcedo, mira suauitas, mira hilaritas, cuius gratiam cumulat sanctitas scribentis. In his secutus est Flaccum Horatium, cuius indolem atque elegantiam magna felicitate exprimebat. Vixit summa familiaritate cum Iulio Apro, & Agricola, qui socer fuit Cor. Taciti. Plinium Secundum vehementer dilexit, propter ingenium, atque singularem modestiam. Neque dubium est, eum ad extremam senectutem peruenisse integris sensibus, validóque, ac vigenti corpore. De sapientia ipsius in rebus gerendis, cæterísque animi virtutibus complura scribuntur à C. Plinio, quæ nos breuitatem præfati magna ex parte omittimus. Celebratur ab antiquis scriptoribus alter Spurina, qui prænuntiauit C. Cæsari futurum interitum, eumq; submonuit cauendas sibi esse Martias Idus.

VOCONIVS VICTOR.
CAP. LXXIIII.

VOconius Victor nobili genere ortus traditur. Romæ vixit in secundo ordine: sed illustrior factus est poeticæ studio. Præcipuè floruit temporibus Hadriani principis, qui ex Italica Vrbe Hispaniæ genus duxit. Idem Voconius sub primam ætatem in foro & causis agendis operam posuit, magna laude ingenij sui atque studiorum. Fuit enim

mod

modestia singulari, & in conciliandis sibi hominum mirè efficax: vt relatum est à C. Plinio, qui maxima familiaritate vixit cũ poëta Voconio, paribusq; studijs atque disciplinis diu incubuit. Neque dubium est, eum excelluisse in scribendis elegis, atque epigrammatis, vt Martialis testatur: in quibus affectauit veneres, ac lasciuam verborum licentiam: vir alioqui probis moribus, atque honestissimis. Quocirca Cæsar Hadrianus, cum permultum concederet Voconij poëmatis, singulari affectu prosequutus est illius memoriam, taliq; carmine decorauit eiusdem sepulcrum:

Lasciuus versu, mente pudicus erat.

Qua in re seruauit veterem legem in scribendis epigrammatis:

Nam castum esse decet pium poëtam
Ipsum, versiculos nihil necesse est.

Quod à Lucio Apuleio relatum est. Celebratur apud veteres adolescens Testylus, quem propter egregiam, præclarámque indolem, magnopere dilexit Voconius: vt à Martiale scribitur his versibus:

Testyle Victoris tormentum dulce Voconi,
Quo nemo est toto notior orbe puer:
Sic etiam positis formosus amere capillis,
Et placeat vati nulla puella tuo.

L. PAVL.

Biblioteca de Galicia

L. PAVLVS PASSIENVS. CAP. LXXV.

LVcius Paulus Paſsienus nobili atque honeſta familia ortus, equeſtrem dignitatem à maioribus ſuis acceptam retinuit. Sed quantum colligere poſſumus ex veterum monumentis, in vrbe factus eſt longè nobilior ob elegantiam ingenij, ac poëticæ ſtudium: in qua magnopere excelluit, vt Plinius & Gellius teſtantur. Traditum eſt, eum fuiſſe oriundum ex Vmbria eodẽ oppido, quo poëta Propertius, à quo genus ſuum deduxit. Præcipuè claruit in ſcribẽdis Elegis, imitatus Propertium, cuius gratiam atque venuſtatem magno ſtudio dicitur expreſsiſſe, vt à Plinio relatum eſt his verbis: Reddit Propertium in primis: Elegos eius in manus ſumpſeris, leges opus terſum, molle iucundum, & planè vt Propertium. Idem Paſsienus non tantùm in Elegia verſatus eſt, ſed ad poëmata, & Lyricos ingenium ſuum conuertit, in quibus Horatio Flacco magnopere accedebat. Inter cæteros amicos præcipuè coluit Iulium Celſinum, Gellium, & Caium Plinium, qui omni officiorum genere ſingularique diligẽtia Paſsienum fouit. Hic eſt ille Paulus Paſsienus, quem Gellius vocat in Atticis noctibus poëtam doctiſsimum. In agro Vaticano prædium habuit, in quo magna cum voluptate verſari

Biblioteca de Galicia

sari in studijs, & de literis agere consuenit, vt à Gellio scribitur, qui Pauli eruditionẽ atque poëmata pluribus locis commendat. Hæc sunt quæ de hoc poëta apud veteres obseruauimus.

TITVS ANNIANVS.
CAPVT LXXVI.

Titus Annianus per eadem tempora floruit, quibus Cæsar Hadrianus ad Imperium ascitus est. Traditur fuisse lepido ingenio, maximéque vrbano, vt veteres grammatici satis testantur. Fescenninos versus composuit, varijs iocis, atque salibus refertos. Nam in his liberam iocorum lasciuiam, ac festiuam procacitatem admittebãt, sumpta origine ab vrbe Sabinorum, vnde inditum est nomen. Ausonius poëta de Anniani Fescẽninis meminit in excusanda petulãtia sui carminis. Neque enim sunt accusanda, inquit, ea poëmata, quæ pruritum mouent: quòd in carminibus lasciuia commendatur, in moribus grauitas. Grammatici veteres persæpe citant eiusdem versiculos: quibus haud dubiè apparet, Annianum ipsum inter eos poëtas iure optimo connumerari, qui & ingenio & doctrina præstiterint. Summa familiaritate vsus est cum Gellio & Erutio Claro, vt habetur apud eundem Gellium, qui Annianum poëtam vt elegantissimum, atque vrbanissimum celebrauit.

MAR

Biblioteca de Galicia

M. MARVLLVS. CAP. LXXVII.

Marc. Marullus Mimorum scriptor habitus est, per ea tempora Romæ vixit, quibus Cæsar Antoninus rerum potiretur, qui pro instituto vitæ ac professione studiorum vindicauit sibi cognomẽ Philosophi. Itaq; minimè mirum est, si ea tempestate omnes bonæ disciplinæ maximum incrementum acceperint, auspicijs & fauore optimi principis. Commendatur Marulli ingenium, atque eruditio, ab antiquis grammaticis in componendis Mimis: in quo genere scribendi claruerunt apud Latinos Decius Laberius, Publius Lentulus, & alij permulti. Relatum est à Iulio Capitolino, tantum animi atque libertatis fuisse in hoc poëta, vt minimè veritus sit, notare principes ciuitatis, ac nominatim suis carminibus perstringere. Et inter alios dicitur accusasse Cæs. Antoninum, præsentemq; ac spectantem reprehendisse, quòd eos viros potissimum ad ampliores dignitates promouisset, qui infames vulgò haberentur adulterijs Faustinæ vxoris. Palamq; est, nominatum ab eo fuisse Tertullum hoc versiculo:

Ille iam tibi dixi Tertullus dicitur.

Seruius grammaticus persæpe meminit de fabulis huius poëtæ, referens perurbanum dictum Marulli contra nequam parasitum: Tu vt Hector ab Ilio non recedis, quod in prouerb

uerbium venit. Diuus quoque Hieronymus inter Minographos autores hunc poëtam enumerat, cùm de Philistione & Lentulo agit in Apologia contra Rufinum. Celebratur alter Marullus apud Valerium Martialem, de quo nihil dicendum est hoc loco.

AVLVS SERENVS.
CAP. LXXVIII.

AVlus Serenus inter poëtas Lyricos relatus est ab antiquis grammaticis, in quo genere apud Latinos præcipuè claruerunt Horatius Flaccus, Cæsius Bassus, & alij plures. Traditum est de hoc Sereno, eum fuisse ingenio eleganti, & facili, ad amores & iocos describendos. Maurus Terentianus cùm de eo loquitur, egregium ac nobilem poëtam facit. Poëmata scripsit vario & multiplici carmine, vt Hieronymus testatur, qui eundem inter veteres Lyricos enumerat. Nonius Marcellus, & Martianus Capella, pluribus locis citant Sereni poëtæ opuscula. Quibus manifestò appareret, illum præstitisse magna eruditione, & elegantia. De Quinto Sereno commodè à nobis dicetur, seruata temporum ratione, qui libros composuit de remedijs morborum.

VERG

VERGILIVS ROMANVS COMICVS.

CAP. LXXIX.

VErgilius Romanus per eadem tempora in Vrbe floruit, quibus Hadrianus Cæsar, & Antoninus imperarunt. Ingenio præclaro fuit, & antiquitatis maximè studiosus. Scripsit inter alia opera Mimiambos, in quo genere poëmatis Gn. Matium sequutus est, poëtam vetustissimum. Relata sunt complura de eruditione & elegantia huius Vergilij à Plinio Secundo, qui illius Comœdias, atque Mimiambos magnopere celebrauit, quod ijs verbis colligitur: Fecit Mimiambos tenuiter, argutè, venustè, atque in hoc genere eloquentissimè. Idem Plinius Vergilij fabulas adeò est admiratus, vt minimè dubitarit Plautinis, atque Terentianis eas adiungere. Fuit enim in accusandis vitijs ac detestandis acer & violentus, in quo tamen fictis nominibus ac personis est vsus, non sine gratia & singulari vrbanitate. Inter cæteros amicos præcipuè coluit Caium Plinium, vt ex epistolis illius elicitur. De obitu ipsius nihil apud veteres autores legimus.

Biblioteca de Galicia

PETRI CRINITI IN LIB. QVINTVM DE POETIS LATINIS, AD EVNDEM PRAEFATIO.

IN HOC *extremo volumine operis nostri, Cosme Pont. Arretine, seruatum est à nobis, vt de ijs poëtis ageremus, qui Antoninorum temporibus vsque ad Theodosium & Constantios Cæs. vixerunt. Neque enim visum est pertinere ad institutum nostrum, de omnibus scribere, declinata Imperij maiestate, bonisq; artibus magna ex parte destitutis. Itaque dabunt mihi veniam eruditi homines, qui cùm legent hos libros, videbunt à nobis referri poëtas illos, qui re vera paulò ineptiores, atque inelegantes haberi possunt: quales sunt Iuuencus, Fortunatus, & alij generis eiusdem. In quo moderatè me gessi: nam mutata religione, mutarunt etiam indolem, atque gratiam carminis. Quocirca minimè mirari oportet, (præcipuè cùm vniuersa Italia magnis atque variis*

Biblioteca de Galicia

rijs cladibus confecta esset, distrahentibus eam plurimis populis, atque Barbaris nationibus) si antiquorum elegantia atque puritas violata est, & simul insciti a bonarum literarum, atque imperitia succreuit. Nostra verò tempestate magnopere debemus lætari, quòd ad id accesserunt honestæ ac liberales disciplinæ, vt aliqua ex parte videantur cum ipsa antiquitate contendere. Quam rem facilè probaturi sunt, qui Pontani opera, & Marulli paulò attentius perlegerint: nam vterque (nisi ego fortè hac in re decipior) in suo genere absolutus haberi debet. Sed minimè par est, de ijs facere iudicium hoc loco, quos nostri homines pro optimis exemplis agnoscunt: & velut decora quædam, & illustria monumenta vetustatis admirantur. Nos institutum opus prosequamur, capiẽtes principium à Festo Auieno, qui præter alia multa opera, quæ composuit, Aratum poëtam conuertit in Latinos numeros, vt suo loco à nobis referetur.

RVFFVS FESTVS AVIENVS.

CAPVT LXXX.

RVffus Festus Auienus, poëta eruditus & elegans, per eadem tempora floruit, quibus Cæs. Diocletianus Imperator est appellatus: quæ res cùm multis alijs argumentis colligitur, tum ex commentarijs Diui Hieronymi, qui (cùm loquitur de Arati Phænomenis)

Biblioteca de Galicia

Auienum refert paulo antè in Latinum ea conuertisse, post M. Tullium, atque Germanicum. Quidam putant fuisse illum genere Hispanum: sed hoc mihi non satis compertum est in tanta rerum obscuritate. Illud minimè dubium est, eum magna doctrina, ac multiplici rerum scientia præstitisse. Nam præter opus Arati (quo maximam laudem adeptus est) composuit etiam librum de orbe terrarum ijs versibus, quos vocant hexametros, imitatus Dionysium Græcum poëtam. De maritimis quoque scripsit Iambicis versibus: intactum opus Latinis ingenijs, tantæq; difficultatis, vt diu multúmque sibi elaborandum fuerit in eo absoluendo. De hoc poëmate sic idem Auienus refert:

Laboris autem terminus nostri hic erit,
Scythicum vt profundum, & æquor Euxini sali,
Et si quæ in illo marmore insulæ tument,
Edisserantur: reliqua porrò scripta sunt
Nobis in illo plenius volumine,
Quod de orbis oris partibusq; fecimus.

Plura in hoc opere inseruit ex varijs, atque reconditis autoribus: præcipuéque sequutus est (vt ipse testatur) Hecateum Milesium, Hellanicum Lesbium, Philonem Atheniensem, Pausimachum Euclemum, Cleonem Siculum, aliósque permultos: vt prætermittamus Annales

Puni

Biblioteca de Galicia

Punicos, à quibus complura accepit. Neque desunt, qui existiment, fuisse alia composita ab eodem Auieno. Seruius quidem grammaticus, cùm de cometis disserit, Auienum scribit feciſſe Vergilianas fabulas Iambicis versibus, & historica quædam ex libris Liuianis. Qua in re non satis habeo exploratum, an hæc ad eundem sint referenda, & si ratio temporum maximè congruit. Inter amicos præcipuè coluit Myrmecium Flauianum, virum clariſſimum, & probum, cuius virtutem atque probitatem magnopere commendat dicato illi volumine de maritimis. Hæc sunt quæ legimus de hoc Auieno apud veteres autores. De Auieno poëta Græco (cuius leguntur Epigrammata) nihil dicendum est hoc loco.

ALPHIVS AVITVS.

CAPVT LXXXI.

ALphius Auitus poëta illustris est habitus. vixit ijsdem penè temporibus, quibus Cæsares Constantijs præstiterunt. Quæres abundè colligitur ex Mauro Terentiano, qui poëtam Septimium atque Alphium Auitum inter recentiores connumerat. Sunt qui putent illum fuisse Carthaginiensem, in quo desideramus autores. Ingenio eleganti fuit, & componendis carminibus accommodato. Inter cætera, quæ dicitur scripsisse, libros fecit, qui inscripti sunt Excellentium. In ijs perpetuò est

Biblioteca de Galicia

vsus dimetris Iambicis, magna quidem venustate, ac pari elegantia, vt grammatici veteres testantur. Quod etiam satis colligitur ijs versiculis, qui adhuc supersunt ex libro secundo Excellentium:

Tum litterator creditus
Ludo, Phaliscum liberos
Conatus in campi patens
Extráque muri ducere
Spatiando paulatim trahit
Hostilis ad valli latus.

Maurus Terentianus persæpe citat Alphij poëtæ carmina: déque eo sic scribit in libro de varijs metris:

Phaselus ille, quem vides
Plerunque, nec carmen modò,
Sed & volumen explicat:
Vt pridem Auitus Alphius
Conscripsit Excellentium.

Priscianus quoque de eodem meminit pluribus locis. Hæc sunt quæ de Alphio poëta obseruanimus. De Alphio fœneratore scriptum est ab Horatio, & Iunio Columella.

SEPTIMIVS AFER.

CAPVT LXXXII.

SEptimius natione Afer inter eos poëtas relatus est, qui poëmatis scribendis operam atque studium posuerunt. De hoc mentio habetur cùm apud alios, tum apud Maurum

rum Terentianum, qui per eadem tempora propemodum floruit, vt apertè indicauit his versibus:

Qui multos legére negant hoc corpore metrô
Romanos aliquid veteres scripsisse poëtas.
Dulcia Septimius qui scripsit opuscula nuper
Ancipitem tali cantauit carmine Ianum.

Quibus colligitur compositum fuisse hymnum à Septimio de laudibus Iani. Neque alienum fuerit eius versus aliquot subiicere, quò facilius iudicari possit de ipsius ingenio, atque eruditione.

Iane pater, Iane tuens, diue biceps, biformis,
O cate rerum sator, ô principium deorum,
Stridula cui limina, cui cardinei tumultus,
Cui reserata mugiũt aurea claustra mundi.

In hoc carmine imitatus est poëtam Callimachum, qui inter cætera opera elegantissimè scripsit hymnos deorum, eóque genere metri vsus est. Leguntur alia plura eiusdem Septimij, quales sunt hi versiculi de Agello:

Inquit amicus ager domino,
Si bene me facias memini.
Pinea brachia cum crepitant
Audio canticulum Zephyri.

Itaq; cum vteretur vario ac multiplici genere carminum, vocauit suos libros opuscula. Inter cæteros autores qui hoc nomine appellati sunt,

Biblioteca de Galicia

præcipuè commendatus est ab antiquis Septimius historiarum scriptor, qui de gestis Imperatorum libros composuit.

T. CALPHVRNIVS SICVLVS.

CAP. LXXXIII.

TItus Calphurnius natione Siculus fuit, vt inscriptiones veterum codicum probãt. Inter eos Poëtas relatus est, qui scripserunt Bucolicum Carmen: in hoc enim, iudicio eruditorũ, magnopere excelluit, cùm gratia carminis, tum elegantia & proprietate. Per eadem tempora floruit, quibus Diocletianus Cæs. & Constantij principes Romanum Imperium moderati sunt. Quæ res manifestò indicatur ex commentarijs Flauij Vopisci, qui Olympium Nemesianum celebrat: ad quem poëta Calphurnius suum opus misit, vt in vetustis exemplaribus legitur. Quocirca in magno errore versantur, qui existimant eum fuisse ætate Cæs. Augusti. Modicis facultatibus vixit: quod ex ipso autore satis possumus colligere. Neque desunt, qui putent, de Diocletiano Imperatore intelligi oportere, cùm scribit sub persona Corniti:

Aurea secura cum pace renascitur ætas,
Et redit ad terras tandem squallore situque
Alma Themis posito, iuuenémque beata sequuntur

Secula

Biblioteca de Galicia

Secula, materni causam qui lusit in vlnis. Alij hoc ad Numerianum referunt, qui & scribendis carminibus, & eloquentia præcipuè excelluit. Sunt qui malint scribere Calpurnium sublata aspiratione, quòd à Calpo deducatur nomen Calpurnij: sed hoc vt friuolum est, ita liberum relinquimus nostris grammaticis.

AVRELIVS OLYMPIVS NEMESIANVS.
CAPVT LXXXIIII.

AVrelius Olympius Nemesianus, Afer genere, patria Carthaginiensis fuit, quod antiquiores codices testantur. Per ea tempora in vrbe, floruit, quibus Cæs. Numerianus & Diocletianus imperarunt: Quantum præstiterit in condendis poëmatis, copiosè relatum est à Flauio Vopisco, qui hũc ipsum Nemesianum nobilissimum fuisse poëtam refert, omnibusq; colonis atque vrbibus magnopere illustratum. Calphurnius Siculus (de quo suprà scripsimus) arctissima beneuolentia prosecutus est Nemesianum: eique dicauit suum carmen bucolicum, veluti monumentum propriæ diligentiæ atque optimæ voluntatis. Leguntur adhuc eiusdem Nemesiani Aegloga. Quibus manifestò, apparet, eum meritò commendari inter præcipuos atque optimos poëtas sui temporis. Quocirca verisimile est à Numeriano Im

Biblioteca de Galicia

peratore in maximo pretio habitum, qui & eloquentia, & absoluendis poematis excelluit. Idem Nemesianus alia plura composuit: nam Cynegetica, Nautica, & Alieutica scripsit. Ioannes Boccacius vir, vt illa tempora tulerunt, haud omnino indoctus, citat Nemesiani poëtæ versiculos. Hæc sunt quæ legimus apud veteres autores de Nemesiano.

MAVRVS TERENTIANVS.

CAP. LXXXV.

MAurus Terentianus natione Afer, patria Carthaginiensis fuit. Per eadem fermè tempora excelluit in poëtica, quibus Alphius Auitus, Septimius, Petronius Arbiter, & Aurelius Apollinaris, qui Iambicos scripsit. Grammatici veteres si quando citant Terentianum, inter recentiores autores referunt vt apud Seruium & Priscianum legitur. Opus composuit vario multiplicique carminum genere de literis, syllabis, pedibus, & variis metris. In quo habita ratione vtilitatis, omnem propè gratiam contempsit: & cùm valde laboraret in scribenda atque explicanda varietate carminum, minimè alienum existimauit ab officio eruditionis, si eorum poëtarum exemplis vteretur, qui suis propè temporibus aliquid scripsissent: vt Alphii Auiti, Septimij, atque aliorum: quod his versibus ingenuè profitetur:

Non

Non equidẽ possum tot priscos nosse poëtas,
Vt veterum exemplis valeam quæ tracto probare.
Maurus itẽ quãtos potui cognoscere Graios,
Quorũ præcipue studijs pars maxima cõstat?
Nemo tamen culpet si sumo exẽpla nouella,
Nã melius nostri seruarunt metra minores.

Neque dubium est, ipsum Terentianum ad extremam ætatem peruenisse: & in hoc opere condendo ita versari solitum: quasi animum tali studiorum officio recrearet, seniúmque suum molioribus curis transigeret. De hoc Terentiano Augustinus etiam meminit, referens illius versiculum de Marco Varrone:

Vir doctissimus vndecunque Varro.

Quòd habuerit filium nomine Bassum, & Nonatemum generum, facilè colligitur ex ipsis Terentiani carminibus.

CL. CLAVDIANVS ALEXANDRINVS. CAP. LXXXVI.

CL. Claudianus poëta insignis, Arcadij & Theodosij temporibus floruit. Patria fuit Alexandrinus, nobilissima vrbe Aegypti. Quidam Florentinum faciunt, parum diligenter obseruantes veterum commentarios. Autores Græci, qui de poëta Claudiano meminerunt, Alexandrinum appellant. Cui sententiæ idem autor astipulatur: dum Nilum suum vocat, vt nihil præterea dubitari possit, ei pat

Biblioteca de Galicia

ei patriam fuisse Alexandriam. Ingenio excellenti fuit, maximéque apto ad carmen componendum. Nam & assurgit feliciter, variisque figuris ac sententijs mirificè delectat, vt videatur à natura ipsa instructus ad poëticam facultatem. Verisimile est eum Romæ diu versatum, multásque Italiæ vrbes peragrasse: quod cùm multa testantur, tum hi versus, quos de Balneis Aponi composuit. Opera illius satis nota sunt: sed præcipuam laudem iudicio multorum sibi vindicat ijs carminibus, quibus principes viros summis laudationibus, seu panegyricis extulit. De raptu Proserpinæ libros quatuor scripsit, eósque ad Florentinum misit, veluti monumentum suæ beneuolentiæ, atque optimæ voluntatis: nam cum eo arctissima familiaritate coniunctus vixit. Præterea eiusdem poëmata, Epistolas, & Epigrammata, in quibus de Nilo, de Phœnice, de Magnete, de Chrystallo, de Balneis Aponi, de Torpedine, de Gallicis mulabus, déq; alijs multis aptè & eleganter carmen descripsit. Augustinus & alij veteres plurimum commendarunt ingenium atque eruditionem Claudiani, referenteis illius versus de laude & victoria principis Theodosij contra Eugenium Gallorum Regem. Constat enim Theodosium ipsum parua manu contra ingentes Barbarorum copias dimicasse, cæsisq; magna ex parte hostib

hostibus, clarissima victoria potitum: non tam suis auspicijs, quàm ope & præsidio ortæ tempestatis, sæuientibus ventis contra hostium aciem. Quocirca sic Claudianus elegantissimè scribit:

Te propter gelidis Aquilo de nŏte procellis
Obruit aduersas acies, reuolutáque tela
Vertit in autores & turbine reppulit hastas.
O nimium dilecte deo, cui fundit ab antris
Aeolus armatas hyemes, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Idem Claudianus magna veneratione coluit Probum, Probinum, & Olibrium viros consulares, Gennadium præterea, Honorium, Stiliconem, ac Mallium Theodorum singulari studio & incredibili diligentia prosequitur: testatus officium suum libellis à se compositis de illorum laudibus. Hæc sunt quæ de Poëta Claudiano obseruauimus. De obitu ipsius nihil apud veteres autores legimus. De Claudiano Mamerco, qui libros de Anima scripsit, commodè à nobis dicetur.

DECIVS AVSONIVS GALLVS. CAP. LXXXVII.

DEcius Ausonius, genere Gallus, patria Burdegalensis fuit. Quæ res aperte indicatur cùm locis pluribus, tum præcipuè his versibus:

Burd

Burdegallia est mihi natale solum,
Vbi mitis est cæli clementia.

Vixit, vt constat, imperantibus Valentino & Valentiniano Augustis. Quibus magnoperè acceptus traditur, ob ingenium, atque excellentem doctrinam. Sed longè nobilior factus est sub Gratiano Cæsare, quem in Latinis literis, atque honestis disciplinis magna diligentia erudiuit, vt paulò post dicemus. Parentem habuit nomine Ausonium, professione medicum, multisq; ac variis honoribus illustratum. Quod Poëta Ausonius testatur eo carmine, quo pietatem suam professus est in deplorando obitu patris. Quidam imperitissimè faciunt, qui ad hunc Poëtam referunt, quæ ad patrẽ Ausonij pertinent. Cæsar Valentinianus tantum concessit moribus atq; doctrinæ Ausonij, vt eum præcipuè delegerit inter cæteros omnes, qui Gratianum filium instrueret, eiúsque ingenium Latinis literis erudiret. Quocirca maximam nobilitatem adeptus est, adeò vt paulò mox patrocinio Cæs. Gratiani proiectus fuerit ad consularem dignitatem quàm honestissimis suffragijs: vt abundè percipitur ex illa nobili gratiarũ actione, qua Imperatori optimo, & discipulo humanissimo gratulatur. Permulta composuit & prosa oratione, & carmine. Librum epigrammatũ magna ex parte à Græcis Poëtis acceptum in Latinos numeros conuertit

mira

Biblioteca de Galicia

mira elegantia, parique ingenio. Fuit enim Græcè ac Latinè peritissimus. Item de ijs vrbibus scripsit, quæ nobiliores, atque clariores haberentur, vario & multiplici genere carminum. Ex quo poëmate quædam veluti fragmenta adhuc leguntur. Puellam nomine Bissulam multis carminibus celebrauit, admiratus egregiam illius formam, singularemq; venustatem. De fluuio Mosella, qui Lingonum fines prætergrediens in Rhenum influit. In quo maximam laudem (vt est autor Symmachus) iure optimo sibi vindicauit: Siquidem incredibili elegantia vtitur in eo describendo. Fastorum præterea libros absoluit, opus magni laboris, ac multarum vigiliarum. A principio enim Vrbis conditæ auspicatus est, continuato ordine vsque ad suum Consulatum, vt ijs versibus testatur:

Vrbis ab æterno deductam Rege Quirino
Annorum seriem cum Procule accipies.
Mille annos centum, & bis fluxisse nouenos
Consulis Ausonij nomen aduersq; leges,
Fors erit vt lustrũ cum se cumulauerit istis.
Confectam Proculus signet Olympiadem.

Inter amicos præcipuè habuit Tetradium Gallum, Paulinum Poetam, & Hesperiũ: quorum studium atque benenolẽtiam pluribus ac variis epistolis testatur. Symmachus autẽ vir Consularis, & apprimè doctus, tantum Poetæ Ausonio

sonio detulit, vt assertum ab eo sit, neminẽ esse omnium mortalium, quẽ in officio amicitiæ illi cõpararet. Extant adhuc epistolæ ipsius Symmachi velut optimi testes tam mutuæ, támque singularis inter se necessitudinis. Neque dubium est eundem Ausonium inter Christianos relatum, quod illius opera multis locis demonstrant. De obitu ipsius nihil certi habetur ex veterum lectione. Etsi quidam tradunt nonagenarium periisse. In quo magno errore decipiuntur, cùm id ad parentem Ausonij pertineat.

DAMASVS HISPANVS.

CAP. LXXXVIII.

DAmasus natione Hispanus, nobili atq; clara familia ortus est, vt veteres scribunt. Iisdem temporibus in Vrbe floruit, quibus in scribenda historia nobiles habiti sunt Paulus Orosius, & Eutropius, qui de rebus Romanis libros plures composuit. Laudatur ingeniũ Damasi atque eruditio in faciendis carminibus, cùm ab alijs multis, tum præcipuè ab Hieronymo: qui complura opera à se composita huic Damaso dicauit. Adeò modestus fuit, tamq; excellenti virtute ornatus, vt ingenti studio creatus Romæ fuerit Pontifex maximus, repulsis atque improbatis illorũ accusationibus, qui nomine adulterij conabãtur famam, atque innocentiam eius insimulare. Plura de Poëta Damaso relata sunt apud illos autores, qui

Biblioteca de Galicia

qui de gestis Pontificum scribũt. Poëmata edidit non vulgari elegantia, & hymnos complures, vt Prudentius, Ambrosius, & alij eiusdem ordinis autores. Item librum de Romanis Pontificibus soluta oratione, quẽ ad Hieronymum misit: eúmque liberè & amicè hortatur ad exponendam, atque illustrandam Hebræorum doctrinam. Putabat enim lectionem ipsam parum quidem conferre sine stylo: neque posse aliquem satis proficere in studijs literarum, atque antiquis disciplinis, sine magno ac diligenti vsu scribendi. Neque desunt, qui referant, ipsum Damasum peruenisse ad extremam senectutem, ac sub Theodosio Augusto perijsse, cùm octogesimum annum ageret: quod etiam Hieronymus tradit.

IVVENCVS HISPANVS.
CAP. LXXXIX.

IVuencus Poëta natione Hispanus, familia insigni maximéque illustri natus est, vt ab Hieronymo traditur. Præcipuè floruit Imperat. Constantio & Constante. Qua tempestate in eloquentia apud Latinos clari fuerunt Tiberianus Nazarius, & Flauius Vopiscus, qui de gestis Romanorum principum libros composuit. Inter alia Poëmata, quæ dicuntur ab eo edita, scripsit quatuor Euangelia hexametris versibus, qua in re maiori diligentia vsus est

Biblioteca de Galicia

in seruanda rerum historia, quàm in demonstranda ingenij sui elegantia. Idem Iuuencus aliquot hymnos fecit, quibus facilè indicauit, se optimè meritum de religione Christiana. Neque dubium est, fuisse illum relatum inter sacerdotes Christianos, vt veteres autores testantur. Diuus Hieronymus alicubi repetit Iuuenci carmina, eúmque vt eruditum, & elegantem poetam commendat.

AVRELIVS PRVDENTIVS CLEMENS. CAP. XC.

AVrelius Prudentius Clemens in Latinis literis magna diligentia, parique studio institutus, vt Gennadius, & Isidorus testantur: quibus potissimùm parentibus ortus fuerit, haud satis mihi compertum est ex lectione veterum autorum. Quidam existimant, fuisse illum genere Hispanũ. Primam ætatem agendis causis posuit, & in ciuilibus officijs versatus est. Deinceps ad maiores, ampliorésque dignitates prouectus, ad Præfecturam militiæ perductus est, studijs atque suffragio Cæsaris Theodosij. Quæ res satis intelligitur, cùm aliis argumentis, tum præcipuè ijs carminibus Prudentij:

Frænos nobilium reximus vrbium,
Ius ciuile bonis reddidimus, reos
Tandem terruimus, militiæ gradu
Euectum pietas principis extulit.

Legun

Leguntur adhuc ipsius poëmata multiplici, ac vario genere carminum cõpositа : quibus facilè probari potest, eum quidem pro conditione tẽporum maximè præstitisse inter Christianos poëtas: non modò eruditis verborum figuris, sed etiam grauitate sententiarum. Sidonius Apollinaris haud omnino contemnendus autor in legendis atque obseruandis antiquis scriptoribus, cùm loquitur de poëta Prudentio, minimè veritus est illum Horatio adiungere. Præcipuam laudem consecutus est iudicio doctiorum ex eo poëmate, quo prosequitur illorum probitatem, atque cõstantiã, qui seipsos deuouerunt pro Christiana religione: cuiusmodi ab eo celebrantur diuus Laurentius, Vincentius, Romanus, Hippolytus, Cassianus, & alij complures. Commendantur præterea eiusdem carmina de natali domini, & gestis & miraculis Christi, de expiandis animis, de conflictu vitiorum ac virtutum. Insectatus est acri animo, ac plurimis versibus hostes Christiani nominis, maximéque Symmachum virum consularem, cuius sententias atque eruditionem longo opere accusat. Minimè autem obscurum est, eundem Prudentium peruenisse ad summam senectutem, ac plurimis dignitatibus perfunctum perijsse.

PONTIVS PAVLINVS. CAP. XCI.

POntius Paulinus nobili genere natus, inter eos poëtas refertur, qui sub Imperio

Biblioteca de Galicia

Cæs. Gratiani floruerunt, vt Faustus, Tetradius & Ausonius. Burdegalensis fuit, ac in poëtica facultate magnopere excelluit. Quidam putarunt fuisse nepotem Ausonij, quòd eũ grata ac beneuola quadam appellatione filium nominet: sed hoc non satis cõstat in tam varia & ancipiti rerum obscuritate. Inter alia opera, scriptum est à Paulino poëma hexametris versibus de regibus ex Suetonio Tranquillo collectis, in quo maximam laudẽ adeptus est, vt ab Ausonio refertur ijs verbis: Coegisti in epitomẽ tres libros Suetonij de regibus tanta elegantia, solus vt videare cõsecutus, quòd cõtra rerũ naturam est, breuitas vt obscura non esset. Legũtur adhuc quædã ipsius Paulini carmina, in quibus mirifica eruditio, & incredibilis elegantia apparet. Idem Paulinus præclaris atq; honestissimis dignitatibus perfunctus est, & inter principes viros atque nobilissimos habitus. Fuit ijsdẽ fermè tẽporib⁹ alter Paulin⁹ põtifex Nolanus, moribusq; & singulari cõtinẽtia clarissimus: cuius epistolæ atque epigrãmata vulgò legũtur. Quidã existimãt eũdẽ esse habẽdũ, parũ diligẽter cõsiderãtes, quãtũ inter se differant, & professione vitæ, & carminũ elegãtia.

LICENTIVS HIPPONENSIS. CAP. XCII.

Licentius poëta natione Afer, patria Hipponensis fuit: quòd apertè intelligitur ex epist

epistolis Augustini, qui hunc ipsum appellat ciuem suum. Etsi Tagasta oppido natus est Augustinus, vt veteres autores tradunt. Qui scribunt de poeta Licentio, magnopere commendãt illius ingenium in perquirendis veterum disciplinis. Cum Augustino versatus est summa familiaritate, eumq; veluti præceptorem suum, ac parentem magna obseruatione, ac reuerentia coluit. Referuntur complura de hoc Licentio cùm ab alijs multis, tum à Meropio Paulino. qui plurimis carminibus cohortatur, vt abdicatis cæteris curis, ad illustrandam Christi religionem animum referat, & Augustini exemplum atque eruditionem prosequatur. Inter cætera, quæ dicuntur à Licentio composita, hymnos & epistolas plures descripsit, in quibus satis demonstrat, quantum teneretur poëticæ studio, quámque assiduam operam collocaret in condendis poëmat. Leguntur ipsius carmina ad Augustinum, quæ à nostris Grammaticis in magno pretio habita sunt, præcipuéque ij versus de Proteo commendantur:

Proteã nãq; ferunt veterũ cõmẽta Pelasgũ,
Qui dum sollicitis non vult aperire futura
Spumat aper, fluit vnda, fremit leo, sibilat anguis:
Captum aliquando tamen in munera parna volucrum.

De probitate ipsius, cæterisque animi virtuti-

Biblioteca de Galicia

bus permulta apud Augustinum, & Possidonium habentur: quæ ob institutam brevitatem omittimus.

VENANTIVS HONORIVS FORTVNATVS.

CAPVT XCIII.

VEnantius Honorius Fortunatus inter Christianos poëtas relatus est, & cùm ingenio atque moribus longè præstaret, Ranè ne eruditus traditur, magnaq; diligentia in Latinis literis institutus. De hoc Fortunato referuntur permulta apud eos autores, qui de gestis Gallorum annales composuerunt. Neque desunt, qui scribant, illũ, diu versatum in Gallia, & ob egregiam eruditionem, optimúmque ingenium Pontificem Pictauorũ factum. Plura ac varia opera edidit, quibus ingenij facilitatem, minimèque vulgarem doctrinam demonstrat. Leguntur adhuc eius poëmata, & hymni complures, qui magnopere commendati sunt à nostris Grammaticis. Sed & libros quatuor fecit de gestis diui Martini, versibus hexametris, præfatus tali opere se imitari Christianos poëtas, vt Alcymum, Prudentium, Iuuencum, Paulinum, & alios plures. Idem Fortunatus maximo affectu singularíque beneuolentia prosecutus Gregorium Pontificem, Emphronium, atque Felicem, vt alios omittamus. In peruetustis exemplaribus additum est no-

-men

men Clementiani: quod ab his probari poterit, qui paulo accuratius antiquitatem perscrutari voluerint.

F. GALLVS. CAP. XCIIII.

FAustus natione Gallus, patria Vassates, vt quidam referunt: alij Lugdunensem fecerunt: ijsdem temporibus in poëtica excelluit, quibus doctrina & ingenio præstantes habiti sunt Boëthius, Claudianus Mamercus, & Cassiodorus: qui à secretis fuit Theodorici Imperatoris. Enodius & Apollinaris permultũ concedunt Fausti poëmatis, quòd in ijs eruditũ se, atque ingeniosum probaret. Scripsit enim pro instituto Christianæ professionis Epigrammata & hymnos de rebus sacris, vt manifestò colligitur ex epistolis Enody. Versatus traditur Lugduni Galliæ vrbe, quæ à Numatio Planco condita est, vt quidã putant: ibiq; maximam laudem adeptus est suæ doctrinæ. Relatum præterea est de hoc Fausto, fuisse illum probis moribus, & in accusandis vitijs magna seueritate: quod etiam Cassiodorus pluribus locis affirmat. De ipsius poëmatis atque doctrina sic scriptum inuenio apud Enodium:

In veterum moram pangit noua carmina Faustus,
Et per membra suum desecat arte melos,
Doctꝰ ad incudẽ verba infabricata referre:
Quosq; facit versus terq; quaterq; probat.

Biblioteca de Galicia

Complura alia de Poëta Fausto scribuntur ab Enodio, quæ à nobis omittenda sunt. De Fausto Manichæo dicemus suo loco: contra quem leguntur adhuc multa volumina ab eruditissimo viro Augustino composita.

C. SOLLIVS SIDONIVS APOLLINARIS. CAP. XCV.

CAius Sollius Sidonius Apollinaris, genere Gallus fuit. Quidam Burdegalensem faciunt. Ipse verò de se scribens, pluribus locis atque epistolis Aruernum se dicit. Sunt enim Aruerni populi finitimi Eduis, inter Celtas constituti. Honestis parentibus, & illustri familia ortus est, Latinisq; literis à prima statim ætate magna diligentia institutus. Nã sub Flauio Nicetio (qui per ea tempora excellens Grammaticus habebatur) eruditionem accepit: cumq; ingenio & industria in prosequendis disciplinis magnopere præstaret, breui effecit, vt eos omnes antecederet, qui paribus studijs tenebantur. Permulta scripsit cùm soluta oratione, tum vario genere carminum. Libros nouem epistolarum secutus Plinium Secundũ, vt ipse refert: etsi tali opere magis ingenium probatur Sidonij, quàm iudicium, vt qui peregrinum & Gallicum redoleat, & simul inepta verborum affectatione supra modum laboret. Cuiusmodi accusantur à nostris Grammaticis Cassiodorus, Enodius, Fulgentius, & Claudian

Biblioteca de Galicia

dianus Mamercus, qui violata passim ac disiecta Romani Imperij dignitate, minimè seruarunt Latini sermonis puritatem. Itaque multò maiorem laudem adeptus est ex poëmatis, atque hendecasyllabis, quòd in ijs multum ingenij sit, atque elegantiæ minimè vulgaris. In ijs quoque Panegyricis commendatur, quos Antemio atque Maioriano dicauit, viris consularibus, atque clarissimis. Idem Sidonius magnopere dilexit eruditorum ingenia, summisque officijs ac singulari humanitate fouit: vt Lăpridium, Tonantium. Tetradium, & alios plures: quam rem ipsius epistolæ, atque epigrammata satis ostendunt. De sacerdotio illius, cæterisque dignitatibus nihil dicendum videtur, quod in plerisque alijs omisimus, qui collocati sunt ab antiquis scriptoribus inter Christianos Poëtas.

ADMONITIO OPERIS AD EOS QVI LEGERINT.

PErfecimus ad hanc diem libros quinq; de Poëtis Latinis: in quibus permultum diligentiæ ac laboris nobis collocatum est: nihil enim satis dignum memoria effici posse existimo, in quo parum diligenter, paruinq; accuratè sit elaboratum. Iuuabunt hoc institutum pernoscendæ antiquitatis, libri de Grammaticis, atque Oratoribus, qui paulò mox in lucem

Biblioteca de Galicia

proditurí ſunt dijs bene iuuantibus. Non ſum defuturus operi inchoato in aſſerendis atque approbandis ſtudijs noſtris: ac ſatis quidem factum exiſtimo ab ijs hominibus, qui alicui præclaro facinori intenti, contemnunt maleuolorum improbitatem, & alienam inſcitiam paruifaciunt, præſertim in ea re, in qua munus ſuſtineatur iuuandæ atque excolendæ poſteritatis. Quod equidem cùm diligenter conſidero, multò acrius, atque vigilantius perſiſtendum arbitror in præſidio optimarum diſciplinarum in quibus vniuerſam ætatem non ſine maxima voluptate conſumpſimus, perlectis atque obſeruatis veterum monumentis. Quòd ſi nulla præmia ſunt in ciuitate noſtra conſtituta bonis ingenijs, propter aduerſam rerum fortunam, & incredibilem hominum ambitionem: ſpero tamen fore, vt multi gratiam aliquam ſint habituri noſtris laboribus, quòd in tam ſæua conditione ſtudiorum gradum ſeruaui: ac re maximè inclinata minimè deſperandum putaui. Quod vtcunque acceptum æſtimatúmque ſit in tam vario & ancipiti iudicio hominum, haud equidem vehementer laboro: ſemel enim conſtitui, honeſtius eſſe, famam præclaris ſtudijs quærere, quàm turpem quæſtum malis artibus conſectari.

FINIS.

LVC

Biblioteca de Galicia

LVCEIVS VERONENSIS S. D. PETRO *Bembo patricio Veneto V. Clarissimo.*

* * *

MISIT ad me superioribus mensib' Cotta noster Poëmata Petri Crinniti: cupiebam enim (vt scis) magno opere ea legere: nō tantū quia permultū delector illius ingenio: sed quoniam ex tuis Epistolis sæpe intellexi quantum præstaret nostris temporibus in hoc etiā genere scribēdi, in quo perpauci (vt videmus) æquo animo legi possunt: nedum commendari ab eruditis hominibus debeant: Est enim (vt dicitur) rara auis bonus Poëta. Audio complura alia ab eodem Crinito composita esse, eáque haberi cùm alibi locis multis, tū Ferrariæ apud Estenses principes. Ego verò quia valdè faueo ingeniis nostræ ætatis, volui abs te desiderari officium meum: & ob id curaui, vti per eos opifices, qui libros formis imprimunt, diligenter atque accuratè excuderentur. Neque prætereà me latet, fore hoc minimè ingratum iis hominibus, qui veterum studia sectantur, ac bonas disciplinas colunt. Quod reliquum est, dabo operam quàm diligentissimè potero, vt cætera eiusdem poëmata ad te perferantur, quæ mihi pollicitus est Io. Cotta vir summa fide, atque excellenti doctrina ornatus. Vale.

PET

Biblioteca de Galicia

PETRI CRINITI POEMATVM LIBER PRIMVS.

*

Quòd Musis dicatus sit, reiecta populi inscitia.

MVsis dicatus semoueo procul
Vulgus profanum: nec populi ambitus,
Aut liuor nimium procax,
In me ius sibi vendicat:
Si non decora cum chlamyde arduos
Inter receptus fulgeo principes:
Si nec gemmea pocula
Nostris in laribus nitent:
At iure certo mi chelys aurea
Debetur olim: & per numeros graues
Insignis cithara deus
Me carmen tenerum docet.
Hinc peruirenti texere debitam
Lauro coronam Melpomene cupit
Qua firmum statuens decus
Vatum me referat choris.

Sed-

Biblioteca de Galicia

Seu me reductis vallibus audiet
Faunus canentem candida Næuiæ
Colla, & labra corallia,
Quæ me sollicitum tenent.
Seu malim inanes pectoris anxij
Iactare curas: & nimium graui
Detentum laqueo caput
Solari ad citharæ modos.
Vtcunque doctis carminibus iuuat
Inter morari Pieridum choros:
Vt vulgi imperium insolens
Ceu dirum fugiam nefas.
Nam quis putabit maius adhuc scelus,
Quantum nefandæ plebis inertia
Seruire: & petulantiam
Probrosam populi pati?
O sancta vatum pectora: & meis
Certum leuamen barbite quæstubus,
Quàm te suscipio libens
Porrectum Idalia manu?
Tu testis, vt proludat amabilis
Inter virendas Næuia virgines,
Cùm molles choreas agit,
Et blandos repetit iocos.

De sua ęternitate ex oraculo Apollinis,

NVper solutus cùm pharetra graui
Pæan resumpsit fatiloquam chelym,
Occepit inter carmina dulcibus

Voc

Biblioteca de Galicia

Vocare Musas cantibus.
Vidi per antrum (fas mihi dicere)
Passim moueri Pieridum choros.
Heu mens recenti prætrepidat metu
Cum sacra Phœbi cogito.
O quàm verendus crinibus aureis,
Ac prænitenti pectine celsior,
De me camœnis fata recluserit
Nullis mouenda seculis.
Cælo receptus cum cithara breui
Cantabo vates, sic placuit Ioui:
Dicam potentes Romulidum duces,
Dicam feroces barbaros:
Cædesq; regum sanguine Gallico
Factas, & acri pectore Vandalos.
Addemus armis indomitos Gethas,
Viresq; Turcarum graues.
Pridem resolui ferrea vincula
Queis colla regum Parca tenax ligat.
Vitabo felix regna Acherontica,
Dirámque Tartari luem.
Visam Gelones, & iaculo leues
Dacos, & alti brachia Caucasi:
Nil me mouebit degener ambitus,
Aut vana plebis gratia.
Liuore maior raptus in æthera
Lustrabo celsas cælicolûm plagas:
Et qua refulgens Hesperium decus
Incandet alma lampade.

Non

Biblioteca de Galicia

Non me reuinctis pallida crinibus,
Turpiq; luctu Nænia defleat:
Aeuo gratus perpetuo fruar
Seclis dicatus posteris.

Ad Auitum, exhortatio ad Virtutem.

VIrtute nil felicius,
Nil clarius sol aspicit,
Auite Musarum decus.
Incumbe quod facis, & gradum
Virtutis erectum tene:
Nec te labores anxij
Ab instituto flexerint.
Absolue totis viribus
Quod inchoatum dixeras.
Haud ille præstat cæteris,
Qui congerendis nummulis
Impallet, argento incubans.
Virtus repulsam despicit,
Ridetq; vanos ambitus:
Non fluctuat vento leui,
Nec pallet ignauo metu:
Variamq; sortis aleam
Audax inertem nuncupat.
Vbique virtus imperat
Suis decora fascibus:
Et acriter seruat gradum,
Immota cunctis casibus,
Ne fastu occupet grauis,

Aut

Aut luxus incidat impudens.
Virtus honestat purpuram,
Fiuntq; veri consules:
Verumq; nomen perferunt,
Vbi illa successit comes.
Non consul auro & purpura,
Sed consulendo præcipit:
Rectèq; patriam regens.
Inane nomen, & decus
Vanum est habendum protinus,
Se purpuratum vendere:
Ni virtus amplior prius
Circumstet ipsos principes.
Ille est beatus omnium
Cui virtus affuit comes.

Nęnia de obitu Laurentij Medicis viri Clarissimi ad Ioannem Picum Mirandulam.

Ecquis perpetuis constituet malis
Finem vllũ, vt valeã reddere me mihi
Pridem sepositi dulciloquam chelym
Et blandos Charitum modos.
Accedunt miseris funera luctibus,
Nec quicquam superos flectere victimis
Fas est, vt video: sic placitum Ioui,
Qui nutu regit omnia.
Heu noster Medices Italiæ decus
O' Pice interijt: væh misero mihi.
Lugete Aonidum qui colitis sacra,

Et

Et qui pro veteri fide
Virtutis pretium ritè reposcimus.
Nam quis tam rigido pectore barbarus:
Immaniq; animo, quin videat statim
Sublatum columen bonis?
Hic solus patriam consilio graui
Vndantem variis fluctibus extulit:
Nil diram veritus (discite posteri)
Regum sæuitiem & dolos.
Hic se pro pauidis ciuibus obtulit:
Hostilemq; aciem robore pectoris
Perfringens, viridi tempora gramine
Cinxit, dum sibi non putat
Parcendum, vt Latio præsidium ferat.
Heu heu quàm volucri decipimur bono:
Incassumq; pij, vt qui nimio ambitu
Surdos distrahimus deos.
At tu mœsta nouis patria lacrymis
Indulge: nec enim cernere adhuc potes
Quantum mox miseris ciuibus imminet
Fatorum grauis exitus.
Disiecta horrisono marmora fulmine
Templorum, & nimium dira tonitrua
Non frustra exitium terrificis minis
Portendunt patris deis.
O' fallax vtinam mentiar augur, &
Non vero auspicium carmine proferam.
Tu Pice interea desine conqueri.
Et parce imperio Iouis.

Biblioteca de Galicia

Quòd si non alius mox aderit Deus,
Extinctum Italiæ qui reparet decus:
Et Phœbum cupiat sedibus Aonum
Transferre in Latios lares:
Consiste in veteri præsidio tamen
Virtutum: & quod habes auspicijs tuis
Iam partum, in tacito contineas sinu,
Felix sorte tua satis.
Nam mitto tot opes ingenij, & sacrum
Fœcundi genium pectoris: & simul
Præclaris animum dotibus arduum,
Quo certum statues gradum,
Sed me sub tenerum tempus adhuc, velut
Surgentem viridi robore palmitem,
Cæli sæuities inuida perculit,
Deiecitq; bonam indolem.
Sic decussa iacent brachia viribus
Allisis: neque posthac animo pari
Audebo ingenium tollere: nec licet
Sperare vlterius mihi.

Ad Auitum, de quiete viuendi.

A Vite, si beatus esse contendis,
Supraq; cunctos otio frui certo
Nil timebis vltimã diem fati:
Animoq; forti lubricam feras sortem.
Vites potentum purpuras velut pestem:
Colasq; semper liberum genus vitæ,
In quo voluptas adsit, & quies mollis:

Blan

Biblioteca de Galicia

Blandi lepores, & sodalitas grata:
Delecti amici, candidi, & fides simplex.
Vita est habenda non solutior luxu:
Non segnis, aut vexata pluribus curis:
Sed in vigenti corpore vigeant sensus.
Iste est beatus, qui omnibus vacat curis:
Nec alteri, nec sibi negotium præbet.

De sua quiete post multas calamitates.

SI quis in tantis hominum procellis
Inter & curas, variosq; casus
Gaudet assertor fidei decoram
Carpere vitam:
Huius exemplum sequar expeditus:
Et meos vitæ melioris annos
Liber ad certam referam quietem
Cultor honesti.
Cautius posthac mea cymba cursum
Acta per syrteis scopulósque duros
Soluet, & nullos temere insequetur
Aequoris æstus.
Profuit sæuæ rabiem Charybdis,
Atque vesanos adysse fluctus:
Gratior tandem foret vt voluptas
Visere portum.
Integram fessi melius quietem
Sentiunt: blandus plumijs relictis
Redditur Pæan: nitidumq; lumen

Biblioteca de Galicia

Pandit Olympi.
Illud in primis superos precamur,
Vita dum nostrum comitatur æuum,
In sacris totum vt liceat camœnis
Ponere tempus.

Monodia de laude Angeli Politiani.

SI rem relicto Daunio
Quærebat vbi consisteret:
Diuq; vagula deuolans
Accessit amnem lassula
Arni fluentis leniter:
Et commota satis, iter
Parabat incœptum sequi.
Sed ecce dum vaga subuolat,
Audit repentè rem nouam,
Nouosq; numeros, & noua
Carmina canentis Angeli.
Itaque statim in labra connolat
Dulci lepore perlita:
Et inquit, hic libet agere,
Hic hic morabor sedulo:
Vbi gratiæ, decor, & Venus
Tam blanditer simul canunt,
Carmenq; fundunt aureum.
Tu nunc valebis Daunie.

Ad Faustum, de suis studiis, & iniquitate sui temporis.

Expes

Biblioteca de Galicia

EXpetis vt proprias referam tibi carmine curas,
Simúlque noſtra gaudia:
Si tamen vlla poteſt hoc tẽpore grata voluptas
Soporem adimere ſenſibus.
Nam quid in Aonidum liceat deſcendere ſylvas
Occluſo vbique tramite?
Additur & noſtris hæc ætas ferrea damnis,
Qua Mars repreſſit Pallada.
Officiumque togæ periit: tantũ arma ſuperſunt,
Geruntur omnia viribus.
Iam video inſtructas acies in bella vocari.
Promuntur enſes Martij.
Materiam ſcelerum ſtruimus, propriúmque nefandæ
Ius additur libidi.
Sic hominum vita aſſiduo dum fluctuat æſtu
Torquetur in dies magis.
Nullus enim variis nouit præſcribere votis
Finem: ſed omnes fallimur.
Illum ſollicitat faſtoſæ gloria laudis:
Hunc ambitus vexat grauis.
Ex humilíque aliquis nunc ſumma peroccupat audax,
Parémque fatis ſe putat.
Qui tamen (vt ſuperis libuit) deceptus inani
Aura iocantis aleæ.
Præcipitem ſeſe tradens immergitur vndis,

Biblioteca de Galicia

Nec ſubleuat preſſum caput.
Aſt ego nõ me iſtis committã Fauſte procellis,
Nec otio imponam meo.
Et valeant, quibus atra fames inſederit auri,
Sic ipſe mecummet habito:
Inq; dies vitam veluti moriturus in horas
Carpo, & reſeruo me mihi.
Atque vtinã liceat ſtudiorũ attingere ſummã
Queis docta voui pectora.
Interea curas veterum tu Fauſte laborum
Reſcribe vt altum percales.

Ad Fauſtum, de ſylua Oricellaria.

O Linn decorum frondibus ſacris nemus
Mones dicandum poſteris,
In quo labores Cynthius noſter ſolet
Doctis leuare cantibus.
Non deſit vllo tempore ſalubritas loci,
Mituq; cæli gratia.
Hinc ſat videbis alta Floræ mœnia
Et Fæſulas biuertices.
O quàm reuiſo nobilem ſylnam libens,
Genio dicatam Palladis!
Libet vagari Fauſte per ſacrum nemus,
Dum vernat alta populus.
Et dum virenti ſibilat pinus coma,
Amata priſcis vatibus.
In aſtra ſurgens maximi quercus Iouis,
Protendit alta brachia:

Sub

Suberq; iuxta punicoso cortice
Ramis vireſcit æmulis,
Illic & alnus blandienti gratiæ
Intexit vmbris gramina.
Philyraq; mollis peruenuſtis frondibus
Procreſcit in ſyluæ decus.
Hederæ ſequaces reptitant per arbores,
Viridiq; nexu veſtiunt.
Et molliores mutuis amplexibus
Vites maritantur pyris.
Ac dum ſubinde vinciuntur arctius
Tegunt amores frondibus.
O quàm virenti fronde ſylueſcit nemus
Cum verna Cypris incalet.
Platanus in altum porrigit lætum caput
Aſcita ad vmbræ gratiam:
Mutansq; proprium quotannis corticem
Inter virentes arbores:
Audax renidet cùm iuuentam reſpicit
Velut reſurgens lætior.
Neque hæc rigari poſtulat dulci mero,
Aut amnium nymphas petit.
Lotos per orbem turbinat comas ſuas
Lotos ſacrata Cynthio:
Vbi grata me Dryas reuiſit & comi
Lepore alumnum detinet.
Syluam hanc tuetur Curus, & Capripes Deus:
Tuentur & ſatyri leues.
Iuuat videre laureas Dalphnes comas,

Biblioteca de Galicia

Floresq; cum baccis suis.
Illic strepentes conqueruntur alites,
Varioq; certant murmure.
Et interim discursitant damæ leues,
Lepusq; subsilit pauens.
Proludit antris & cuniculus salax,
Syluæq; cultor hinnulus.
Et histrices acuminatis spiculis
Minantur, & tamen placent.
Seu tela vibrant sæuiente prælio,
Seu mitiores lusitant.
Quantum propinqui floret horti amœnitas
Cum consitis abietibus?
Seu te virentes floreis pratis comæ,
Seu cultus herbarum capit,
Vtcunque sit parantur illa commoda,
Quæ molliter curas foueni.
Et ò beatum, qui sub antiqua ilice
Liuentis expers ambitus
Vel sacra vatum curat, aut doctum otium
Curis solutior fouet.
Sic ille nil miratur æstus principum.
Nec sceptra regum suspicit:
Sed in virenti detinetur gramine,
Et se reseruat posteris.

Ad Mariam virginem.

O Diua celso prædita lumine,
Quæ cuncta nutu sidera temperas,
Descen-

Biblioteca de Galicia

Descende cælo
Nube reiecta.
Adsis precanti: & Castalium melos
Cum thure sacro suscipias rogo,
Dum vota soluit
Carmine vates.
Suscepta cælo diuiparens nitens,
Felixq; ducis virgineos choros,
Cui plaudit alto.
Vertice Olympus.

Ad Auitum de innocentia Vatum.

Aeterna vatum pectora mollibus
Mulcentur auris. Nam cithara graui
Phœbus decorem Castalium instruit
Vates verendo pectore nobilis
Vel fata pandit, aut tripodes sacros
Grato ac perenni carmine concutit.
Non illum Auite plebis inertia
Aut insolentes heu animi mouent.
Sed ipse felix perpetuis bonis
Paret Camœnis, & placidam simul
Mentis quietem molliter occupat:
Virtuti amicus, nil reliqua æstimat.
Hunc sæpe Pallas Gorgonis immemor
Secernit inter prata virentia:
Et fronde sacra tempora vinciens
In alta passim sidera subleuat.
Qui mox receptus Pieridum choris

Biblioteca de Galicia

Depromit audax Palladium melos.
Sic æstuanti liber ab ambitu
Liuoris atri despicit impetum:
Vulgiq; laxum, & desidiam procul
Tutus relinquit. Nanque Heliconidum
Carmen beatis concipit auribus,
Quo fata rerum perpetuo vigent.

Ad Faustum, de Carolo Rege Francorum, cùm ad Vrbem tenderet cum exercitu.

QVid occupatum literis vrges tuis
Frustraq; toties flagitas,
Vt impotentis Galliæ fastum grauem,
Regemq; dicam Carolum?
Satis superq; Fauste dedimus lacrymis,
Clademq; nostram luximus.
Et ecce rursus additur malis scelus,
Fouemus ipsi Galliam:
Ac studio inerti opes & omnem militem
Iungimus ad hostilem manum,
Irrepsit altum virus animis Italùm,
Ac peruagatur latius.
Vides nefandis vt trahuntur odijs
Plerique Thuscorum duces.
Et dum vicissim fluctuantes dimicant,
Bacchantur in cædem suam.
Sed interim Carolus ad vrbis mœnia
Cum copijs victor agitur:
Audaxq; monstrat militi Romano suo,

Et

Et comminatur patribus.
Intorquet hastam miles in flumen sacrum,
Patrémque Tybrim despicit.
O' prisca virtus, ô senatus Romuli,
An hæc videtis Cæsares?
Vidi mouentem Martios fasces Iouem.
Et annuentem Barbaris.
Quantum hinc malorum, quantum adest incendij,
Quantum cruoris effluet?
Pœnam rependet innocens Neapolis
Virtutis immemor suæ:
Et occidet Aragoniæ clarum decus,
Sic Mars cruentus imperat:
Qui nunc feroces Galliæ turmas fouet,
Ridens inertes Italos.
Graue est videre Fauste, quæ fata imperant.
Vah tibi caue Neapolis.

De Morando Hetrusco Luctatore cum Gallo.

VOcatus à Gallo Morandus ad luctam,
Primùm modestè congredi recusauit.
Sed postquã inertẽ hũc nominat furens Gallus,
Illic resumens pristinum ferox robur,
Hetrusca virtus constitit gradu firmo:
Simul renudat horrida atque setosa
Membra, valentia latera atque compacta:
Et pondus ingens grandium lacertorum:
Firmúmque robur & acre pectoris vasti.

Mox

Mox in palæstram prodeunt minabundi:
Sed vbi vicissim nexibus catenatis
Accensa virtus excitant ad palmam:
Subin Morandus comprimit reluctantem,
Vastaq; mole pectoris superstantis
Recuruat: ille inflexa colla contorquens
Et victa brachia implicans, iners robur
Luctante nixu dum nouare contendit,
Victor Morandus vrget: ac statim Gallus
Latè per antrum sternitur supinatus.

De suo amore in Glyceren, ex Poëta Anacreonte.

Dvm sacrum Paphiæ deæ
Sertis cum roseis paro,
Et inter violas simul
Nectuntur candida lilia:
Raptim cum tremula face
Atrox Idaliæ puer
In me sæuius insilit:
Et in præcordia, væh mihi,
Illapsus fremit, & procax
Me flammis agitat suis:
Quo semper Glyceren bonam
Vesanis ignibus ardeam.

Nænia de obitu Poëtæ Marulli Byzantij.

An' perisse maximum vatem meum?
Num vera Philon nuntias?

Quid

Biblioteca de Galicia

Quid audio? quis ausus, indignum scelus,
Nobis, Marulle, te abstulit?
O ludicram spem vitæ: & ò dementiam
Mortalis impotentiæ.
Vt falsi inani detinemur gaudio,
Vanásque iactamus preces.
Sed ò deorum imperium, & ò necessitas
Quæ ludis humanum genus:
Celsi tonantis insidens capite altius,
Superba vinculis æneis,
Quæ cuncta nectis, & potenti dexteræ
Nostrum repellis ambitum.
En ipse cum meis repulsus victimis
Falso Marulle dixeram:
Viues beatos atque candidos dies:
Viues fauente Cynthio.
Sed ò sacrum pectus, quis ille vndantibus
Te Cæcinæ lyphis dedit?
Quis ille nostris obstitit votis Deus:
Contráque tot meas preces
Audax negauit te mihi superstitem?
O nullibi certam fidem.
An diua Napæ filia potens Cæcinæ.
Marulle te mihi abstulit:
Numerósque nobiles & entheum melos
Dicauit vndis gemmeis?
Sic tu Marulle deseris dulcem chelym,
Vatúmque carmen aureum?
Quis inter aptus Gratias atque Veneres

Docte

Docte camœnas inferet?
Quis nunc deorum laudem & omnigenũ decus
Cœlestis aulæ concinet?
Quis fronde sacra cinxerit crines suos,
Regemq; dicet maximum?
Sed frustra inerti lacrymamus nænia,
Quod arripit fatum potens.

De laude Fr. Gonzagæ Principis illustrissimi Mantuani, cùm ad Tarrum contra Gallos dimicauit.

O Quis beato carmine tam potens,
Tantúmque clara nobilis indole,
Aut dote rara polleat ingeni,
Vt hoc egregium decus
Cantare Italidum queat?
Qui nuper audax vindice dextera
Horrenda victos repulit agmina
Gallorum: & idem reddidit Italis
Antiquum imperium, atque opes.
Salue ò præsidium & salus.
Tu solus autor Barbaricam luem
Visendus acri ferreus agmine
Represti: & inter mille cadentium
Cædes horrificas virûm.
Virtutis retinens decus.
Tu præpotentis gloriæ Mantuæ

Tarrum

Biblioteca de Galicia

Tarrum cruentas: cæde potentior
Ferrata sæuæ robora Galliæ
Perrumpens, simul impetu
Obtruncans aciem hostium.
Non aliter atrox diuit in Gethas
Gradiuus olim cum clypeo graui
Oppressa Thracum fortia pectora
Contriuit miseris modis
Sese constituens Deum.
Sic tu receptis arduus Italis
Vindex nefandi vincula seruitii
Iniecta rumpis: nec pateris tuos
Fidentes male Barbaris
Seruire imperio truci.
Hinc promerenti populifer Padus
Illapsus vndis suaue virentibus
Gestit perennes reddere gratias:
Et gramen tenerum ferens
Acclinat capiti sacro.
Porgunt & Alpes candida brachia,
Possint vt alto vertice clarius
Summum tueri præsidium Ausonum,
Quo stat militiæ gradus
Et firmum columen suis.
Lætare tanto Mantua principe,
Et dic, quiescam sub clypeo Iouis,
Donec licebit cernere sospitem,
Qui signa & veteres opes
Deiectæ Italiæ refert.

Carmen

Biblioteca de Galicia

Carmen Charisticon ad Eridanum Fluuium pro recepta salute cum in eum decidisset.

Hvc afferHile victimas sacris lectas,
Pariterq; thurea munera & festas da-
Par est dicatis salubribus diē Nymphis (pes.
Sancteq; colere maximum
Padi numen.
Eridane salue fluminum omnium princeps:
Nam te decoris & fluentibus nymphis
Velut parentem cæteri colunt amnes.
En cape dicatas ritè victimas: vates
Quas pro recepta tibi salute persoluit.
Tu me cadentem mollibus tuis vlnis
Excepisti, & altis subleuas aquis mersum:
Madidaq; veste pressum in herbidis ripis
Ac præuirenti reddis in solo tutum.
Salue bicornis alme Eridane, quem Phœbus
Sub luce clara genuit inclytis vndis.
Tu cernis alto vertice Hesperi sedem,
Solusq; lustras ditia Ausonum regna:
Tot nobiles vrbes, tot arduos montes,
Et tot perennes amnium simul Nymphas
Decore grato & commodis tuis ornas.
Quid hic virentia nemora, & vagos saltus,
Fontesq; dicam: & prata florea, & colles
Qui prominentes accolunt tuum numen?
O quot perenni semine generas natos,

Qui

Biblioteca de Galicia

Qui te parente nobiles magis surgunt:
Proculq; varias Italùm vident gentes?
Quantum renidet lusitans pecus lætum,
Cùm passim amœnis pernagatur in ripis,
Vt Vesperi laboris optimi munus,
Distenta portet ubera ad pium quæstum?
Argento pisces colore fulgentes
Per blandientis fluminis natant undas.
Illic gregatim congruunt Scari molles,
Qui præpotentum dapsiles struunt cœnas.
Et ponderosi confluunt aquis Mulli:
Lupusq; saltim ludit, & celer Mugil.
Quid hic minores piscium greges dicam,
Et agminatim promicantibus squamis
Inter fluentes lubricum pecus riuos?
Vndosa Nais te accipit sinu blando,
Varioq; cantu aura fauente permulcet:
Torum Lytea mulliter tibi sternit,
Multoq; flore lubricum caput spargit,
Et inter herbas prænitentibus Nymphis
Iungit virentia suauiter tibi labra.
Tu iure medium lumen obtines cæli,
Et inter astra fulgidum nites sidus.

Monodia de Fortuna, & eius viribus.

FOrtuna pollens imperio graui
In quenq; summis prædita viribus.
Ceu nimbus alto proditus à Ioue,
Fastum potenti deijcit impetu:

Biblioteca de Galicia

Regumq; turres pro nihilo facit.
Ludit procaci sæuitia vt lubet.
Humana miscens instabili ioco.
Et nunc probatos improbat impudens:
Extollit audax obsequio leui
Tardos, inertes, & fatuos simul:
Fortuna celso vertice prominens
Sublimis almo constitit æthere,
Et cuncta ponens sub pedibus sacris
Extrema primis percupidè implicat,
Et prima rursus versat in vltima.
Non lege certa conuariat gradum,
Nullique seruat pollicitam fidem:
Sed vrget omnes dira necessitas,
Nodóque stringens irresolubili
Nectit catenam fati adamantinam.
Hanc nullus vnquam dissoluit satis,
Torquentur omnes sub laqueo truci.
Magisque fortes fortius opprimit:
Qui se extimarunt libera cernere
Deuincta sæuis pectora vinculis.

De Lacone saucio: ex Græco.

Lacon relicta parmula
Cùm se videret saucium
Cedentibus passim suis,
Cruentus in bellum redit,
Clypeóque adepto nobilis
Inclamat ad suos statim,

Adeste,

Adeste, quò decurritis?
Non sunt timenda vulnera:
Præstat mori, quàm cedere.

De Ludouico Sfortia Principe Claclariss. qui proditus est per Heluetios.

OLim vigebat Sfortiadum genus,
Et præpotenti milite nobilis
Princeps & æstu, & consilio fuit:
Quò nunc Heluetiûm dolis
Vinctus nefanda cõpede, proh pudor,
Nequicquam inertes aduocat Insubres.
Vt impudenter perfidus Allobrox
Stringendum dedit hostibus.
An hæc sacratæ fœdera dextera?
Quid iura belli sancta refringitis?
O non ferendum flagitium insolens.
Quid culpam sceleri additis?
Non hoc decebat Martia pectora.
Sed tuta nusquam est heu miseris fides.
Fortuna certis nescia viribus
Tutari veterem gradum,
Cur tam procaci lubrica gaudio
Gestis potentum vota repellere,
Et celsa diro concutis impetu
Ne virtus nimium sibi
Confidat: aut iactet proprium bonum,
Si quando summis pollet honoribus?
Tu nunc catenas Sfortia principum

Biblioteca de Galicia

Immortale decus, teris.
Circumligarunt vndique barbara
Nodis reuinctum vincla tenacibus,
Ne possit vllo tempore liberum
Monstrare Italiæ caput.

Monodia de choro Sybaritico. Ex Græco.

HAec virtus Sybaritica,
Permolles choreas vago
Saltatu, & tremulis modis
Exercere iuuentam.
Gradiuus valeat furens:
Non hic horrida tympana,
Non vultu Cicones truci, aut
Sæuis Bistones armis:
Sed læti atque hilares ioci,
Et molles veneres simul
Inter delitias fluant,
Grato non sine luxu.
Sic poscit Veneris calor.
Dum noster Genius viget.
Et blandas Charites refert,
Dulces iungite amores.
Carpamus celerem diem,
Dum vitæ breuitas monet,
Et cantus teneri vocant.
Nil sub sole peremat.
Hic multum sapiet sibi,
Qui magnos calices rapit

Vndan

Vndantes veteri mero.
Et se proluit auro.
Iam nunc ô comites boni
Inter grandia pocula
Certemus Venerem sequi,&
Dulces promere fructus.

Ad Ber. Carapham, de malis atque calamitate Neapolis.

MIttantur veteres tot querimoniæ,
Carapha,& lacrimis pone modū tuis.
Indulsti patriæ, dum licuit, satis:
Sed frustra superos vocas.
Nam fatis trahimur, fata Neapolim
Vexari miseris cladibus imperant,
Et duro pariter servitio premi,
Donec, non alium, queat
Regem Parthenope cernere maximum,
Qui clarum propriis nomen honoribus
Sublimis liquidum tollat in æthera,
Et firmum reparet decus.
Id quando acciderit, non satis audeo
Effari: si quidem non clarius mihi
Per sacros tripodes certa refert Deus.
Nec servat penitus fidem.
Quod si quid liceat credere adhuc tamen,
Nam lævum tonuit, non fuerit procul
Quærendus celeri qui properet gradu,
Et Gallum reprimat ferox.

Biblioteca de Galicia

Monodia de laude Horatij Flacci Poëtæ.

FLacce, qui cantu nimium beato
Surgis, & molles teneris labellis
Dulce perfundis numeros, & apte
Carmina nectis,
Trade nunc primum Citharam petenti,
Quam tibi vates meritò sacrauit
Filius summi Iouis, & soluto
Crine decorus.
Nanque tu doctis Charitas camœnis
Iungis, & flauos per amica crines
Colla delapsos Glyceresque in alta
Sidera tollis.
Siue tu Martis clypeum potentis
Versibus sæuos referens Sicambros
Dicis: & claras acies Gelonum, &
Cæsaris arma:
Siue Cyrrhæos nemorosa saltus
Rura perlustras, tenuésque lymphas
Tiburis captas, simul & virentis
Gramina campi:
Liber exultas modulante plectro
Daulias qualis viridi sub antro
Conspicit Phœbum, teneróque mulcet
Aethera cantu.
Siue crateras veteri Lyæo
Impari sumis numero, & puellas
Inter & poscis iuuenes proterue

Lud

Biblioteca de Galicia

Ludere risu.
Siue tu mauis Satyros procaces
Furta cum lætus agitare Nymphis,
Dum Venus dulci superante ludo
Spirat amores.
Blanda felicem leuat aura vatem,
Siue perlustrat Phaëthonta magnum,
Siue depressum volitat per orbem
Præpete lapsu.
Nunc Iouis claros memoras triumphos,
Et vagum Maia genitum per astra
Rite labentem statuis decorum
Laude perenni.
Sic per immensi caua templa cæli
Vectus audaci recreas Thalia
Cuncta, & insanos Veneris calores
Carmine mulces.

Ad seipsum, de perfidia Neæræ.

CRinite tandem cum tuo malo, prudens
Satis, superq; te Neæra decepit,
Amata nobis, vt nihil magis posset.
Sed pone demum, pone tot malis finem:
Et quod periuit, perditum quidem ducas.
Sic ipsa forsan mihi Neæra, quæ tantum
Insedit olim, protinus relabetur.
Ergo valebis ô Neæra, non digna
Tam certo amore, tamq; nobili cura.
Puella perfida, insolens & ingrata.

Biblioteca de Galicia

Vale, vale, inquam, & alterum vt lubet sume.
Tu perfer, obdura, obstinatam habe mentem:
Resiste prorsus, & animi tui robur
Confirma, vt æquum & alma postulat virtus.
Non cernis vt complurate cohortantur,
Et in dies magis, magisq; te cogunt
Vt æquitatem, & optimos colas mores:
Quo iure possis approbare te cunctis?

FINIS.

Biblioteca de Galicia

PETRI CRINITI POEMATVM LIBER SECVNDVS.

*

Ad Ferrandum Aragonium, Neapolis, & Siciliæ Regem inuictissimum.

Princeps coruſca lampade clarior,
Quē præpotētes Heſperiæ duces,
Et purpurati Romulidū patres
Ad iura imperij vocant.
Hinc rite ſupplex te Calaber petit,
Et vota lectis concipit hoſtijs
Sacras ad aras, vt ſibi te dei
Seruare incolumem velint.
Hinc te ſupremus viſere pontifex.
Omniſq; latè Lydia, & Appulus,
Et deſtitutæ regna Neapolis
Vnum te reuocant ſibi.
Quid differendo protrahis? & moras
Innectis vltra? quin agedum eſſedum
Inſcende felix: nec pudeat ſemel
Diuorum imperium ſequi.

Biblioteca de Galicia

Sunt plura, quæ te perpetuo monent,
Ne derelictam Parthenopen velis:
Quæ te regente, & sospite, non timet
Prælongas Venetûm manus.
Nam tot procellis, tam varijs malis
Vexata tandem, ceu sibi redditum
Cælo parentem, & præsidium, deis
Grates innumeras agit.
Nil differendum: quod superis placet.
Non frustra inertes concilio Iouis
Arcentur: & primum adsore tempori
Virtutis pretium fuit.
Absolue tandem: nanque per Ausones
Et per vagantis gramina Lyridis
Latè patebit certum iter: & tuis
Iam cæptis Latium fauet.
Vulturnus vndis lene fluentibus
Tollit decorum cæruleus caput:
Et longa supplex brachia porrigit
Antiquum repetens decus.
Olim tuetur te superûm pater,
Sacrosq; crines casside Martia
Fecit verendos: & triplici simul
Armauit clypeo latus.
Pridem catenis subdita ferreis
Fortuna votis obsequitur tuis.
Idemq; certis sidera motibus
Portendunt penitus tibi.

Vir

Virtute tantum conficies tua,
Quantum nec alter milite maximo
Perfecit vnquam. Te populi optimæ
Custodem fidei colunt.
Tu signa Mauris rapta minantibus
Ferrande regum victor Ibericas
Refers ad vndas: hinc meritis adest
Immortale decus tuis.
Per te nefandæ frena libidini
Iniecta: quondam sacrilegum genus
Bethis resumptis legibus impiam
Euasit veterem luem:
Et vera sensim numina Cælitum
Iam ritè dicens constituit pari
Nexu reuinci iustitiam & fidem:
Constantique animo tenet.
Te vidit atrox fulmina Cantaber
Torquentem: & ictu mœnia barbara
Confracta gentis: nam tibi pro sacris
Pugnanti superi fauent.
Per te resurgit gens Aragonia:
Tu solus aucta per numeros suos
Virtute princeps in superas plagas
Ascensum facilem paras.
Vnus superstas maxime principum
Vindex futurus: numine qui tuo
Christi cadentem militiam regas,
Et pacem Italiæ feras.
Maiora virtus auspicijs tuis

Molit

Biblioteca de Galicia

Molitur ô rex inclyte: nam tibi
Nil denegatum: sic pietas meret.
Et rarum fidei decus.
Tu perge felix, quò superi vocant,
Ferrande: & olim raptæ fauentibus
Tot signa fatis dent animos tibi
Firmandi patrios deos.

Ad Marullum Byzantium, de imagine & portento Auaritiæ.

NV per Fæsuleis (vt soleo) iugis
Mentem Lesbiaco carmine molliter
Solari libuit: mox teneram chelym
Myrto sub viridi deposui: & gradum
Placuit ad vrbem flectere:
Quæ noster medices Pieridum parens
Marulle hospitium dulce tibi exhibet:
Ac te perpetuis muneribus fouens
Phœbum non patitur tela resumere:
Laurens Camœnarum decus.
Dùmque amnem meditor visere patrium,
Qui Floram tenui proluit ambitu:
Ecce horrenda oculis, heu facies meis
Raptim fumifico desiliens specu
Immane monstrum constitit.
Cui sunt & manus & pectus ahenea,
Et diris colubris implicitum caput:
Frons humana tamen, lurida buxeo

Pal-

Biblioteca de Galicia

Pallore, & maculis squallida liuidis
Monstrauit insitam famem,
Tunc primum pauido dirigui metu:
Et mens attonitis torpida sensibus
Vnde hoc obstupuit, tanta lues foret:
Quæ sic tabificis noxia sordibus
Vrbes & agros inficit,
Sed mox cùm licuit cernere clarius:
Et dirum video prodigij scelus:
Agnoui cupidis implicitum viris
Monstrum: qui miseræ solliciti famæ
Nil præter aurum cogitant.

De laude Consalui Ferrandi in victoria Lyriana contra Gallos.

O Quis reposti pocula liberi
Depromit? aut quis nunc mihi victimas
Cum thure sacro rite puer parat,
Insignem vt referam diem?
Quo dux vigenti milite maximus
Lyrim refuso sanguine Galliæ
Vidit tumentem: gesaque supplicò
Porrecta in medium manu.
Heu quanta passim funera nobilem
Lucem sacrarunt qua tibi maxima
Ferrande laus, & perpetuum decus
Partum est auspicijs tuis.
Tu macte princeps consilio graui

Fren-

Biblioteca de Galicia

Frænum receptis viribus injcis:
Gallósque & astu, & viribus occupans
Hostilem superas manum.
Victor, & urges: testis adest cruor:
Testisque & omnis Gallia: dum tuum
Mirata forti pectore militem
Hispanum subijt iugum.
Quantus triumphus: quæ statuæ tibi
Debentur? ô si nunc meritas queam.
Cantare laudes principis, & pares
Aptare ad numeros chelym.
Sic est, volenti nihil homini arduum:
Quem firma virtus extulit: inuium
Nullum relictum est ingenijs iter
Queis cælum petere est datum.
Ferrandus armis, & sapientia
Præclarus, vt qui Marte potens acri
Deiecit arces funditus, & sibi
Aeternum statuit decus.
Non ante quisquam tam celeri gradu
Oppressit hostem victor: & impiger
Munita certis oppida viribus
Astu perdomuit suo.

Ad Phosphorum contra insolentiam principum.

QVicunque in astra tendit, & sequi velit
Virgam decoris aurei,

Decli-

Biblioteca de Galicia

Declinet aulam, & æstuantes purpuras,
Frontem tyranni despuat.
Quid tã scelestum, quin sibi arroget impudens:
Libido nequam principum?
Non sentis impotentis vt fastus animi
In quenq; sæuit optimum?
Extollit audax perditam vecordiam,
Fouétque primum noxios.
At obsoleto mœret, indignum nefas,
Vbique virtus pallio,
Et in remoto delitescens angulo
Modesta secum mussitat:
O ludicram spem vitæ, & ô dementiam
Mortalis impudentiæ.
Vixi tot annos alea infelix graui,
Nec datur adhuc quies malis,
Quid contra inermem comminaris acrius?
Inanis est victoria,
Gradum tuebar hactenus pro viribus
Non immemor natalium,
Satis supérque constat exemplis meis
Quantum tibi sunne arroges.
Sic acta fatis virtus aduersantibus
Animo resistit arduo:
Et obstinata mente defendit gradum,
Nescítque victa cedere.
Ego interim Phosphore quietus vixero:
Miserque dicar, non reus.

Ad

Biblioteca de Galicia

Ad Angelum Cyprium : quòd in Lyricis canendis præstet.

Dum sacris vigilas Palladis, & tuam
Illustrem repetis chelym,
Inter Pieridum choros
Quis te nobilius canit?
Nil miramur enim si veteres Cyprus
Ignes, ac teneras simul
Per te nequitias refert,
Cui se tota Venus dedit.
Amissum revocas Castalium decus:
Nec te carmine Lesbyo
Sabina exuperat fides:
Seu cantes tenerum melos,
Seu te detineat Nænia funebris,
Mirum est quàm facilis fluat
Inter delicias lepor,
Et sint ad genium omnia.
Seu tu floriferam concelebras Paphum,
In qua sæpe hedera sacros
Dum ludit pedibus Dryas
Crines præuiridi ligat.
Tu reddis Veneris percalidum bonæ
Suaui ceston amaraco,
Quo tactus superûm pater
Formas omnigenas subit.

Ad

Biblioteca de Galicia

Ad Bernardum Carapham Neapolitanum.

O Me beatum, qui æstuantis æquoris
Tantos peregi turbines:
Qui dissidentibus tot austris cymbulam
Non penitus infregi meam.
Non Scylla, non Charybdis hactenus minax
Me mouit vsquam de gradu:
Sed ipsa vitæ ratio & antiquum decus
Mentem excitauit acrius.
Defleuit olim, meq; præreptum sibi
Testata Siren questibus.
Sic ipse tandem mille post curas graueis,
Ac tot peracta incommoda,
Te præmonente Palladis munus sacrum
Summis capessam viribus.
Tu me Carapha suscipis molli sinu,
Doctisq; mulces cantibus.
Debemus ergo muneri pares tuo
Laudes & æquè gratias.

De virtute Ioannis Andreæ Lamponiani Tyrannicidæ.

PArabat olim sacra Bruti manibus
Antiqua virtus Italûm:
Ac forte lectam dum rependit hostiam
Marti dicatam vindici:
Fontem retorsit illico ad acres Insubres

Biblioteca de Galicia

Mirata fortem dexteram.
Quid, inquit, hoc tandem video? quò euocor?
Valere Brutorum sacra.
Hic noster est alumnus. ô certum decus,
Vindex nefandi criminis,
Qui tam cruento acynace ferox indicat
Sparsum tyranni sanguinem.
Vt spirat audax in tyrannicum scelus?
Vere est alumnus hic meus.
Aliæ hostiæ, Nouæ parentur victimæ,
Quis alta surgat indoles.
Quod si quis improbos tyrannos eijcit,
Aut odit insolentiam,
Litare debet mecum: & hanc lucem sacram
Seruare centum victimis.

Ad Phosphorum, de fugiendis malis quæ in amore sunt.

A Moris æstus atque amantum insaniam
Si quis sequatur Phosphore,
Idemq; dicat esse multò gratius
Amore captum viuere:
O quàm nefasto ludibundus poculo
Sensum venenum concipit.
Quietis expers anxiam mentem gerit,
Et ardet ambitu leui.
Nunc plenus aura vota despectat sua:
Falsoq; trahitur gaudio:
Nunc insolens contemnit infames notas,

Aut

Biblioteca de Galicia

Aut pallet ignauo metu:
Vel impudenti contumax audacia
In omne prorui scelus.
Non feruet æquè sub Sicanis montibus
Vasto receptus in specu
Gigas nigrantes horridus flammas vomens.
Quàm amantis æstuat animus,
Et huc, & illuc peste succensus graui
Inclamat heu diras faces,
Vt ardeo infelix, vt in præcordia
Desæuit hoc incendium
Ergo nefandis liberum caput malis
Nobis tuendum Phospore.

Ad Thomam Fuscum de malis & incommodis suæ ætatis.

DVm mecum repeto, quàm fuerit grauis
Fortuna Italidũ, et quàm varius cruor
Infecit miseris cædibus Ausones:
Heu mens, atque animi cadunt.
Exactum video Fusce decennium,
Quo Martis fragor, & dissidium potens
Vexauit Latium: sic studium mali
Excreuit magis in dies.
At nos Pieridum quos retinet deus,
Et mollis tenerum carmen inertiæ.
Nil vltra faciles credimus affore
Incœptis grauibus deos.

Biblioteca de Galicia

Nam cui tam rigidum est pectoris æneï
Robur, quin pauidis sensibus excidat,
Dum tantam videat diluuiem, & truces
Instare Italiæ duces?
Atrox sanguineam sustulit ægida
Bellona: & celeri vecta petorrito
Instruxit Morinum in prælia militem.
Prædiris agitans minis.
Heu heu iam strepitus classica barbari,
Et iuncta horrisonis tympana cornibus
Ad cædem variam sæuius intonant.
O' quantus cruor effluet!
Quantum Mars Gethico sæuiet impetu
Inter mille neces: namque valentibus
Pugnabunt acies undique dexteris,
Nec fortem referent gradum.
Implebunt Latium sanguine Martio,
Reges Hesperij: sic libitum Ioui,
Qui diram imperio non reuocabili
Fatorum seriem trahit.

Ad Matullum Byzantium de improba mordacitate Zoili tardipedis.

ADhuc, Marulle, tardipes meus viget
Nec ponit improbas minas.
Liuescit vsquequaque, & impudentius
In quenque sæuit æstuans:
Superbienti tumidus insolentia

Deste

Biblioteca de Galicia

Despectat humanum genus:
Omnesq; liuidis inurens morsibus,
Vbique virus proïcit:
Non parcit vllis, & vocari Zoilum
Lætatur, infandum scelus.
Et quod minus ferendum, vt olim dixeras
Ceu trimulus puer sapit.
Idem retorto crure tardipes meus,
Turpiq; facie fædior,
Satis nefandi pectoris luxum grauem,
Et impiam mentem probat:
Hæc pestis est, Marulle, nostri seculi:
Non illa, quam procul fugis:
Licet relinquas patrios demum lares,
Aut Galliam tuam petas:
Seu te per vndas Rhindacus videt suas,
Vbique te tamen occupat.

Ad Paulum Candidum, de mutua beneuolentia.

NOndum Pieridum rite canens melos
Aptabam fidibus Barbiton aureum:
Cùm tu, Paule, tuis blandiloquens modis,
Doctam sollicitas chelym.
Nec fers me nimia segnitie Vagum
Culpam nequitiæ iungere desidi:
Quin vltro reuocans ingenium potẽs,
Admota extimulas face.

Biblioteca de Galicia

Ergo Lesbiacis ad citharam modis
Concordem referam nunc genium tibi:
Iunctamq; vnanimis pectoribus fidem,
Quam nulla imminuet dies.
Non sors asperior rebus in arduis,
Non liuentis iners inuidiæ fames
Ex certo poterit vellere eam gradu:
Sed firmam statuet magis.
Felix ille nimis, nec superis minor,
Cui tantum liceat carpere commodi
Aeternumq; bonũ: nam quid adhuc datur
Sperari melius fide?
Non hæc iura animi fallere cogitat.
Nec vult officijs cedere maximis,
Sed certum columen protinus astruens,
Nil non perficiet libens.
Sic nos dum liceat rite fidem sequi,
Condignasq; refert certus amor vices:
Iam sacra ingenij fœdera candidi
Seruemus facili deo,

Ad P. Misenatem Patritium Venetum.

Salue ô præsidium meum perenne
Misenas Veneti decus Senatus,
Cui dulcis tenero lepore Siren,
Frequens mollibus insidet labellis.
Quid agunt veteres mei sodales,
Facunda Aoniæ cohors Mineruæ,

Aldus

Biblioteca de Galicia

Aldus, Phosporus, & comis Nouatus?
Quid Bembus lepido disertus ore?
An rem nunc Venetam probus gerendo
Præclari superat gradum parentis?
An blandas Charites in antra ducit,
Et dulces pariter mouet Camænas?
Quid Fuscus, Placidusq; Donnulusq;?
An illos agitat ferus Cupido?
Et dum per teneros subinde sensus
Proserpit tacitæ libido flammæ,
Mendaci nimium trahuntur aura?
Rescribas mihi, num bene, ac beatè
Cum suis valeant satis puellis.
Ego autem, vt potero, hinc pedem mouebo:
Omnes vt pariter meos reuisam,
Qui passim Venetis fouentur vndis.
Iam libet facilem parare dextram,
Qua certam penitus fidem rependam:
Et per suauia mille, mutuosq;
Complexus, valeam vicem referre.

Nænia de obitu Io. Pici Mirandulæ Viri clarissimi.

DVm finem assiduis ponere lacrymis
Sperabam, & miseris reddere sensibus
Tandem præsidium: ecce heu aliud nouis
Creuit funeribus malum.

Biblioteca de Galicia

Nondum præteritæ vulnus inaruit
Fortunæ en iterum Næuia lugubres
Deposcit numeros: nec spatium datur
Solandi miserum caput.
Expectanda dies scilicet omnibus,
Qua filium digitis inuida ferreis
Perscindat Lachesis: nanque perenniter
Humano generi dolos
Molitur, neque vitam meritis refert.
Sic est, cùm tremuli sese oculi exerunt,
Primæuamq; auidi percipiunt diem.
Tum sanè incipimus mori.
Et quid tantopere, aut tam cupimus diu,
Quin vltrò pudeat, quod semel assequi
Permissum fuerit? Non minimum facit,
Qui fatum sequitur volens.
Hic se tabifico liberat ambitu
Viuendi, & facili pectore in vltimum
Seruat se interitum. Nata etenim omnia
Naturæ imperio cadunt.
Sic tu Palladiæ dum sapientiæ,
O Pice, inuigilas, & pariter cupis
Intento nimium pectore consequi
Virtutis pretium bonæ,
Florentem viridi deseris indolem
Aetate, & superos ante diem petis.
At me tristities, & lacrymæ graues
Posthac perpetuò manent.

Iam

Biblioteca de Galicia

Iambicum Carmen contra Viperam.

VBi est perustæ frontis impudens scelus?
Vbi retorrido colore Vipera?
An sic inertem concipit tandem fugam:
Pariterq; vanis comminatur sibilis?
Sed siste: quid frustra paras resurgere?
Et implicatis nexibus resistitas?
Consiste tandem: an audis æneum sonum.
Notasq; sacras carminum valentium?
Simulq; falces æneas cum vittulis
Passim reuinctas viperinis nexibus?
Iam nunc misella deuomas pestem grauem,
Virusq; mentis improbæ teterrimum,
Quo me tot annos morsibus veneficis
Credis notatum: sed age penitus euome,
Euome nefandam tabem inertis pectoris.
Sed euomit tandem: bene est ô quæ lues!
Proh, summe Iuppiter, quid hoc cerno amplius?
Quantum veneni funditat tetrum scelus?

Ad Chelym suam.

SAlue dulcis amor Chelys,
Quæ reddis tenerum melos,
Et quæ flectis ad oscula
Ceruicem Glyceres bonam:
Vt spiras veneres & charites simul.
Te Cyllenius aliger

Biblioteca de Galicia

Inter fulgida sidera
Visendam merito tulit:
Quo rite ad numerum velis
Nobis summe parens mitior affore.

De choro Laconico per Pueros, Iuuenes, & Senes, ex Greco.

PVERI.

VIuemus pueri: sed nunc puerilibus annis
Lasciuire iuuat, teneróque admittere lusus,
Dum vacat, & molles agitare hos possumus artus.
Mox veniet tempus, nobis cùm crescere vires
Incipient, longéque graui torquere lacerto
Spicula, & audaci fortes confligere bello.
Ergo agitè, ô pueri melius sperare licebit:
Si modò ad optatam dabitur creuisse iuuẽtam.

IVVENES.

Viuimus, ô Iuuenes, iuuat his florentibus annis
Viuere, & in cunctis animos præbere vigentes.
Nunc licet egregios vitæ decerpere fructus,
Et pariter claris virtutem extendere gestis.
Mox dabitur tẽpus, cùm iam lãguescere vires
Incipient, tremulíque cadent membra omnia neruis.
Ergo agite, ô iuuenes, præsentia carpite vitæ
Munera, & ætatem penitus seruate virilem.

SEN

SENES.

Viximus insignes olim, dum tempora robur
Auxerunt, simul atque animi viguere potẽtes.
Nunc senio affecti vix languida membra mouemus,
Nec licet infirmos quicquã sperare per annos.
Non procul à miseris senibus mors imminet atra:
Hæc etenim cunctos æquatis viribus vrget.
Ergo agite interea funestas pellite curas,
Et senium aprica foueamus molliter aura.

Ad Ianum Sotherinum de fugienda desidia.

O Iane, Aonium qui retines decus,
Et virtute animi, atque egregia indole
Præstas, & propriis surgere honoribus
Condignum reputas tibi.
Hoc te præcipuè commonitum velim,
Vt turpem caueas desidiam: & procul
Molles illecebras, & varios dolos,
Ceu dirum fugias nefas.
Nil mortale genus tam grauiter premit,
Nec tantum miseris vrbibus obfuit,
Quantum degeneris torpor inertiæ,
Ac luxus nimium fluens.
Rex olim Assyrius, dum muliebriter
Seruit flagitijs languidus improbis,
Imbellemq; colum, & stamina protrahit,

Extin-

Extinxit patriæ genus.
Inuictum Annibalis robur, & arduo
Virtus imperio, dum valuit ferox,
Per cædes varias perculit Italos,
Et sæuum imposuit iugum:
Romanasq; aquilas Marte potens fero
Fecit purpureas sanguine consulum.
Sed mox degeneri mollis inertia
Fortem deseruit gradum.
Vt qui fœmineis captus amoribus,
Inter blanditias, & Veneris iocos,
Serò congemuit cum fremitu graui:
Probrosam reputans fugam.
Nam quid Romulidum præcipuas loquar
Vires & decus, & militiam grauem?
Nil præter nimium desidiæ scelus
In præceps penitus dedit.
Tum primum pauidi pernicies mali
Tam dirum ac vehemens progenuit nefas:
Quo nomen Latium, piláque Cæsarum
Duxerunt miserum situm.
Sic virtus Italûm protinus occidit,
Armatusq; sua cum trabea Deus
Amisit fidei præmia bellicæ,
Romanum fugiens solum.
Tu Iane interea dum teneris viget
Annis ingenium, & firmus adest calor,
Erectum teneas in superos gradum: &
Virtutem sequere, vt facis.

Sic mi

Biblioteca de Galicia

Sic me Pierÿs rite sacrum choris
Vatem constitues, & pariter tuum
Præclari genium pectoris arduis
Aeternum statues bonis.
Et iam læua monent omnia, nobilem
Exortum è patrio semine palmitem,
Cuius fronte noua, & frugibus aureis
Exornet sobolem decor.

De Lacone in bello occiso, ex Græco:

TRaiectus hasta pectus infensa Lacon
Cruentus in bellum ruit.
Ac dum inter arma, & hostium fertur neces,
Tandem peremptus concidit.
Hunc postquam amici collocant mœsti rogo,
Augéntque funus lacrymis:
Miratus hanc inertiam parens, ait:
Abite non prorsus viri:
Abite procul ô patriæ quondam genus:
Olim Lacones viximus.
Quid vos inertes impios luctus datis?
Hic natus est meus, & Lacon.

Contra Viperam veneficam Anum.

QVando licebit Viperæ diram luem,
Et implicatum Thessalis malis scelus
Videre tandem sedibus Proserpinæ
Fædum cadauer inuehi: ô lætum diem.

Quan

Quantis vbiq; te colemus victimis.
Nam vieta passa, rancida & silicernio est,
Proh quanta seruet in senili pectore
Tabes malorum, quantus æstuat furor:
Seu cùm potenti sæuiens incendio
Perurit atro delibuta sanguine,
Fædatq; turpi cuncta contactu nocens.
Vidi ipse, vidi, cùm tumente gutture
Inflata carmen mussitares Colchicum,
Sectos & vngues implicares crinibus,
Et hæc in æneum referres cantharum,
Ter inspuens, ter cereas imagines
Deflexit ad ortum subrubentis Cynthiæ.
Quid illa referam, quæ negare non potes?
Cùm dissipas reconditum puluisculum,
Sacrumq; retro conuolutas turbinem:
O quàm calescit Viperæ dirus cruor!
Credo hanc parentem vnam esse laruarum omnium.
Lamiãq; maximã faces cùm sarpuit.
Sic turbat atrox luridas sedes Stygis,
Ac torua torquet Tartarum vultu truci.

De fugiendis ingratis.

INgratus est vitãdus vt dirũ scelus.
Nil cogitari pestilentius potest,
Nec esse portẽtosius quicquã puto.
Ingratus aut malefacit, aut malè cogitat.
Sibiq; tãtum parcit, aliis detrahit,

Et odit

Biblioteca de Galicia

Et odit omnes, qui bonis benefaciunt.
Ingratus est audacior, quò nequior,
Et impudens ad omnia scelera trahitur,
Audaxq; cuncta semper in peius mouet.
Ingratus est seminarium scelerum omnium:
Hinc est auara mens, & animus perditus:
Hinc fastus impotens, & ambitus grauis.
Ingratus hoc vnum benefacit, cùm perit:
Nam tellus ipsa fœdius nihil creat.
Portentum id omnium est habendum maximum.

Ad Phosphorum, de ponenda mœstitia & curis.

QVid te tam crucias Phosphore? non probat
Istam mœstitiam, nec lacrymas graues
Olim cum Cithara Cynthius aurea.
Cernis, quàm teneris instat amoribus,
Et blandas recolit delicias Venus,
Seu poscit choream, seu repetit merum?
Quòd si te petulans Lydia despicit,
Nec flammas veteres sentit adhuc procax,
Firmatamq; diu dissoluit fidem?
Nil est quod metuas sic Veneri placet.
Assume Aonium Phosphore barbiton,
Dilectamq; chelym carmine Lesbyo
Reddas Pierijs percelebrem choris.
Irrepit senium vel tacito gradu:
Aetatemq; bonam protinus occupans,

Morb

Biblioteca de Galicia

Morbis assiduis deterit in dies.
Olim te volucris commonuit decor,
Et dulcis Glyceres improbitas bonæ,
Quantum conueniat ludere, dum vacat.

Ad Marullum Byzantium, quòd relictis Musis à Næuia detinetur.

PRidem relicta Pallade
Amoris hausi poculum,
Et me Cytheres militem
Delegit in castris suis.
Marulle quid frustra mones,
Vt sacra Phœbi prosequar,
Et me camœnis asseram?
Libet vocanti Cypridi
Parere, dum calor viget:
Et in virenti gramine
Inter iocos & gratias
Aura fauente ludere:
Nunc in reductis vallibus
Duros amores insequi,
Tu carmen altum principis
Vates beato pectore
Absolue, dum Phœbus monet,
Tu dedicatus Cynthio
Docto, Marulle, carmine
Tradas perennem posteris
Famam potentis ingeni

Mi sat

Biblioteca de Galicia

Mi sat calores mutuos
Firmamq; sacri pectoris
Fidem probare Næuiæ.

Ad Ianum Parthenopeum: vt Musis incumbat.

CAnta dulcissuum Pieridum melos:
Respondet nemoris candida Delij
Per frondes melius Musa tibi leues.
Canta nunc igitur precor,
Aetas admonet, heu quàm celeres citò
Anni diffugiunt, atque dies boni,
Noui, noui hominum morem, & inertiæ
Quàm sit dulce malum omnibus.
Felix Iane nimis, vaticinor modò:
Felix credere canes, si modò cæperis
Accedet potior nanq; tuis dies
Donis egregiæ indolis.
Sic noster senium Cynthius exuet,
Ac doctæ referent præmia virgines,
Cùm tu Mæonio carmine nobilis
Tangis vndiq; sidera.

De Natali Musarum.

FAuete linguis posteri,
Non ante dictum vatibus
Cantare carmen molior,

Biblioteca de Galicia

Sacris receptus delubris.
Apollo nunc ſpirat Deus
Procul profanos pellite
Arcana dum fiunt ſacra.
Adeſte vati cœlites,
Debetur hic Muſis honor,
Quem feſta retulit dies:
Pro quo tot annos pallui.
Lux hæc decora claruit
Dicata priſcis vatibus,
Qua molliter gratum melos
Æterna protulit chelys.
Lucina ridens adfuit,
Et crine Phœbus aureo
Vocauit ad certos modos
Selecta cœli numina:
Tum læta ſubſtitit Cypris,
Et candido vultu Charis
Induxit almis cantibus
Vt vos ſacraret ætheri.
Sed & deorum maximus
Et optimus rerum pater
Vos fouit vlnis mollibus,
Interq; mille ſuauia
Leni decente ſpiritu
Deduxit ad ſacrum nemus:
In quo volantis Pegaſi
Liquor perennis effluens
Nitejcit vndis gemmeis.

Hic

Biblioteca de Galicia

Hic collocatas primitus
Dulci repleuit nectare:
In altáque iussit sidera
Secum volare protinus:
Vnde entheum fluxit melos,
Et grata Siren aurea
Refecit orbem nænia.
Vobis Camænæ viximus,
Vobis perennes gratias,
Sacrúmque carmen reddimus.
Seruate dum licet precor
Deuota vobis pectora,
Seu grata Delos detinet,
Seu Cynthius pulcher vocat.

De potestate amotis.

DVm tenet dulcem Venus alma Cyprum:
Et puer curas mouet æstuantes:
Dum subis blandos Erato calores,
Dic age carmen.
Dic vt in summis viget ignis astris:
Et per obliqui variata limbi
Signa decurrens fouet alma totum
Rite voluptas.
Manat ex alto vagus ardor igne,
Atq; diuina calefactus aura
Transmeat cælum volitans, & vrit
Aequora lapsu.

Biblioteca de Galicia

Legibus certis ſuperos reuincit,
Colligans motu celer inquieto
Ima cum ſummis, & amica reddit
Aethera terris.
Mollit Hircanæ fera corda Tigris,
Mollit & toruæ rabiem leænæ:
Hinc Libyſſini pariter colubri
Sibila ponunt.
Flectitur tauri furor iniugati,
Feruidus duris agitans rubetis:
Sentit hunc ignem quoque ſæuientis
Impetus apri.
Ponit & miles Morinus rigorem,
In tuis pugnans Erycina caſtris:
Et calent Scythæ genus efferatum ad
Cypridis ignes.
Arma deponunt Cicones feroces:
Horridam Thraces aciem relinquunt,
Vt tua poſſint agere in Palæſtra
Dixe Cupido.
Aequor vndoſum calet igne ſacro,
Luſitant piſces per aquoſa furta:
Perq; Neptunum iaciunt gelatum
Pectore flammas.
Aſtra diffuſos referunt nitores,
Cùm Venus blando reſerare riſu
Solis excelſi iubar alma poſcit
Nube reiecta.
Blandius ſpirant Zephyri calentes,

Dumq;

Biblioteca de Galicia

Dumq; te solers Orithyia quæri,
Frigidus pennis Boreas niuosis
Suscipit ignem.
Immemor belli galeam recusat,
Baltheo sacræ Veneris recinctus,
Diua te poscens, & amica libat
Oscula Mauors.
Quicquid in terris generatur vllis
Diua ridenti creat alma vultu:
Et fouet gratos Cytherea fœtus
Lampade sacra.
Germinat tellus, saliunt fluenta,
Frondibus lætis syluæ viresc unt,
Proferunt pictos variata flores
Rura nemusq;.
Si quid aspectu celebratur almo,
Si quid & gratum retinet decorem,
Illud in primis tibi diua paret
Non sine risu.

Ad Nouatum de instruendis adolescentibus in re militari.

PArum Nouate consulis
Veris nepotum laudibus:
Qui dum senescis molliter,
Et otio indulges tuo:
Præstare credas liberis
Si disciplinas calleant.

Biblioteca de Galicia

Quibus tot annos excubas.
Sed hoc ineptè perficis,
Deceptus exemplo tuo.
Imbellis est ætas senum,
Nec apta rebus arduis:
Sinas iuuentam strenuæ
Seruare virtutis gradum,
Et inter arma nobilem
Et galeam & enses Martios
Tractare, dum vires valent.
Hetrusca qualis indoles
Ferox potenti dextera
Lares tuetur patrios:
Sic ille pugnat acrius,
Nec horret hostiles minas,
Qui ætate sub prima potens
In arma miles prosilit,
Interq; tela feruidus
Florem iuuentæ deterit.
Sic alta surgit indoles:
Virtus perusta solibus
Inter cruenta vulnera
Viresçit in dies magis.
Sequuntur ignauos probra
Cùm terga vertunt desides,
Nec stare sub dio quemt.
Nouate non satis decet
Acrem iuuentæ spiritum
Torpere molli inertia,

Aut

Biblioteca de Galicia

Aut implicari fœnore.
Nanque hoc habet Florentia:
Censetur ille maximus,
Qui fœnus addit fœnori,
Nummosq; plures congerit,
Vt diues in foro queat
Se purpuratum vendere.
O noxiam mentem virûm,
Quos in legendis nummulis
Tam dira peruasit fames,
Ego hoc solutus crimine
Summis capessam viribus
Insigne virtutis decus.

Monodia de Saltatione Bacchica.

GRadiuus valeat pater,
Et sæuus galeæ sonus.
Huc adsint nemorisequæ
Nymphæ cum Satyris: leues
Adsint Nisigeni simul,
Adsint & caua cymbala.
Et cornu graue mugiat,
Tollite quisque pedem.
Iam curæ valeant graues,
Non hic fluctisonans tridens,
Non toruæ resonent tubæ:
Sed gratus lepor, & Charis,
Et Chromys, & Hamadryas.

Biblioteca de Galicia

Mnaſyllusq; rubens genas,
Et fortis temeto Lyas,
Et nudata lacertulos
Milite, & Canace ſoror,
Laſciuiq; pedis Dryo,
Pronis in zephyros comis
Ad numerum canite.
Omnes nunc animis pares,
Et ſaltu tremulis modis
Dicamus bone Vitifer,
Thyrſo & palmite nobilis
Tu victor Semeleius,
Summi progenies Iouis,
Incingens hedera caput,
Auratas agitas comas
Perpetuoq; cales.
Tu rex Euhye Baſſareu,
Tu Bryſeus, Hyalyſus,
Liber, Nyctileus, vagus,
Nyſeus, Bromius, ſacer
Tu ſternis ferula graui
Fratres terrigenas potens:
Nam victrix tua dextera
Exemit ſuperos metu,
Et firmum ſtatuit decus
Vincere cum libuit.
Salue Bacche Dieſpiter,
Nos te proſequimur ducem,
Nos vltro anguigerum caput

Bac

Bacchantes agimus leues,
Tu nos Thyrsigeras iubes
Vatem Threicium statim
Diuulsum variis modis.
Iactare exanimem feris,
Per te semper inest calor,
Tu depellis inertiam,
Tu cunctis meritò imperas,
Imperiumq; tenes.

De suo amore in Glyceren.

QVo me nunc trahitis Pierides bonæ?
Vrit me Glyceres grata proteruitas,
Vrit perpetua blandus amor face,
Et sæuus premit in dies.
Olim dum licuit liberiùs loqui,
Tum nostris laribus Delius affuit,
Nec frustra tripodas concutiens sacros
Excepi Clarium Deum.
Heu quantum intepuit Pieridum calor,
Et vatum celebris cura: nec amplius
Permissum viridi dulce sub arbuto
Audire Aonidum melos.
Non sum, qui fueram: sic voluit puer,
Qui duras laqueis molliter implicans
Ceruices, teneris addit amoribus
Luctus, & lacrymas graues.
Me pridem Glycere surripuit mihi,

Biblioteca de Galicia

Dum vultu petulans & lepidis iocis
Furtim blanditias inserit asperas,
Et se difficilem negat.
Decantare iuuat bellica Cypridis
Arma, & perfidiam cum lacrymis grauem,
Seu me detineat carmine Lydio,
Seu vexet Glyceres decor.

Palinodia ad Naeuiam de suo amore.

ADsum resumpto seruitutis vinculo,
Totumq; me dedo tibi: pœnam irroges,
Nil deprecor, nil vsque pœnarum abnuo.
Non ille qui hactenus recanto Nœuia,
Recanto supplices & offero manus
Quodcunque iusseris paratas soluere.
Succensor, vror, ardeo totus miser.
Non æquè flammis ardet æstuantibus
Atrox Sicano conditus Gigas specu.
O ante dedicata Musis pectora,
Vt igne succensi crueris æstuant?
Tuus reuertor, parce parce supplici.
Cantare laudes ordiar primam tuas,
Et expiatus entheus vates sacris
Tete perennem dedicabo posteris.
Sic tu pudica virgo, tu meum decus,
Tu celsa vinces sidera sacro lumine,
Clarumq; nubilans face tua Cynthium
Cælo refulges candidum, & verum inbar,

De

De Tarchonte, & statua vltrice hostis, ex Graeco.

Marmoream effigiem Tarchon cum cerneret hostis.
Substitit, & niueam despuit in faciem.
Protinus & gladium stringens, quem fortè gerebat,
Incipit inuisum sæpe ferire latus.
Sed statua indignos ceu si permosceret ictus,
Paulatim è proprio concidit acta loco:
Et simul infensum dū prona inclinat in hostem,
Contriuit miserum certa ruina caput.
Sed pietas diuūm sceleratæ conscia mentis
Sustinuit partes vindicis & statuæ.

Ad Ianum Epidaurium, de suis studiis.

Si quid carminibus suis
Vates fatidici valent,
Non frustra Aonidum sacra
Tam solers colui hactenus.
Vt primum licuit mihi
Voces Threicias sequi,
Deuoui teneram chelym
Castis Pieridum choris.
Me Phœbo comitem dedi,
Is vultu facili probat,
Quàm tolluntur ad æthera
Qui doctos tripodas colunt.
Hinc vates vigeo, & deis

Perg

Biblioteca de Galicia

Pergrata est pietas mea:
Erectiq; animi indoles,
Et rarum fidei decus.
Nouit Melpomene satis,
Quantum carmine Lesbio
Ac molli valeam ioco
Inter ludere virgines:
Seu dicam Veneris dolos,
Et per dulcia suauia
Ceruicem roseam sinu
Susceptam Glyceres meo.
Non spernet liquidum melos
Annorum series grauis:
Nec mi defuerit sacer
Inter phœbicolas locus.
Vixit gratus Apollini
Excellens cithara breui:
Et iam canities subit,
Quæ nostrum senium refert.
Nil me flexit adhuc, neque
Cultorem solidi boni
Mouit de veteri gradu
Siren cum teneris dolis,
Sed me per superos Clio
Sublimem tulit, & simul
Cinxit frondisluam mihi
Myrto præuiridi comam.

Ad

Biblioteca de Galicia

Ad Neæram, ex epigr. Platonis Philosophi.

DVM te Neæra suauior,
Gratumq; florem spiritus
E seminulcis suauijs
Per mutuas vices traho:
Tum mi labella pressula
Tenello amore saucia,
Animam tenere gestiunt:
Ne se relinquat protinus,
Tuisque labris mollibus
Decepta dulci suauio
Sensim reperto transitu
Labatur in pectus tuum:
Et dicat esse gratius,
Seruare tam bonos lares,
Tecúmque semper viuere:
Vbi alma Cypris incalet,
Blandúsque germinat lepor,
Et grata lusitat Charis.
Quod si Neæra aduenerit,
Vt igne amoris percita
Animula mea misellula
Ne linquat in cœtu osculi,
Et me relicto transeat:
Remitte quàm primùm potes,
Et redde mi vitam precor,
Vt seruiam semper tibi,
Fidémque firmam comprobem.

De

Biblioteca de Galicia

De seipso.

Avrum nefandis accumulent dolis,
Regumq; magnas diuitias sibi
Quærant inerti sollicíti ambitu,
Qui fœnus repetunt graue.
Nil me potentum sceptra minantia
Possunt verendo flectere de gradu
Virtutis almæ: nil animos mihi
Vestes Attalicæ mouent.
Securus antris Pieridum vagor,
Et Phœbo amicus leniter arduas
Perlustro ripas, dum Glycere vocat,
Et nymphæ saliunt leues.
Non me caduci sanguinis extulit
Proles parentum: vertor in alitem,
Dulces cantus, & tenerum melos
Demulcent liquidum æthera.
Terras relinquo, me iuuat arduo
Cælo receptum per superùm choros
Sensum vagari: iam volito altius,
Dum Phœbus celerem gradum.
Affectus almo carmine contrahit,
Nunc ad Sicambros, seu libeat Scythas
Spectare sæuos, & pariter leui
Instructos iaculo Dacos.
Idémque pennis Pegaseis feror.
Vsque ad Britannos, & Morinum trucem:
Necnon procellæ littora Caspiæ
Præter conspicio volans.

Null

Nullum Camœnis est iter inuium,
Cœlum beatis auspicys petunt,
Sedesq; summi sub pedibus Iouis
Olim constituunt sibi.

De sua ægritudine, & imminenti obitu.

NIl est quod vltra sit licitum mihi
Sperare tandem, nil medicæ manus
Ex imminenti me miserum rogo
Referre incolumen queunt,
Et iam medullis æstuat intimis
Accensa bilis, nec patitur meo
Vnquam dolori finem aliquem dari,
Sed vexat magis in dies.
Obducta frontis lumina, per genas
Delapsa tetra cum macie cutis,
Et destitutæ mentis inertia,
Instare exitium monent.
O quantum inanes illecebræ anxia
Passim virorum pectora distrahunt:
Quantaq; rerum mole peræstuat
Humani generis lues!
Quàm sæpe dixi, Martia principum
Cantabo gesta, & sæua per Ausones
Gallorum ab altis alpibus agmina
Educta in Latios duces:
At nunc parato funere frigidus

Per

Biblioteca de Galicia

Per membra sudor labitur: & meum
Flammis cadauer rite puer sacris
Iam componere destinat.
Et Cypri odores, thuraq; mascula
Inferre lectis ossibus, & leui
Cum rore lymphas spargere, quo sua
Reddatur cineri quies.
Ergo sub annos præuirides mihi
Soluetur atro sanguine spiritus?
Nil est reluctandum superis: libens
Quod fata annuerint sequor.
Non ille cuiquam flebilis occidit.
Quem vitæ honestas, & fidei decor
Inter sacrarunt numina Cælitum,
Expertem grauis ambitus.
Sed fessa tandem lumina mors tegit:
Tu me deorum summe parens velis
Vatem beatis sistere sedibus,
Vt sacros referam choros.

FINIS POEMATVM.

Biblioteca de Galicia

EPIGRAMMATVM INDEX.

* *
*

IN LIBRO PRIMO.

Quòd poëta ipse Musis dicatus sit reiecta populi insscitia.
De sua æternitate, ex oraculo Apollinis.
Ad Auitum exhortatio ad virtutem.
Nænia de obitu Laurentij Medicis viri clarissimi ad Ioannem Picum Mirandulam.
Ad Auitum de quiete viuendi.
De sua quiete post multas calamitates.
Monodia de laude Angeli Politiani,
Ad Faustum Poëtam de suis studys & iniquitate sui temporis.
Ad Faustum de sylua Oricellaria.
Ad Mariam Virginem.
Ad Auitum de innocentia vatum.
Ad Faustum de Carolo Rege Francorum cùm ad Vrbem tenderet cum exercitu.
De Morando Hetrusco luctatore.
De suo amore in Glycerē ex Poëta Anacreōte.
Nænia de obitu Poëtæ Marulli Byzantij.
De laude Franciſci Gonzagæ principis illustrissimi Mantuani, cùm ad Tarrum contrà Gallos dimicauit.

Biblioteca de Galicia

Carmen Charisticon ad Eridanum fluuium pro recepta salute cùm in eum decidisset.
Monodia de Fortuna & eius viribus.
De Lacone saucio, ex Græco.
De Ludouico Sfortia principe clarissimo, qui proditus per Heluetios est.
Monodia de choro Sybaritico, ex Græco.
Ad Ber. Carapham de malis atq; calamitate Neapolis.
Monodia de laude Horatij Flacci Poëtæ.
Ad seipsum de perfidia Neæræ.

IN LIBRO SECVNDO.

Ad Ferrandum Arragonium Neapolis & Siciliæ regem inuictissimum.
Ad Marullum Byzantium de imagine & portento auaritiæ.
De laude Consalui Ferrandi in victoria Lyriana contra Gallos.
Ad Phosphorum, contra insolẽtiam principũ.
Ad Angelum Cyprium, quòd in Liricis canendis præstet.
Ad Ber. Carapham Neapolitanum.
De Virtute Io. Andreæ Lãponiani tyrãnicidæ.
Ad Phosphorum de fugiendis malis quæ in amore sunt.
Ad Thomam Fuscum de malis & incommodis suæ ætatis.
Ad Marullum Byzantium de improba mordacitate Zoili tardipedis.

Ad

Biblioteca de Galicia

Ad Paulum Candidũ de mutua beneuolẽtia
Ad P. Miſenatem Patricium Venetum.
Nænia de obitu Ioannis Pici Mirandulæ viri
Iambicum Carmẽ cõtra Viperam. (clariſsimi.
Ad Chelym ſuam.
De choro Laconico per Pueros, Iuuenes & Senes: ex Græco.
Ad Ianum Sotherinum de fugienda deſidia.
De Lacone in bello occiſo, ex Græco.
Contra Viperam veneficam anum.
De fugiendis ingratis.
Ad Phoſphorum de ponẽda mœſtitia & curis.
Ad Marullum Byzãtium: quòd relictis Muſis à Nænia detinetur.
Ad Ianũ Parthenopeum vt Muſis incũbat.
De natali Muſarum.
De poteſtate amoris.
Ad Nouatũ de inſtruẽdis adoleſcẽtibus in re
Monodia de ſaltatione Bacchica. (militari.
De ſuo amore in Glyceren.
Palinodia ad Næniam de ſuo amore.
De Tarchõte et ſtatua vltrice hoſtis, ex Græco.
Ad Ianũ Epidauriũ de ſuis ſtudijs.
Ad Neæram ex epigrammate Platonis Philoſophi.
De ſeipſo.
De ſua ægritudine & imminenti obitu.

FINIS.

Biblioteca de Galicia

Biblioteca de Galicia

Biblioteca de Galicia

Biblioteca de Galicia

Biblioteca de Galicia

Biblioteca de Galicia

Biblioteca de Galicia